Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b28775296_0001

paid R. Triphook

~~2-3-13~~ 5161

CAR. TRAVGOTT GOTTLOB SCHOENEMANN

REG. BIBL. ACAD. GOETTING. A SECRETIS

BIBLIOTHECA

HISTORICO-LITERARIA

PATRVM LATINORVM

A TERTVLLIANO PRINCIPE

VSQVE AD

GREGORIVM M. ET ISIDORVM HISPALENSEM

AD BIBLIOTHECAM FABRICII LATINAM

ACCOMMODATA

TOMVS PRIMVS

LIPSIAE

IN LIBRARIA WEIDMANNIA

M D C C X C I I.

5161

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

EXCELLENTISSIMO

ATQVE

ILLVSTRISSIMO DOMINO

DOMINO

CHRISTOPHORO GOTTLOB

A BVRGSDORF

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS

SAXONIAE

SVPREMI SENATVS ECCLESIASTICI

DRESDENSIS

PRAESIDI

CVBICVLI PRINCIPIS PRAEFECTO NVPER

TERRAE MANSFELDENSIS QVANTA SAXONIAE

ACCEDIT GVBERNATORI

PIO SAPIENTI FELICI OMNIS DOCTAE

ANTIQVITATIS ARBITRO

FAVTORI SVO EXIMIO

SACRVM ESSE IVBET

CAROLVS TRAVGOTT GOTTLOB SCHOENEMANN

ISLEBIA MANSFELDENSIS

PRAEFATIO.

Fabricivs cum primum Bibliothecam Latinam adornaret, Scriptores quidem ecclefiaſticos plane e limitibus eius abeſſe voluit: ſeu, quoniam minus neceſſariam hac in re operam nauaturum ſe exiſtimaret, ſeu quod iam tum fortaſſe animo proſequeretur conſilium de inſtruenda mediae et infimae Latinitatis bibliotheca, quae vltimum tandem operum eius mortalium fuit. Attamen in illo conſilio non valde ſibi conſtans fuit. Nam non ſolum Poetis chriſtianis caput integrum (libri IV. ſecundum) dicauit, ad quos quidem ipſo libri quarti, collectionibus et fragmentis vett. SS. conſignandis deſtinati, argumento deferri debebat; ſed nec reliquos eccleſiaſticos ſcriptores prorſus vt ſe-

gregaret, a ſe impetrare potuit, ſed perpaucos, eos vero inſigniores, IV. priorum ſaeculorum, intra tertium eiusdem libri caput compegit, addita commemoratione tenui et quae perpaucis vſui eſſe poterat, cum eadem iam vberius a multis, quos ipſe nequaquam reticet, eſſent pertractata. Ac licet iteratis operis illius editionibus, quas ſingularibus ſupplementorum voluminibus auxit et amplificauit, hoc quoque caput non leuia incrementa cepiſſet: tamen iſta omnia nec caeterorum, qui in hac Bibliotheca exhibebantur, ſcriptorum conditioni reſpondebant, nec per ſe erant valde praeclara. Quod ipſe etiam bene ſenſiſſe videtur. Nam de plerisque, quos ibidem tractauerat, ſcriptoribus eccleſiaſticis longe locupletiorem notitiam literariam poſtea inſeruit *Delectui argumentorum pro veritate Religionis chriſtianae*, quo non ſine fructu ipſi vſi ſumus.

Interea in eodem ſtatu res permanſit, donec nouae editionis Bibliothecae illius cura ad

ERNE-

ERNESTIVM eſſet delata. Tunc vero facies hac ex parte mutabatur. Semota enim, quae nec vſui commoda nec oculis grata fuerat, priſtina mole (capitibus II. et III.), ſuperinductis quae quarti et quinti antea capitis loco fuerant, ſolum, ex quo deiecta erat, plane abſcondidit, ſimul autem noui aedificii ſeorſim exſtruendi rationes iniit et cum lectoribus communicauit. Tractaturus igitur erat peculiari volumine de cunctis eccleſiae latinae ſcriptoribus ita, vt de vita, ſcriptis et editionibus iuſto modo praecepiſſet, ſpectaſſet autem praecipue, quomodo latinus ſermo per eosdem auctores affectus fuerit et inflexus. Quod quidem praeclarum ſummi viri inſtitutum non placuit numini, vt ab ipſo perficeretur. Sed lenire debet eruditorum deſiderium, quod ei viro obtigerit relicta ab Erneſtio prouincia, qui multa ex parte damnum morte eius Academiae Lipſienſi illatum vnus reparauit et quid in hac ſigillatim parte poſſet, abvnde comprobauit, Celeberrimo BECKIO. Cum

enim poſt Erneſtii exceſſum redemtoribus virorum doctiſſimorum auctoritati in hoc obſecutis placuiſſet, conſilium de profligando opere extendere, ita vt non ſolum quae ad vitas eorum et ſcriptorum hiſtoriam literariam pertinerent, ſed ipſa horum argumenta, vim et indolem explicari vellent; quod vel ſola propter DVPINII, CEILLERII et OVDINI in hoc genere exempla valde exoptandum erat: pertinere *Hic* ad partes ſuas credidit ex ſcriptoribus eccleſiaſticis primum omnes, qui ſermone ligato vſi ſunt, quippe qui ex capite II. lib. IV. ed. vet. omnes exulare ab Erneſtio iuſſi erant, et de iis quidem, qui nihil pedeſtri ſermoni conditum reliquerunt, ſolus aget, quos adeo ex hac noſtra Bibliotheca ſegregari oportuit. *Idem* vero ſibi quoque vindicauit ex reliquis ea ſcripta, quae non tam religionis chriſtianae formulam concernunt, ſed magis cum antiquitatis et humaniorum literarum ſcientia ſunt coniuncta. Atque huic conſilio obſecuti nos in Hieronymo praetermiſimus

miſimus Euſebii Chronicon, idemque Tomo altero quibusdam Boethii, Caſſiodorii et Iſidori libris fiet, quos ab illo viro accuratius tractatum iri ſperamus. Hisce autem finibus circumſcriptum tandem erit atque abſolutum Fabricianum opus.

Quae ſupererant, Bibliothecae noſtrae Academiae ſubſidio commodius inſtrui et perfici poſſe viſa ſunt eorumque cura, mandante Ill. Heynio, partitione facta, mihi et *b.* Oelrichsio eſt concredita. Ac huius opera iam in omnium eruditorum manibus verſatur, nihilque is in exequendo munere niſi ſui ipſius deſiderium reliquiſſe docto cuique ac bono cenſebitur. Ego vero, quid in adornando libro, cuius primus Tomus nunc luci datur, alter proximis nundinis vernalibus, ſi Deo viſum, prodibit, ſpectauerim, iam declarare debeo apertius.

Duplex eſt quodammodo promiſſio *Bibliothecae huius*, reſpectu fontium ſcilicet, ex qui-

bus omnis rerum allatarum memoria repetenda nobis fuit. Quarum alias Hiſtoria Eccleſiaſtica ſuppeditat, aliae ei Hiſtoriae parti, quae a literis ipſis nomen habet, propriae ſunt; diſpari illae ratione a nobis tractatae. Vt enim in ea parte, quae editionibus dicata eſt, prolixiores eſſe haud veriti ſumus, ita in vitis PP. enarrandis breuitati quam maxime ſtuduimus, Caueum in eo imitati, cuius caeteroquin exemplum aſpernati ſumus, quod magis ille, quae ſubito ipſi memoria, abunde quidem rerum iſtarum cognitione imbuta, ſuggereret, ſcribebat, quam quae neceſſaria et ſcitu iucunda eſſent. Nos ea imprimis ſelegimus, quae aliquid ad ſcriptorum cuiusque occaſionem vel ipſa ſcripta intelligenda momenti habitura exiſtimaremus. Quod vtique quam bene nobis ceſſerit, aequi aeſtimatores iudicabunt; ſin ſecus accidit, condonabunt. Hanc facilitatem prae caeteris ſibi optat epitome Pearſoni Annalium Cyprianicorum in Vita Patris illius a nobis exhibita.

Cuius

Cuius gratia nullam non occaſionem veniam lectorum orandi praetermittam, etſi non ita cauſa mea deſtituar, vt non aliquibus etiam factum iſtud probare poſſim. Cum enim ea ſit Epiſtolarum Cypriani ratio, vt vnaquaeque ſingulare aliquod pro hiſtoria eius atque adeo totius Africanae tunc temporis eccleſiae momentum habeat, nullaque omnino adeo ſperni atque negligi poſſit, quin vniuerſa rerum ab eo geſtarum ſeries conuellatur et obſcuretur; quod ſecus eſt in aliorum quamuis inſignium patrum epiſtolis: patet, non facile eſſe, accuratam vitae eius narrationem contexere ſine multarum minutarum rerum commemoratione. Quae ſi per ſe moleſta legenti aeque ac ſcribenti accidit, multo magis tum fiat neceſſe eſt, cum ſpeciem quandam ac imaginem viri obiici tibi et animo inſinuari deſideres. Hoc ergo discrimen vt effugerem, ſimul tamen rerum vtilium cognitione lectores non fraudarem, optimum iudicaui annalium iſtorum compendium

pro-

proponere. Adeo tamen me huius laboris vicit taedium, vt aperte fatear, me non vltra ſuſtinuiſſe, ea, quae a Marano recte in Pearſonii annalibus reprehenſa eſſent, propter eandem ac maiorem etiam iſtius in differendo intemperantiam contendere.

Caeterum in hac operis noſtri parte vtut lapſi fuerimus, offendiſſe tamen cenſebimur in tali, quae laxiori tantum vinculo cum primario eius fine cohaeret atque a reliquo ſtudio noſtro hucusque fuit ſeiunctior: quocirca facilior ſolet eſſe errorum excuſatio. Cum vero in eum locum iam deducta ſit oratio noſtra, vbi, quid proprium nobis hac opera vindicemus, explicare debeo, *Literariam* partem dico: neſcio an arrogantior videar, ſi Caueos, Ittigios, Dupinios, Fabricios, Walchios, Ceillerios aliosque introducam, quorum quisque vt Patrum vel omnium vel quorundam editiones recenſere inſtituit, ita laudem vix vllus reportavit. Tantum vero abeſt, vt viris praeclaris ac

ſupra

ſupra laudes noſtras elatis obtrectando gloriolam aliquam captare aueam: vt illos ipſos potius excitauerim, vnde, quid a nobis iure tuo poſtulare poſſis, pro rei natura ſcilicet et per ſubſidia, quae rara felicitate nobis obtigerunt, ſpectetur. Illi enim, cum partim propter ambitum maiorem, quem operibus ſuis ſcripſerant, partim ob multarum aliarum rerum, quas praeterire nefas putabant, varietatem, ſecundas tantum partes editionum recenſui tribuiſſent, non indigna ſtudiis ſuis ſibi et aliis tunc attuliſſe videbantur: perfectiora dare, ſi libuiſſet, raro per copiarum tenuitatem ipſis conceſſum erat. Praeterea nemo eorum extitit, quin de ſuo aliquid in commune afferret.

Nobis contra haud permiſſum erat, qualemcunque editionum catalogum ex iſtorum commentariis vel vulgaribus indicibus ac diariis conſarcinare, ſed requirebatur recenſus, qui et plenus non iniuria dici poſſet et certum ſe deſcriptione ſingulis addita comprobaret. Atque

hoc

hoc ipſum eſt quod vnice intendimus, in quo nec ſtudio nec induſtriae pepercimus, in quo denique, nam quidni fatear?, non improbum laborem exantlaſſe mihi videor, dummodo veteri illa lege: *Quibus ſciam poteroque* cauere non negetur.

Editionum autem deſcriptio et ipſa duplicem fert tractationem. Alteram *criticam*, quae interna cuiuscunque bona, textus criſin eiusque cauſas, lectionis adminicula, copias, commoda perſequitur, vnde primum profectus ſit, per quos ornari et perfici coeperit aliquis auctor, quo modo iam ſit affectus, vtrum excultus ſatis, an reſtet aliquid? oſtendit. Haec ergo cum ſummatim in vnoquoque, tum ſingulis in locis a nobis ſunt declarata. Ac in hac poſtrema opera ſaepe ipſorum editorum verbis vſi ſumus, ſi quando ab iis tam luculenter tractandi ratio fuiſſet explicita, vt idem vix paucioribus verbis conſecuturos nos confideremus, aut ratio eſſet impeditior, aut etiam

fidem

fidem penes auctores eſſe vellem. Habet denique hic mos id commodi, vt a pluribus explorari et expendi poſſint, quae generatim vbique ſint propoſita, ſimulque ingenium fere cuiusque editoris propius conſpici queat et cognoſci. Quodſi qui fuerint, qui chartae haud ſatis peperciſſe me hac in re exiſtiment, reputare eos iubeo, ad plures quam ſe ſolos vſum huius bibliothecae pertinere et vltra hanc praeſentem aetatem forte duraturum eſſe. Quis vero patrum noſtrorum memoria in *Oudini commentariis de SS. eccl.* qui ex eadem officina, quae noſtram Bibliothecam emittit, anno huius ſaeculi vigeſimo ſecundo luci dati ſunt, ſimile paene inſtitutum magnopere reprehendendum putauit? tametſi ille non tam reconditiora et quorum aditus plerisque interclufus eſſet, ibi depromere conſueuerat, ſed, vt occaſio ſeſe offerebat, ex diariis etiam, quae in recenti memoria erant, integras recenſiones excerpſit.

Ad

Ad hanc quoque partem ſpectat *librorum manuſcriptorum*, ex quibus textus Patrum paſſim editus et correctus eſt, commemoratio, a ſupra laudatis editionum cenſoribus prorſus neglecta, qua ſine tamen de editorum meritis iudicium recte informari nequit. Non eodem loco ſunt *verſiones*, quibus exigua idcirco a nobis cura habita eſt.

Altera pars in externis potius occupata eſt magisque apices literarum captat, quam primi, ni fallor, Franco-Galli nominibus doctis nugis inueniundis ingenioſi *bibliographicam* nuncupauerunt. Ac in hoc quidem doctrinae genere patres latini primum locum tenere ſolent, quippe quibus a typographiae incunabulis nihil frequentius typorum formulis deſcriptum extat. Hinc ingens commentariorum, in quibus deſcriptiones ſeu potius delineationes iſtiusmodi editionum coaceruatas cernas, copia proſtat, quibus excutiendis non leuem temporis iacturam exiguo cum fructu facias.

Nos

Nos in hac etiam curioſos eſſe oportuit, ſed non contenti fuimus vndecunque titulos et ſubſignationes, annorum notas, typographorum et locorum nomina, colligere, chartarum menſuram, characterum genus, et quae ſunt reliqua, inconſulto exſcribere, ſed ante omnia laborauimus, vt explorata eſſent et certa, quae a nobis proponerentur; quod vt plerumque optimo euentu factum eſt, cum oculis ipſa exemplaria vſurpare liceret, ita vbi non fieri potuit, teſtium non deteriorum fide corroborauimus. Atque in his ſi quid attulerimus, quo ab aliis perperam tradita corrigerentur, discernerentur, quae falſo pro iisdem habita erant et dubia veris commutarentur: id non ita accipi velim, ac ſi ſoli noſtrae ſedulitati et circumſpectioni deberi exiſtimem, ſed, vt palam ac notum ſit omnibus, plurimorum virorum ſtudiis et occaſioni, qua coniunctis iis frui licuit, ea deberi, quibus et amatores librorum antiquorum delectari poſ-

ſint et habeant docti, ad quae ſtudia ſua dirigant.

Haec vero in praeſenti ſatis ſint ad id, quod effecimus autefficere ſaltem voluerimus hac opera declarandum. Singula vero, quae forte commendari poſſent, commemorare, nec otii noſtri ratio patitur, nec ambitionis, quam metuimus, ſpecies. Supereſt, vt de aliis quibusdam, quae mea et lectorum intereſt, ne ignorentur, verba faciam. Comprehendit hic tomus quatuor priora ſaecula, ſed Auguſtinum, quamquam quarto ſaeculo is ab omnibus adſcribi ſolet, propter iuſtam voluminis magnitudinem excludere coacti ſumus. Is igitur quarti ſaeculi ſcriptorum agmen ducet, aliosque paucos, qui quarto ſaeculo dantur, propterea quod poſt illum aptius collocari eos cenſemus, comites habebit. Deinde non defutura eſſe ſentio, quae diligentiam noſtram effugerint. Cui enim in tam diffuſo opere ſomnus non obrepat? Iam vero ab initio etiam,

etiam, antequam ſatis exercitati eſſemus, accidit frequenter, vt non omnia, quae in promtu fuiſſent, cerneremus. Quorum magnam copiam, maiorem certe, quam ab aliis monſtrari nobis poſſe arbitramur, additamenta cum Tomo ſecundo euulganda capient. Nec inopportunum hic erit lectores monere, quatuor aut quinque priores plagulas ante annum cum dimidio iam typis fuiſſe mandatas. Quo factum etiam eſt, vt de Semlero *τῷ μακαρίτῃ* tamquam inter nos agente loquamur, cuius diſceſſu adeo ſpes pro Tertulliano ibi concepta fruſtrata eſt. Poſtremo non parum indulgentiae lectorum opus nos habituros praeuidemus ad menda typographica, quae crebra nimis inciderunt, excuſanda. Nam etſi quae in chartas a nobis eſſent coniecta diligenter ſatis ac nitide etiam deſcribenda curauerim, nec deſultoriam ſane in ſingulis plagulis, antequam Lipſiam mitterentur, emaculandis induſtriam poſuerim; non omnibus tamen calami aberrationibus delendis

vnus ſatisfui, multoque minus alia, quae a typotheta falſo lecta eſſent, emendandi occaſio data fuit. Indicauimus pleraque, ſi quae tamen ſupererunt, in diſtinctionum ſignis imprimis, aut vbi non ſatis accurate quae rotundo quaeue italico charactere exſcribenda eſſent, ſignificatum fuiſſe intelligent, ea omnia vt ipſi benigne corrigere ſuſtineant, lectores rogatos eſſe volo. Si denique in antiquarum editionum titulis interdum antiquos characteres adhibitos eſſe, in plerisque tamen id neglectum animaduerterint, id totum noſtra culpa accidiſſe fateor; qui antea quaerere ex redemtore debuiſſem, an talibus inſtructa eſſet officina, antequam eosdem depingere inſtituerem, et vbi dubitatio me ſubiiſſet, rurſus abiicerem eandem curam. Dabam Göttingae a. d. IV Id. Septembr. MDCCLXXXII.

INDEX CONTENTORVM.

Caput primum, de Pſeudographis quibusdam, qui ſaeculo primo et ſecundo adſcribi ſolent . pag. 1

Caput ſecundum, de Tertulliano Patrum Latinorum principe in confiniis ſaeculi ſecundi et tertii conſtituto - - - 2

Caput tertium, quod ſcriptores ſaeculi tertii potiſſimum complectitur

Sect. 1. Anonymum Actorum Felicitatis et Perpetuae auctorem - - 58

Sect. 2. M. Minucium Felicem - - 58

Sect. 3. Thaſcium Caecilium Cyprianum 77

Sect. 4. Cornelium Ep. Rom. - 134

Sect. 5. Nouatianum - - - 135

Sect. 6. Pontium - - 143

Sect. 7. Stephanum - - - 143

Sect. 8. Victorinum Patauionenſ. Ep. - 144

Caput quartum. Patres Latini ſaeculi quarti

Sect. 1. Arnobius - - 147

Sect. 2. Lactantius - - - 177

Sect. 3. Iulius Epiſc. Rom. - - 264

Sect. 4. Macrobius - - - 268

Sect. 5. Liberius Epiſc. Rom. - 268

Sect. 6. Hilarius Pictau. Ep. - - 273

Sect. 7. Euſebius Vercellenſis - 294

Sect.	8.	Lucifer Calaritanus - -	p. 297
Sect.	9.	Hilarius Diaconus - -	306
Sect.	10.	Potamius Epiſc. Olyſſiponenſ. -	307
Sect.	11.	Phoebadius - -	309
Sect.	12.	Zeno Epiſc. Veronenſis -	312
Sect.	13.	Fabius Marius Victorinus -	328
Sect.	14.	Candidus - - -	332
Sect.	15.	Damaſus Epiſc. Rom. -	333
Sect.	16.	Optatus Ep. Mileuitanus in Numidia	343
Sect.	17.	Pacianus Barcilon. Ep. - -	357
Sect.	18.	Ambroſius Ep. Mediol. -	361
Sect.	19.	Martinus Turonenſis - -	419
Sect.	20.	Hieronymus - -	426
Sect.	21.	Philaſtrius Ep. Brixienſ. -	536
Sect.	22.	Fauſtinus - -	547
Sect.	23.	Siricius - - -	555
Sect.	24.	Gaudentius - - -	560
Sect.	25.	Vigilius Tridentinus - -	567
Sect.	26.	Tychonius - -	569
Sect.	27.	Rufinus - - -	571
Sect.	28.	Qu. Iulius Hilario -	639
Sect.	29.	Anaſtaſius Ep. Rom. - -	642
Sect.	30.	Paulinus Ep. Nolanus -	646

CORRI

CORRIGENDA.

Pag. 10. l. 25. pone comma poſt *addidit*, dele poſt *ſuis*. p. 11. l. 14. dele comma poſt *Rigaltius*. p. 12. l. 34. l. *coepit* pro *cepit*. p. 14. l. 2. *Scinz*. pro *Soinz*. p. 15. not. l. 2. *iam* pro *eam*. l. 3. *Tertulliani* pro *Fertulliani*. ibid. *impreſſa* pro *impreſſam*. p. 16. l. 23. l. *coenobio* pro *coenobii*. Ibidem Parentheſis inepto loco poſita eſt. p. 19. l. 25. l. *hic* pro *h*. p. 23. l. 13. *hominum* pro *hom*. l. 22. *partitus* pro *partitum*. ibid. not. l. 2. *indagare* pro *iudagare*. p. 25. l. 18. *id egit* pro *indegit*. p. 26. l. 15. *quinquepartito* pro *quinque partito*. p. 27. l. 6. dele punctum poſt *Pamelii*. p. 28. l. 5. *Annotationes* pro *Annotatione*. p. 36. l. 25. dele comma poſt *eſt* et refer poſt *aliquid*. p. 46. not. l. 4-6. vncis include verba *et - videtur*. l. 6. dele verba *innuit certe*. p. 48. not. l. 3. *Cachinnis* pro *Cachinius*. p. 50. l. 16. tolle *de* ante *Lacerdae*. p. 51. l. 16. *Notas* pro *Notae*. p. 54. l. 14. poſt *primam* excidit comma. Idem accidit p. 55. l. 9. poſt *cenſeret*. p. 63. l. 23. *Accedebat* pro *Hac cedebat*. p. 68. l. 26. *ipſi* pro *ipſe*. ib. l. 28. *Si* pro *Se*. p. 69. l. 28. *Fuluii* pro *Tuluii*. p. 81. l. 27. *Maii* pro *Mai*. p. 83. l. 3. *quarum* pro *quorum*. p. 101. l. 2. poſt *Pudicitiae* punctum excidit. p. 106. not. l. 8. *verſare* pro *verſari*. p. 108. l. 17. *Audiffredi* pro *Audisfredi*. p. 109. l. 24. poſt *conſertis* excidit punctum. p. 110. l. 18. dele *qui*. p. 114. l. 11. pone comma poſt *emaculaſſe*, dele poſt *annotatiunculis*. ib. l. 18. excidit comma poſt *praefatio*. l. 19. loco puncti pone comma. p. 115. l. 7. excidit *fauebit* poſt *noſtrae*. p. 121. l. 28. l. *Ioſephus Smith*. p. 149. l. 20. lepido errore 1721. et 1719. pro 321. et 319. exſcriptum eſt. p. 152. l. 4. poſt *aggreſſus* excidit *eſt* cum commate. p. 153. l. 5. *inopes* perperam legitur vbi erat *inops ſtudium fuit*. p. 160. l. 1. dele punctum poſt *marginalibus*. p. 161. l. 22. dele comma poſt *eſt* et pone l. ſq. poſt *editione*. p. 173. l. 4. *Vrſinum* pro *Vrſinus*. p. 179. l. 28. *negligentiaue* pro *negligentia*. p. 180. l. 14. *copia* excidit ante *oſtendit*. p. 181. poſt *Cratandri* excidit comma. p. 182. l. 32. dele *et*. p. 183. l. 31. excidit comma poſt *Gothicam*. p. 184. l. 3. dele punctum poſt *curauerat*. p. 185. l. 6. *deſcriptum* pro *deſcriptus*. p. 189. l. 23. loco commatis punctum infer poſt *exſcripta*. p. 191. l. 15. dele punctum poſt *Aretini*. ib. not. l. 6.

excidit

excidit *diuerſis* ante *expreſſa*. p. 193. l. 3. excidit *edere* ante *conatum*. p. 206. l. 15. pone comma poſt *ſunt*, dele poſt *editione*. p. 208. l. 29. dele *qui*. p. 210. l. 24. dele comma poſt *earum*. p. 214. l. 11. inſere *tantum* ante *excuſſa*. p. 217. l. 2. *veritati* pro *veritate*. p. 217. l. 15. l. *dictionum*. p. 220. l. 12. *locupletiſſimo* pro *locupletiſſima*. ib. l. 38. delend. comma poſt *emineat*, ponend. poſt *editio*. p. 226. l. 12. delend. comma poſt *putarentur*, ponend. poſt *ſaltem*. p. 227. l. vlt. delend. punctum poſt *afferunt*. p. 231. l. 7. tolle comma poſt *ſeparatim*. p. 233. l. 4. *Nurriſii* pro *Numiſii*. p. 243. l. 9. inſer comma poſt *meliora*. p. 245. not. l. 12. dele comma poſt *ſolenni*. p. 248. l. 22. dele punctum poſt *poſſedit*. p. 249. l. 6. excidit *ſaeculis* poſt *inuentam*. p. 257. l. 32. *imperfectam* pro *imperfectum*. p. 265. l. 27. loco commatis pone punctum poſt *eſſent*. p. 267. l. 2. *de* pro *d*. p. 268. l. 18. *ad* pro *Ad* puncto ante ſublato. p. 281. l. 10. alteram pro Alteram puncto ante ſublato. p. 310. l. 16. l. *Interfuit etiam Conciliis cum Valentino a. 374., tum Caeſaraugustano a. 380.* p. 312. l. 17. excidit *exiſtimare* poſt *iure*. p. 326. l. 28. tolle punctum poſt *datum*. p. 338. l. 3. inſer punctum poſt *Aldi*. ibid. l. 20. *reliqua* pro *Reliqua* puncto praecedenti in comma mutato. p. 362. l. 27. poſt *non* excidit *quod*. p. 367. l. 16. *Benedictinis* pro *Benedictini*. p. 375. l. 4. *Bunav.* pro *Bunov.* p. 376. l. 18. poſt *luminibus* excidit *coruſcante*. p. 385. l. 19. poſt *copioſus* tolle punctum. p. 387. not. l. 3. *bibliopegae* pro *bibliopigae*. p. 389. l. 12. tolle comma poſt *vrbis*. p. 391. l. 3. *indicandis* pro *inclinandis*. ib. l. 19. *honeſtate* pro *honeſtates*. p. 406. l. 2. *quos* pro *quae*. p. 414. not. l. vlt. *exituram* pro *exiturum*. p. 417. l. 23. *per* pro *poſt*. ib. l. 30. *commemorat* pro *commemorant*. l. 31. inſere comma poſt *notat*. p. 428. l. 34. *Meletius* pro *Meletiis*. p. 454. l. 21. *eo* pro *ex*. p. 461. l. 21. *Huic* pro *Hinc*. ib. l. 24. et 25. lege *nimiam opinionem* pro *nimia opinio*. p. 532. l. 7. *lectitationi* pro *lectitatione*. p. 574. l. 15. lege *ipſum et Hieronymum*. p. 577. not. l. 1. poſt *eſt* inſer comma. l. 2. poſt *rediiſſe* punctum. p. 578. l. 1. *Hieronymi* pro *Rufini* puncto praecedenti deleto. p. 610. l. 28. l. *deberi*. p. 650. l. 6. comma pone poſt *inhabitabat*, dele poſt *nomine*. p. 672. l. 10. inſere comma poſt *eſt*.

BIBLIO-

BIBLIOTHECAE PATRVM LATINORVM HISTORICO LITERARIAE

CAPVT PRIMVM

De Pſeudographis quibusdam, qui ſaeculo primo et ſecundo adſcribi ſolent.

Auſpicari ſolent, qui de Patrum Latinorum vita et ſcriptis ante nos egerunt, ſeriem eorum a Pſeudographis nonnullis, quorum ſcripta cum diu iam et auctorum, quos mentiuntur nominibus et huic aetati fraude ſatis pingui Minerua compoſita affícta eſſe melior critices vſus edocuerit, nos quidem eis recenſendis ſuperſedere poſſe arbitrati ſumus. Interea fontes indicare placuit, vnde, ſi qua de illis quaerendi inciderit neceſſitas, qui velit, haurire poſſit. Itaque de *Marcello Romano* adeundi ſunt *Caue.* edit. Oxon. T. I. p. 26. *Fabricius* Bibl. M. et Inf. Lat. ed. Manſi T. V. p. 21 ſq.; de *Martiale Lemonicenſi* *Dupinius* ed. Pariſ. 1692. 4. T. I. p. 283. *Caue* T. I. p. 36. *Oudinus* T. I. p. 66 ſq. *Nurrius* App. T. I. diſſ. IX. *Samarthanus* Gallia Chr. ed. Pariſ. 656. T. II. fol. 630. *Riuetus* Crit. S. I. cap. VII. denique prae caeteris inſignes libri *l' Hiſt. Litt. de France* (par Benedictins) T. I. p. 406 ſqq. et *Fabricii* B. M. et I. L. T. V. p. 34. qui poſterior plures etiam libros huc pertinentes indicauit. Nouiſſime de eo egit *P. Placidus Sprenger*, Benedict. et Bibliothecar. in Banz in *Theſ. rei Patriſticae* T. I. p. 303 ſqq. Porro de *Aureliano Lemouicenſi* videas licet *Oudinum* T. I. p. 72. *Fabric.* B. M. et I. L. T. I. p. 153. ad Aurelia-

num Remenſem, qui circa a. DCCCC. vixit, item *Magnam Bibl. Eccl.* cuius primus idemque vnicus Tomus Coloniae Allobr. 1734. forma max. prodiit, p. 795. de *Alexandro I.* vero, Pontifice Romanorum VII. *Caueum* p. 47. *Fabric.* libro I. T. I. p. 58. Magnam Bibl. Eccleſ. p. 253 ſq.; denique de *Pio I.* Pontifice Romano, Hermetis presbyteri fratre iidem ſaepius aduocati auctores *Caueus* p. 65 ſq. et *Fabric.* l. l. T. V. p. 300. nec non laud. P. *Sprenger* in Theſ. rei Patr. T. II. p. 137 ſqq. ſcitu neceſſaria ſuppeditabunt.

CAPVT ALTERVM

De TERTVLLIANO, *Patrum Latinorum principe in confiniis ſaeculi ſecundi et tertii conſtituto.*

§. 1. Vita eius. §. 2. Scripta. §. 3. Eorumque editiones.

§. 1. Vita. *Quintus Septimius Florens* TERTVLLIANVS natus eſt Carthagine patre centurione proconſulari. Tametſi certis quidem indiciis ipſe annus, quo natus ſit, quoque deceſſerit, non conſtet, tamen a vero minime abeſſe videntur ii, qui ante medium ſaeculi ſecundi lucem illum aſpexiſſe, diem vero obiiſſe anno CCXX. ſtatuunt, ducti imprimis, vt alia taceamus argumenta, quae ex ipſis eius libris colligi debent, Hieronymi rationibus, qui ſub Seuero maxime et Antonino Caracalla eum floruiſſe et ad decrepitam fere aetatem vixiſſe memoriae prodidit. Gentilem ſe fuiſſe, nec moribus quidem candidiſſimis ipſe fatetur;*) tempus

*) Paſſim in libro *de poenitentia.* Tametſi haec ne adeo ſeuere accipiamus, indoles hominis rigida vetat, qua ſiebat,

tempus tamen quando, et ratio, qua ad fidem chriſtianam amplectendam impulſus fuerit, incerta ſunt. Rhetoricam eum eſſe profeſſum, vel cauſas etiam in foro dixiſſe, antequam Chriſto nomen daret, plurimorum virorum doctorum, eaque probabilitate certe non deſtituta ſententia fuit. Vt enim Tertullianus in libris, qui aetatem tulerunt diſciplinarum et exemplorum hiſtoriae veteris totiusque antiquitatis doctrinae copias paene immenſas protulit, ita incredibili imprimis legum iurisque ſcientia pollere eamque nimis etiam prae ſe ferre cenſetur. Hanc ergo vt alia via, quam ſtudio ad certos vſus accommodato aſſequi potuerit, pauci admodum, qui ſibi perſuaderi ſinant, eſſe videntur, licet hariolando vlterius non proficiant. Talem vero doctrinam cum ingenio ſubtili et in paucis eximio ornaret raraque morum ſeueritate colluſtraret Tertullianus, fieri aliter vix potuit, quin magnum in eo pro ſtatu temporum illorum eccleſiae eſſet praeſidium. Quod tamen labefactatum breui et tantum non penitus euerſum eſt, cum idem ille vir, Montaniſtarum placita deperiens, a catholica eccleſia, cuius adhuc presbyteri munus Carthagine ſuſtinuerat, plane ſe ſegregaret. Cuius tam ſubitae conuerſionis tempus non magis certo cognitum habemus quam cauſſas; quamquam de his tantopere laborandum non erat. Satis enim eſſe poſſit, hominis auſterum ac rigidae ſeueritatis ingenium noſſe, quo intelligas, quam valde omnia Montaniſtarum placita congrua atque grata ei eſſe deberent. Neque vero Hieronymi ſententiam prorſus contemnendam duxerim, immo crediderim inuidia ac contumeliis clericorum Romanorum ſuf-

A 2 flatos

fiebat, vt ei, vitam anteactam reſpicienti, coloribus tantum non teterrimis quaecunque feciſſet, apparerent.

ſlatos eſſe non ſane languidos per ſe animi ignes. *) Grauior altera videtur eſſe quaeſtio, quonam primum tempore ad Montaniſtas Tertullianus defecerit, propterea quod librorum, quorum numerus ſupereſt ſatis magnus, intelligendorum rerumque chriſtianarum iſtius aetatis cognoſcendarum ratio ab accurata huius momenti diſceptatione pendet; quo ipſo quoque veritatis inueniendae diſſicultas augetur, cum, niſi de doctrina et momentis vnius cuiusque libri certam antea et exploratam ſententiam habeas, de aetate huius mutationis tuto pronuntiari non poſſit. Enimuero id

*) Enimuero hanc Hieronymi ſententiam Cel. *Semlerus in diſſ. de varia et incerta libr. T. indole* ita fouet, vt Romae quidem fuiſſe Tertullianum ſtatuat et Romanae eccleſiae clericis adſcriptum, donec Montaniſtarum res laetiori quo aliquantiſper apud Epiſcopum Romanum frui viderentur ſucceſſu per Praxeam eſſent fraudatae: quo facto ab illis ſeceſſerit; et vero Hieronymi in Romanos clericos, quorum malignitatem poſt Damaſi mortem ipſe expertus eſſet, indignationi aliquid tribuat, cumque contra veritatem poſuiſſe putet, *Tertullianum ab epiſcopo Romano clericorum ſtudiis improbis, loco et ordine motum atque ex eccleſia eſſe expulſum*, quae viri S. verborum Hieronymi eſt interpretatio. *Noeſſeltus* quoque V. S. V. Hieronymi ſententiam credibilem non cenſet, propterea quod magnis laudibus Romanam eccleſiam in libro *de praeſcript.* Montaniſtico, proſequatur, nec in eo *aduerſus Praxeam* c. I. vbi vehementer eum, adulterantem illam eccleſiam, inſectatur, quidquam contumeliarum in ipſam hanc eccleſiam, eiusue Epiſcopum proiecerit. Ergo fortaſſe cum *Schroeckhio* (Hiſt. Eccleſ. vern. ſermone conſcripta T. III. p. 319.) ſentire malis, Tertullianum non quidem loco ſuo machinationibus clericorum Rom. pulſum eſſe, ſed quod montanizantem forte in libellis ſuis non ſine contumelia obiurgaſſent, incitatum, vt quos errores adhuc tantum deguſtaſſet, eos iam auide imbiberet.

id iam virorum Dd. diligentia in hac disquiſitione conſecuti ſumus, vt anno CC. pro certo paene eam adſignare liceat. Vbi vero ſemel Tertullianus nouae ſectae Montaniſtarum ſe addixiſſet, catholicae eccleſiae mores inſtitutaque paene ſingula praua atque corrupta ducere et acerbiſſime inſectari coepit, nec ab eo rigore ante vitae finem deſtitit, ſed, vt opinari licet, animo in iſtos aduerſarios obiit inimiciſſimo. Pamelii hariolatio eſt, Tertullianum vxorem, quam ſiue gentilis adhuc ſiue poſt baptiſmum demum duxerat, vbi presbyter factus eſſet, continentiae voto adſtrinxiſſe; quo ſtatuendo vt praeiudicatae diſciplinae ſuae opinioni litauit, quae clericos iam primis iſtis temporibus coniugio abſtinere debuiſſe ponit, ita Tertullianum, vt ſecum ſentire videatur, mirifice torquet. *)

Scriptorum eius, licet multa iam ſua aetate periiſſe teſtetur Hieronymus, magnus tamen numerus etiam nunc extat, ſed quibus a tempore, quo condita ſint ſingula, non parum tenebrarum obfunditur. Et quamquam non defuerunt permulti Viri Dd. qui illuſtranda hac caligine ſtudium et doctrinam impenderent, vt in ſingulari opere, quod *Apologeticus* inſcribitur, mirifico acumine *Moshemius* **) fecit, vniuerſis autem poſt *Pamelium* nuper demum S. V. *Noeſſel-* §. 2. Scripta eius.

A 3 *tus*

*) Nam libros *ad vxorem* ſtatim poſt conuerſionem eum exaraſſe contendit, quos tamen non ante quam aetate iam prouecta ſcripſiſſe conſtat, quique tum quoque cum vxore eum vixiſſe monſtrant.

**) In commentatione chronologico-hiſtorica de aetate apologetici Tertulliani et initio perſecutionis chriſtianorum ſub Seuero; in *diſſertatt. ad hiſt. eccleſ. pertinentibus, Vol. I. p.* 1. et repetita in ed. Tertulliani, Venet. 1744. f.

*tus**) praeſtitit: vix tamen ab omni dubitatione liberari planeque explicari poſſe haec res videtur, cum nec aetatis, nec doctrinae librorum vbiuis certa ſatis expreſſa ſint veſtigia. Nam Pamelius vt in vita Tertulliani enarranda, ita et in ſcriptis eius ad certum temporis ordinem reuocandis multa ſibi indulſit, quae curioſum earum rerum indagatorem minime decebat, et partim opinionum auctoritate ductus, partim diuinando audacius et multa praepoſtere ſtatuendo eo rem adduxit, vt paene nihil effeciſſe dicatur. Sed Noeſſeltus nouo ſtudio et ſedulitate doctrinae copiis et ſubactae mentis acie non inferiori rem adgreſſus egregie profecto expediuit, vt tamen et aliis nonnulla ſe reliquiſſe, ipſe vltro profiteretur. Atque iam vir longe celeberrimus *Semlerus* de conaminibus ſuis in Tertullianum praeclara nos augurari iuſſit in *diſſertatione prima de varia et incerta librorum Tert. indole*, qua librum *contra Iudaeos* ex libris *aduerſus Marcionem* miſere et inepte compilatum eſſe probauit. Quae viri ſolertiſſimi opera ne magnis excidat auſis, nemo non erit, quin nobiscum optet. A noſtro autem conſilio cum omnis de doctrina librorum et ipſo adeo argumento quaeſtio plane ſit ſeiuncta, nec muneris noſtri eſſe putamus, denuo rationes ſingulorum de aetate libri cuiusque dispungere, nec virium noſtrarum, nec otii nec ſtudii denique nouam harum disquiſitionum telam exordiri. Recenſum damus ex ordine chronologico Pameliano,**) cui in fine Noeſſeltianae criſeos ſumma erit ſubiecta.

Super-

*) In tribus de vera aetate ac doctrina ſcriptorum, quae ſuperſunt, T. diſputationibus, quae in vnam redactae et altera vice editae ſunt Halae 1768. 4.

**) Quem ipſe tamen in adornanda T. editione non ſecutus eſt.

Superſunt igitur:	*ſcripti ex Pam. ſententia:*
Liber *de Pallio*	A. p. C. n. 196.
adu. Iudaeos	199.
Apologeticus	200.
de Teſtimonio animae	
de poenitentia	201.
de oratione	
ad Scapulam	
ad Martyras	202.
de patientia	
de praeſcriptionibus	203.
de baptiſmo adu. Quintillam	204.
de ſpectaculis	
de idololatria	
de habitu muliebri	205.
de cultu feminarum	
ad vxorem	
aduerſus Hermogenem	
aduerſus Valentinianos	206.
de anima	
de carne Chriſti	
de reſurrectione carnis	208.
aduerſus Marcionem	
de corona militis	209.
Scorpiace	
de virginibus velandis	210.
aduerſus Praxeam	
de fuga in perſecutione	212.
de exhortatione caſtitatis	
de monogamia	213.
de ieiuniis	215.
de pudicitia	216.

Noeſſeltus V. horum librorum *claſſes* conſtituit, quarum *prima* eos complectitur, qui tempore prio-

 ris

ris vexationis Chriſtianorum ſub Seuero Aug. ſcripti ſunt, quo refert librum *ad Martyras* a. 197. *de ſpectaculis* et *de idololatria* 198. *apologeticum*, *libros II. ad nationes et librum de teſtimonio animae* 199; *altera* eos habet, quorum de aetate et erroribus Montaniſticis conſtat. Quo referuntur liber *de corona* ad a. 201. *libri II. de cultu feminarum* ad a. 201. vel 202. liber *de fuga in perſecutione* ad a. 202. *Scorpiace* ad a. 204. *libri V.* qui ſuperſunt *aduerſus Marcionem*, quorum *primus* refertur ad a. 207. aut 208. caeteros dubiae aetatis eſſe docetur; liber *de pallio*, ad a. 208. *l. ad Scapulam*, ad a. 211; *tertiae* claſſi adſcripſit libros, quos, quamuis incertae aetatis ſint, tamen conſtat ſcriptos ante eius defectionem fuiſſe, nempe librum *de oratione*, *de baptiſmo*, *libri II. ad uxorem*; *quarta* claſſis libros ſiſtit, quorum non niſi Montaniſmus patet, quales cenſet librum *de patientia*, *de velandis virginibus*, quem primum fortaſſe librorum Montaniſticorum eſſe opinatur V. Celeb. *de exhortatione caſtitatis*, *de monogamia*, *de ieiuniis*, *de pudicitia*, *aduerſus Praxeam*, *aduerſus Hermogenem*, *de anima*, *aduerſus Valentinianos*, *de praeſcriptionibus haereticorum*, *de carne Chriſti*, *de reſurrectione*; *quinta* denique claſſis eos continet, quorum nec aetas, nec doctrina certa eſt, eaque libris *de poenitentia* et *aduerſus Iudaeos* abſoluitur.

Neque vero ſcriptis *ſuppoſitis* Tertullianus caruit, cui non ſolum *Nouatiani* libelli *de Trinitate* et *de cibis Iudaicis* ſunt tributi, ſed adſcripta etiam *poemata*, *geneſis* nimirum et *Sodoma*, *de ligno vitae*, *de iudicio Domini*, *carmen ad ſenatorem*, et *libri V. aduerſus Marcionem*. Idemque accidit libello *de haereſibus*, qui libro *de praeſcriptione aduerſus haereticos*, veluti appendix a capite 45. vſque ad finem adiungi ſolet, et tractatui *de definitionibus fidei*, quem Genna-

Gennadio Pamelius aſſerit, vt antea iam Eraſmus ad Auguſtinum fecerat; nam et inter huius opera non maiori iure reponitur. De his autem omnibus diligenter ſuis locis ab editoribus actum; nec deſunt peculiares, quibus hoc argumentum pertractatur, commentationes, quas enumeratas iudicio ſingulis appoſito inuenies in *Walchii* Biblioth. Patriſtica, cap. IV. a p. 199 ſqq. ad quam ſemel in his prouocaſſe ſufficiat.

Primum *vniuerſim* quaedam; deinde *Annales earum* ſubiiciamus. §. 3. Editiones.

Tertulliani *Apologeticus* reliquorum eius operum editionem longo admodum temporis ſpatio anteuertit, editus primum *Venetiis per Bernard. Benalium, anno* non expreſſo quidem, ſed diuinatione non improbabili aſſequendo 1483; incertum vero, vtrum ſeorſim, an cum Lactantio, cui deinceps plerumque adiunctus conſpicitur. Textus eſt admodum foedus. Codicis alicuius, vnde exſcriberetur, indicium prorſus et ab hac principe et proxime ſequentibus editionibus, quae merae huius repetitiones eſſe videntur, abeſt. Primus ei emendando manum admouit *Baptiſta Egnatius*, dum *Aldinae* operae vna cum *Lactantio* eum luci iterum darent a. 1515. ſolius tamen ingenii, quod quidem non mediocre erat, ſagacitate confiſus. Sero demum ſucceſſerunt *reliqua* noſtri, tantum non omnia *Baſileae apud Frobenium* 1521. Inſtaurator fuit *Beatus Rhenanus*, doctus vir, et qui ingenii alacritatem inſigni in textum religione temperaret. Exhibentur 23. opuſcula, ad duorum Codicum, quos tamen admodum mendoſos fuiſſe queritur, fidem expreſſa, coniecturis ſuis adſcriptis, non tamen inſertis textui. Habet autem haec editio quamquam textum parum accuratum, accedebat enim ad Codicum deprauationem ipſius ſermonis Tertullianei

nouitas ac indoles plane ſingularis; multas tamen do-tes, quae huius aetatis editionibus, nedum principibus raro contigerunt, argumenta ſingulis opuſculis praefixa et al. Neque vero hic ſubſtitit viri laudati diligentia, ſed, quod in votis habuerat, nactus, exemplar MS. correctius coenobii Gorzienſis a. 1539. editionem emiſit et emendatiorem longe et aliis copiis inſtructiorem, operam in recognoſcendis plagulis praeſtante *Sigiſm. Gelenio*, id quod hunc ipſum quoque virum Tertulliano conciliauit, vt XI. annis poſt *tertia Baſileenſi* procuranda nouus T. ſoſpitator exiſteret. De *Gagnaei* enim meritis, cuius editio a. 1545. *Pariſiis* XI. ſ. IX. potius opuſculis auctior prodiit, quae dicam, non habeo. Gelenius autem eosdem, quos Pariſienſis illa recens produxerat, tractatus omnes ex MS. Codice Anglicano longe emendatiſſimo *editioni tertiae Baſileenſi* a. 1550. inſeruit, nonnullosque praeterea libellos, iam in ſuperioribus editionibus exſcriptos, eiusdem Angl. Cod. ope non parum ſanauit.

Hae *tres Baſileenſes editiones* pluribus vicibus ſunt repetitae, licet ſecundae repetitionem expreſſe memoratam non inuenerim. Tertiam exſcriptam quoque dedit an. 1580. Pariſiis *Renatus Laurentius de la Barre*, propter ea, quae addidit laudibus ſuis, non fraudandam.

Nouam editionum familiam et ſuperioribus immenſum quantum praeſtantiorem ab a. inde 1579. ducit *Iacobus Pamelius Brugenſis*. Nimirum hic et emendandi et diſpertiendi et illuſtrandi textus prouinciam pro aetatis illius ingenio mirifice profecto ſuſtinuit. Ad manus erant Codd. Vaticanorum trium et aliorum quorundam collationes. Certatim repetita eſt haec editio in Belgio, Gallia et Germania, inter quas ea potiſſimum, quam *Franciſcus Iunius* curauit

et

et quae *Franeckerae* 1597. prodiit, vt et *Pariſienſis* a. 1598. eminent; vtraque enim futuro T. editori nouas opes criticas non contemnendas collegit.

Interea conſentiente plurimorum Virorum Doctorum in Tertullianum ſtudio nonnihil profectum eſt. Prodierunt enim a. 1603. *Wouwerii notae epidicticae; Salmaſius* totum ſe libro *de Pallio* expoliendo dedit; *Heraldi* felici acumine et doctrina egregia *Apologeticus* enituit; *de la Cerda* nouam operum omnium editionem molitus eſt et partem aliquam copiis ſuis locupletatam emiſit; *Iac. Gothofredus* librorum quoque numerum auxit, editis primum e Codice Agobardi et illuſtratis *duobus ad Nationes libris*; denique *Rigaltius*, editis a. 1628. ex eodem Codice Agobardino *nouem Tertulliani libellis* oſtendit, quid ille ſibi ab ipſo ſperare deberet. Nec defuit ſane diu expectationi. Ei enim debetur Tertulliani recenſio, quae, poſt ſaeculi vnius et dimidii decurſum adhuc doctis omnibus probatur, nec facile a quoquam ſuperabitur, niſi quis huius veſtigia premens fortuna benigniori vtatur et ſubſidiis prorſus ſingularibus, quibus ille carebat, ſit inſtructus. Nempe Rigaltius primum ſe penitius ingenio Tertulliani noſcendo dedit, cumque in eo eſſet iuris antiqui peritia cum literarum humaniorum ſtudio arctiſſime coniuncta, ſermonis habitui et colori ita adſueuit, vt de corruptelis et cauſſis corruptelarum ipſius iudicium longe quam ſuperiorum editorum eſſet expeditius. Ac viſus ſibi eſt animaduertere primum hoc, quod ſane ad omnem in Tertullianum criſin moderandam plurimum valet, Tertullianei textus formam ac ſpeciem natiuam multo, quam vulgo exiſtimari ſolebat, prius eſſe amiſſam et perditam, ex quo ſcilicet corrigi cepiſſet, quem capere homines male feriati et intentius ſtudium abhorrentes non poſſent. Hanc autem contagionem

omnes

omnes omnino, qui eo vſque in vſum vocati eſſent, codices obſediſſe, adeoque de textu ad eorum fidem feliciter reſtituendo tantum non prorſus deſperandum eſſe contendit. Nam vnum codicem Agobardinum, vixdum repertum ad exemplaria nondum male ſano iſto ſtudio correcta deſcriptum eſſe praedicat; praeter quem ex variis Codicibus, melioris notae, ſed non indicatis, Lectiones F. Vrſini manu editionis Pamelianae marginibus adſcriptae ei obtigerant: laude etiam ſua dignas iudicabat Schoppianas illas ex Fuldenſi, et Lat. Latinii ex Vaticano Codice notatas et a Iunio ed. laud. Franeck. prolatas.

His ergo paucis quidem, ſed ſelectioribus ſubſidiis criticis, et ingenio maiori et familiaritate cum Tertulliano contracta arctiori textum Rigaltius prodidit nouum plane et a priori perquam diuerſum a. 1634. et ſecundis curis 1651.

Poſt mortem eius eandem ſouit *Philippus Priorius*, qui primum recudendam curabat an. 1664; ad cuius deſcriptionem deinceps conſtanter Tertullianus excuſus eſt. Nouum lumen *Apologetico* ab *Hauercampii* ingenio illuxit, cuius cura ſolertiſſima ille anno huius ſaeculi decimo octauo prodiit. Quodſi plures Hauercampios fortuna Tertulliano daret, ſperandum eſſet, fore, vt perfectam operum eius editionem non tantum in votis habeamus, ſed vere aliquando conſequamur. —

Nupera *Halenſis editio* ad excitandum denuo, quod iam diu inter noſtros homines refrixerat, Tertulliani ſtudium comparata, ab initio quidem Rhenanianam primam repetendo eamque pro arbitrio ex reliquis interpolando non ſatis certum ſibi conſtituiſſe videbatur finem; vbi Rhenaniana deficeret, Pamelium et Rigaltium ſequi cepit, Salmaſii tamen in libro de Pallio et Hauercampii in apologetico auctoritate

tate potiore habita. Halenſem maximam partem repraeſentauit nouiſſimus Tertulliani editor, Cl. *Oberthür,* in deſcriptione *Wirceburgenſi.* — Sequuntur iam *ſingularum editionum annales.*

SAECVLO XV.

(1483.)

Q. Septimii Florentis Apologeticus aduerſus gentes. Impreſſum *Venetiis per Bernardinum Benalium. ſ. a. nota. fol.* Charactere eleganti gaudet, literis initialibus minio adpictis. Singulatim quidem hic Tertulliani libellus in Bibliotheca Regio - Acad. Goett. extat et memoratur in Biblioth. Pinelliana T. I. Patr. Lat. n. 683. Sed, ni fallor, ad Lactantianam editionem ab eodem Bern. de Benaliis factam et a Fabricio commemoratam pertinet, quam, quia forte rarior ſit, nolim continuo cum Bünemanno in dubium vocare, et inſunt indicia, quae attentum obſeruatorem aduertere poſſunt in huius libelli habitu, veluti Capitum tabula ipſum praecedens, quae ſic exſcripta eſt, vt fere in reliquis Tert. Apologetici cum Lactantio editionibus exſcribi ſolet, in dimidia fere parte paginae ſecundae folii primi; tum ipſius anni notae defectus, vix obuius in huius loci et typographi editionibus; deinde quod poſt ſubſcriptionem ſubiicitur: *Sermo de vita eterna,**) qui pariter cum ſequentibus Lactantii edit. quae Tertulliani Apologeticum adiunctum habent, plerumque prodiit. Poſſunt haec ſaltem excitare VV. DD. vt curioſius de his, vbi licet, diſpiciant.

1493.

*) Ad verbum inſcriptus: *Item Sermo de vita eterna Caput XLVII.*

1493.

Mediolani per Vldericum Soinzinzeler. fol. Q. Septimii Flor. Tertulliani Apologeticus adu. gentes. *Cat. Bibl. Pinell. P. Lat. 682. T. I.*

1494.

Venetiis cura et expenſis Nobilis viri Domini Octauiani Scoti Modoetienſis MCCCCLXXXXIV. quinto Idus Octobris per *Bonetum Locatellum:* Q. Sept. Tertulliani Apologeticus: cum Lactantio; quem vide ſis.

1500.

Pariſiis, ap. *Io. Petit.* 4. Tertulliani apologeticus. Cum Lactantio, ſi coniecturae fidere licet. Sed vide de ipſa editione quae ſuo loco diſputantur.

SAECVLO XVI.

1501-1600.

Cum Lactantio iterum iterumque prodiit Tertulliani apologeticon: 1502. *Venet.* fol. 1509. *Venet.* fol. 1509. *Pariſ.* 4. 1511. *Venet.* fol. 1513. *Pariſ.* 4. *Florent.* 8. ap. *Phil. Iunt.* de quibus ſingulis ſuo loco conſtabit. Iuntinae exempla ſeorſum etiam reperias, vid. Cat. Bibl. Pinell. PP. Lat. n. 684. et noſtra ad Lact. hanc ed. id quod de ſequenti etiam editione valet.

1515.

Venetiis in Aedibus Aldi et Andreae Soceri Menſe Aprili M. D. XV. In fronte: Tertullianus. — praemittuntur, praeter Io. Bapt. *Egnatii* Ven. ad Gaſp. Contarenum Patricium Venet. et philoſophum praecipuum epiſt. dedicatoriam, Hieronymi vita Tertulliani, et Capp. tabula. Ac de ſua quidem opera

Egnatius:

Egnatius: „*Erat vero hic*, inquit, *praeter illam ab Afris omnibus vſurpatam in ſcribendo affectationem, lacer totus et mutilus, vt nulla in eo pars non foeda cicatricibus eſſet. Quas ita pertinaci ſtudio pro virili ſanauimus, vt citra aliam dotem forma ipſa commendari prodiens iam poſſit. Nam, ſi quis adhuc ſupererat naeuus, illum aut veteri reſtituto colore ſubduximus, aut in ea corporis parte relictus eſt, vt ipſos Pronubos fallere in perpetuum, maritis vero etiam diu placere poſſit.*"

1521.

Operum Tertulliani ed. princeps.*) *Baſ. apud Froben. fol.* „Opera Q. Septimii Florentis Tertulliani inter Latinos eccleſiae ſcriptores primi, ſine quorum lectione nullum diem intermittebat olim divus Cyprianus, per Beatum Rhenanum Seletſtadienſem e tenebris eruta atque a ſitu pro virili vindicata, adiectis ſingulorum librorum argumentis et alicubi coniecturis, quibus vetuſtiſſimus autor nonnihil illuſtratur. Quorum catalogum proxima pagina reperies. Floruit ſub Caess. Seuero Pertinace et Antonino Caracalla, valde vicinus Apoſtolorum temporibus, circa annum a Chriſto paſſo CLX. Quare boni conſulenda

*) *Sandius* in tr. de Vet. SS. Eccl. praef. Nucleo Hiſtor. Eccl. (Ed. IIda, Coloniae 1676. 4.) eam Baſ. 1515. f. Tertulliani opera impreſſam commemorat. Idem aſſerit *Ceillier* des Aut. Eccl. T. II. p. 525. Quibuscum facere videri poſſit *Pamelius* in Ep. Ded. ad Pont. M. vbi Rhenanum Scholiis, *deinde et* Adnotationibus illuſtraſſe Tertullianum dicit. Sed haec non diſerte ſatis elocutus mihi videtur. De ed. an. 1521. quin prima ſit, dubium non eſt. In Cat. Bibl. Chig. laudatur: cura Beati Rhenani Seleſtadienſis et *Conradi Pellicani.*

ſulenda ſunt huius ſcripta, ſi alicubi varient a receptis horum temporum dogmatis, cum omneis ſynodos anteceſſerit, Apoſtolicis illis exceptis, quarum in Actis Lucas commeminit. Gaude, lector, et hunc tibi rarum ac nouum theſaurum para, ac Vale." In calce, folio ante indicem proximo: *Baſileae apud Io. Frobenium: Menſe Iulio. An. M. D. XXI.* Opera, quae in hoc volumine continentur, quorum catalogum pagina tituli auerſa praebet, haec ſunt: De Patientia Liber. De carne Chriſti. De reſurrectione carnis. De praeſcriptione haereticorum. Aduerſus omneis haereſes. Aduerſus Iudaeos. Aduerſus Marcionem Libri V. Aduerſus Hermogenem. Aduerſus Valentinianos. Aduerſus Praxeam. De corona militis. Ad Martyres. De poenitentia. De virginibus velandis. De habitu muliebri. De cultu foeminarum. Ad vxorem ſuam Libri II. De fuga in perſecutione. Ad Scapulam. De exhortatione caſtitatis. De Monogamia. De Pallio. Apologeticus aduerſus gentes.

Ceperat edendi Tertullianum conſilium Rhenanus, cum forte in codicem vetuſtum *Paterniaci* coenobii (*Paeterlingen*) Transiurano incidiſſet, mox adiutus etiam codice *Hirſaugienſi* (*Hirſchau*). Vtrumque tamen tam corruptum et mendis plenum, ſimul ſcripturam vtrobique tam ſimilem deprehendit, vt alter ab altero deſcriptus videretur, et ni ſemel vixdum inſpecti libri, dum Frobenii praela vacarent, typis excudi coepti eſſent, omnino ab opere deſtiturum ſe fuiſſe aſſirmat. Secutus ergo in profligando labore hoc eſt, vt „*quando loca mendoſa deprehenderet, et non ſubuenirent exemplaria, ſciens religioſe eſſe tractanda autorum ſcripta non ſecus ac res ſacras, nihil mutaret, ſed coniecturas, quae tum in mentem forte veniebant, in marginibus adiiceret, quarum nonnullae,*

nullae, inquit, *nec mihi multum arrident*, *verum cupiebam lectorem dubitaturum adiuuare. quod ſi non vbique ſucceſſit*, *non eſt idcirco damnandus conatus.* Pergit: *Vtinam mihi copia fuiſſet exemplaris quod in Gorzienſi coenobio ſeruatur*, *id abeſt ad tertium milliarium ab vrbe Mediomatricum*, *et item eius quod apud Fuldam extat*, *vel eius*, *quod eſſe Romae ferunt. Sed ſpatiis iniqui temporis excluſi*, *non potuimus ea nanciſci. Quamquam vereor nihil noſtris eſſe emendatiora. quando codices quibus vſi ſumus Hirſaugenſis et Paterniacenſis tam conſtanter per omnia conſentiebant*, *ex diuerſis allati bibliothecis*, *et non vno tempore deſcripti. Sed huius conferendi laborem aliis committemus.*"

Praeter argumenta, ſingulis libris vna cum annotatiunculis praemiſſa, praefixit Rhenanus vitam Tertulliani, itemque diſputationem, ſub nomine *admonitionis ad lectorem de quibusdam Tertulliani dogmatis;* ſubiunguntur vero *Definitiones eccleſiaſticorum dogmatum*, poſthac Gennadio adſcriptae, et index denique dictionum ſententiarumque ac dogmatum. Inſcripſit opus Principi Stanislao Turzo, Epiſcopo Olomutzenſi. Ab artificio typographico haec editio eſt ſatis inſignis, tum charactere magno et nitido, tum figuris vel emblematicis, vel mythologicis et hiſtoricis ligno impreſſis, quae partim margines tituli, itemque primae dedicationis, et deinde ipſius textus paginam primam cingunt, partim literis initialibus maioribus acceſſerunt.

1525. 1528.*) 1536.

Baſ. ap. Froben. f. repetitiones primae.

1539.

*) In Cat. Bibl. Muſ. Britt. T. II. laudantur: Opera — cum annot. B. Rhenani et Fr. *Iunii!* Baſ. 1528. f. inepte!

1539.

Baſileae. f. *Baſileenſis II.* Opera Q. Septimii Florentis Tertulliani Carthaginenſis, inter Latinos eccleſiae ſcriptores primi, ſine quorum lectione nullum diem intermittebat olim diuus Cyprianus, per BEATVM RHENANVM Seletſtadienſem e tenebris eruta, atque a ſitu pro virili vindicata, adiectis ſingulorum librorum argumentis, et nullibi non coniecturis; ac nuper collatione Gorzienſis exemplaris ex Mediomatricibus oblata, non ſolum longe emendatiora facta, verum etiam pro re nata nouis ac retextis annotationibus expoſita illuſtrataque. Quorum catalogum proxima pagina reperies. Floruit ſub CAESS. Seuero Pertinace, et Antonino Caracalla, valde vicinus Apoſtolorum temporibus, circa annum a Chriſto paſſo CLX. BASILEAE MDXXXIX. MENSE MARTIO. De hac ſecunda editione audiamus, quae ipſe Rhenanus literis praefixis, dat. Seletſtadii ſub Cal. Mart. MDXXXIX. ſcribit: „Iterum damus Tertullianum, ſed emendatiorem, quam antehac. Cuius rei cauſa, quod collationem eius codicis, qui Gorziae in Mediomatricibus aſſeruatur diligentia ac dexteritate Huberti Cuſtinei — adiuuante Dominico Florentino ſodali peractam, cura ICti D. Claudii Cantiunculae Ferdinandi Caeſaris a conſilio, tandem nacti ſumus. Nec vero tantum profuit illa, quamquam multum profuit, quantum momenti attulit ad exactiorem caſtigationem, quod deprehendimus ſubinde graeciſſare Septimium figuris et conſtructionibus Graecis vtentem. Apparet ſane noſtrum autorem in lectione Graecorum veterum qui plurimi id temporis et ſoli inter ſacros interpretes habebantur aſſidue verſatum, vt imbibitam et impreſſam memoriae Graecorum dialecton etiam latine ſcribens interobliuiſci nequiret. Nos huiusmodi tropos indicauimus,

mus, et quidem ſaepe craſſius modo apertius; nam voluimus adiuuare ſtudioſos. Iam dedit retexendarum annotationum anſam collationis iſtius opportunitas, vbi lectio poſterior a priore nonnunquam euariat. Hoc quoniam erat indicandum, aliam etiam expoſitionem mutata verba deſiderabant. Non licuit adeſſe Baſileae, dum aeditur opus. Verum Sigismundus Gelenius, homo magni in literis iudicii, et eruditione ſumma praeditus, in recognoſcendo opere vicariam operam in officina praeſtitit, qui merita laude non eſt fraudandus." — Hanc nouae ed. praefationem excipiunt *Prouerbia aut Prouerbii ſpeciem referentia, quibus paſſim in ſcriptis ſuis vtitur Sept. Tert. a vulgo maximam partem deſcripta*, tum repetita ex priori ed. epiſtola nuncupatoria et vita Tertulliani. *Admonitio* de quibusdam Tertulliani dogmatis ad calcem receſſit, Definitiones eccleſ. dogmatum penitus omiſſae ſunt. Index nouus et prorſus alius eſt. Ad margines textus dicta et ſententiae inſigniores diligenter notatae. Adnotationibus ad libr. adu. Valentinianos acceſſit tabula ligno impreſſa, doctrinam eorum in effigie ſiſtens. Tandem qui ſingularem libellum ſuperiori ed. conſtituerat, tractatus *Aduerſus omnes haereticos*, tanquam particula perperam auulſa libro de Praeſcriptionibus h. ad corpus ſuum rediit.

1545.

Pariſiis fol. per *Gagnaeum*. acceſſerunt Gagnaei opera XI*) libri Tertulliani: De Trinitate lib. I. De Animae teſtimonio lib. I. De Anima lib. I. De Spectaculis lib. I. De Baptismo lib. I. Contra Gnoſticos Scorpiacum lib. I. De Idololatria lib. I. De Pudici-

*) XV. numerat Pamelius in ep. dedic. ed. 1579. ad Pont. M. praefixa; perperam.

tia lib. I. De Ieiunio aduerſus Pſychicos lib. I. De Cibis Iudaicis epiſtola. De Oratione lib. I; ex quibus de Trinitate et de Cibis Iudaicis poſthac Nouatiano vindicati ſunt. Vnde vero Gagnaeus nactus ſit hos libros, cum ipſius editionem oculis vſurpare non contigerit, dicere non habeo, nec reperire quidem potui quemquam, qui huius editionis notitiam dare operae duxiſſet; in Cat. Bibl. Thottianae T. I. P. I. p. 62. hoc anno et loco, forma item maxima memoratas inuenio editiones duas, vnam *Tertulliani opera ex recogn. Beati Rhenani, ap. Carolum Guillard,* alteram per eundem *ap. Hugonem et haeredes Aemonis a Porta.* Vtra harum Gagnaei ſit, an vtraque, neſcio.

1550.

Baſileae. f. *Baſileenſis III.* „Q. Septimii Florentis Tertulliani Carthaginienſis Presbyteri, Autoris Antiquiſſimi ac doctiſſimi ſcripta, et plura quam ante, et diligentius per induſtriam bene literatorum aliquot ad complures veteres e Gallicanis Germanicisque bibliothecis conquiſitos recognita codices, in quibus praecipuus fuit vnus longe incorruptiſſimus in vltimam vſque petitus Britanniam: non omiſſis accuratis BEATI RHENANI Annotationibus. Catalogum autem aperiet verſa pagina. Acceſſit et index copioſior. Baſ. M. D. L. In fine: BASILEAE APVD HIER. FROBEN. ET NIC. EPISCOPIVM ANNO M. D. L. MENSE MARTIO.“ Curauit hanc editionem Sigismundus Gelenius, cuius iam in Rhenani ſecunda partes laudauimus. Ecce eius, quanta quanta ſit, praefationem: „Dici vix poteſt, quanto procliuius omnia degenerent in deterius, quam in melius proficiant. Vel Plinius iam tum prima chalcographia tam miſere fuit tractatus, vt in recurando pluri-

plurimis doctis viris ſudandum fuerit, donec priſtinam reciperet faciem. Idem et Tertulliano huic accidit, in quo, iterum atque iterum ſarciendo quantum ſe exercuerit vir doctiſſimus Beatus Rhenanus, apparet ex adiunctis ipſius Annotationibus; atqui multo facilius erat totum opus denuo transſcribere, ſed non dabatur copia ſatis emendati codicis. Tandem ex vltima Britannia Ioannes Lelandus, vir antiquarius, et feliciori dignus valetudine, communicauit exemplar in Masburienſi coenobio gentis eius vetuſtiſſimo repertum, in quo nihil deſiderare poſſes amplius. Tanta erat integritas, niſi quod aliquot libri deerant. continebat autem et omnia illa, quae acceſſerunt ad poſtremam editionem Lutetiae: quae ſiquis cum hac praeſenti contulerit, videbit non vanum eſſe Gelenium. vtinam habuiſſet codex is etiam reliqua, nihil in hoc ſcriptore requireretur in poſterum. Non deſperandum eſt tamen, ſi tam officinae Frobenianae fauebunt docti, quam illa bene meretur de optimis ſtudiis. Meum laborem imputare non libet, ſenties tamen, lector, quanta poſtrema haec cura ſit potior. Bene vale et fruere, habiturus lectionem planam, quae ante confragoſa erat.“ Exhibet praeter libros ſuperioribus editt. Baſileenſibus vulgatos eos quoque, quos Pariſienſis recens produxerat, ſed e Codice Britannico, in quo ſinguli iſti libri extabant, ex antehac editis tamen modo illi tres: *de Reſurrectione carnis*, *de Praeſcriptionibus adu. haer. et de Monogamia*, reperiebantur. — Praeterea Apologetico acceſſit Commentarius *Franc. Zephyrini* Florentini nunc primum editus. Repetita etiam hic inuenies Rhenani epiſtolam nuncupatoriam, vitam Tertulliani ac Prouerbia et admonitionem de dogmatibus. A chartarum ac typorum elegantia inter nitidiſſimas numerari debet

 haec

haec editio. In Bibliotheca Baluziana h. exemplaris apologeticus c. Cod. MS. collatus erat.

1561.

Pariſiis, *apud Andr. Wechelum.* 4. Q. Sept. Flor. Tertulliani liber de praeſcriptionibus aduerſus haereticos, cum ſcholiis *Io. Quintini* Hedui.

1562.

Baſileae. f. Repetitio editionis a. 1550. in fine: *Baſ. in off. Frob. per Hier. Frob. et Nic. Epiſcopium Menſe Septembri.*

1566.

Pariſiis apud Audoënum Paruum,*) *ſub inter-ſignio Lilii aurei*, *via ad D. Iacobum.* Accurata Gelenianae repetitio. Tomis duobus. 8. in fine cuiusque: *Par. excudebat Andreas Wechelus.* M. D. LXVI. Index Gelenianus (*ab I. G. confectus* quid ſibi velit, neſcio) ad Tomi cuiusque contenta eſt reformatus.

1579.

Antverp. f. „Q. Septimii Flor. Tertulliani Carthaginienſis presbyteri opera, quae hactenus reperiri potuerunt omnia. Iam poſtremum, ad Exemplaria Manuſcripta collatione facta, quam accuratiſſ. recognita, aliquot etiam libris auctiora; nunc primum in capita, et certo ordine habita, quanto fieri potuit temporum ratione, in quinque Tomos diſtincta. cum *Iacobi Pamelii* Brugenſis, Theologi, Archidiaconi Audomaropolitani Argumentis et Adnotationibus toti operi interiectis; quibus tum loci obſcurio-

res

*) Male haec ap. *Robert. Steph.* prodiiſſe Sandio dicitur.

res explicantur, tum quicquid ad antiquitatem eccleſiaſticam ſpectat, illuſtratur. Ab eodem Pamelio recens adiecta Tertulliani vita, ſcripturarum citatarum index locupletiſſimus, aliaque Prolegomena.“ Adiutus eſt auctor nouae huius recenſionis Iacobus Pamelius (*a Pamele*) imprimis tribus MS. membranaceis codicibus Vaticanis Cardinalis Sirleti, Bibl. tum Vaticanae praefecti cura iuſſuque codici excuſo comparatis. Habebat etiam libros MS. Monaſteriorum S. Amandi ac Bauonis et Anglicum codicem, qui penes Io. Clementem Anglum erat; nec non Latini Latinii Itali et Io. Harriſii Angli, ab ipſis cum eo communicatas coniecturas variorumque denique hom. doctorum varias obſeruationes. Quibus adminiculis tantum ſane profecit, vt loca innumera caſtigaſſe, hiulca ſuppleſſe, quaedam etiam ſuperflua, quae ex margine in contextum irrepſerant, non iniuria reſcidiſſe ſibi videretur. Primum etiam in capita libros omnes diſtinxit, argumentaque noua ad capitum diſtinctionem comparata et ipſius Tertulliani verbis conſcripta addidit. Deinde totum opus in quinque Tomos partitum eſt: quorum primo continentur libri aduerſus Gentes et Iudaeos; ſecundo Paraenetica; tertio ſcripta aduerſus Haereſes; quarto Poëmata cum Fragmentis operum, quae deſiderantur; quinto denique ea, quae aduerſus eccleſiam ſcripſit et aliena quaedam; librorum in ſingulis partibus eodem quo conſcripti putantur ordine habito. Admonitionem etiam de Tertulliani dogmatis ſ. erroribus ea quam Rhenanus conſcripſerat, longe locupletiorem et ordine alphabetico confectam cum Antidoto, vt vocat, edidit.*)

 Ordo

*) Prima quidem editio Pamelii ad manus non eſt, neque typographos et bibliopolas, apud quos prodiit, indagare potuimus, ſed deſumta haec ſunt ex ed. Par. 1598.

Ordo vero contentorum hic eſt: 1) Dedicatio ad Pontif. Max. Gregorium XIII. data Duaci ipſa Exaltationis Crucis die 1579. 2) Dedicatio altera ad Philippum (II) Hiſp. regem ſcript. ib. eod. XIII. Septembr. 3) Indices librorum quouis tomo contentorum et Auctorum Codicumque, qui Tertulliano caſtigando vſui fuere, notitia; tum 4) vita Tertulliani per Pamelium, et 5) Paradoxa T. c. antidoto Pamelii. 6) Tertyliani IC. Romani Legum reſcripta, tandem 7) Indices in Tertullianum, cum Locor. T. aliorumque Auctor. ab eo citator. tum rerum. — Qui quarto Tomo comprehenduntur, libros poëticos et fragmenta ſeu indicia potius librorum deperditorum apud alios auctores aut ipſum Tertullianum obuia primus hic Pamelius operibus Tert. inſeruit. Ac poëmata quod attinet, in libris aduerſus Marcionem et carmine de iudicio Dom. Tertulliano vindicandis Ge. Fabricii (in Poetis Chriſtianis), in carmine de Sodoma vero Sixti Senenſis (Bibl. Sanct. lib. 4.) auctoritatem ſequebatur; Geneſin autem et ad *ſenatorem* quae cum Sodoma carmine Cypriano olim aſſeruerat, propter orationis ſimilitudinem Tertulliano nunc demum adiudicauit et denuo recenſuit. Haec excipiunt Graecorum operum fragmenta: ad amicum philoſophum de Nuptiarum anguſtiis ſ. de Virginitate; de Fato; de mundis et immundis animalibus; de Circumciſione; de Veſtibus Aaron; de Trinitate; de Cenſu animae adverſus Hermogenem; aduerſus Appelletianos; de Paradiſo; de Spe fidelium; de Ecſtaſi lib. ſex; aduerſus Apollonium; Aliorum aliquot ei falſo inſcriptorum. T. V. continentur: de Exhortatione Caſtitatis; de Monogamia; de Fuga in perſecutione, ad Fabium;

1598. cui quae inſuper acceſſere, ſuo loco commemorantur.

bium; de Ieiuniis aduerſus Pſychicos; de Pudicitia; Nouatiani de Trinitate; Eiusdem de Cibis Iudaicis; Eiusd. Epiſtolarum de vera Circumciſione et vero Sabbato notulae.

1580.

Pariſiis, apud Mich. Iulianum ad mont. diui Hilarii ſub inſigni ſtellae coronatae. „Opera Tertulliani et Arnobii quotquot ab interitu vindicari ſummorum virorum induſtria potuerunt, cum veterum exemplarium tum recentiorum collatione reſtituta, locis ſcripturae aucta et illuſtrata commentariis, quae alias authoribus ſubobſcuris et difficillimis non mediocrem lucem afferre poterunt. Omnia ſtudio et labore *Renati Laurentii de la Barre.* Additis indicibus fidiſſimis et ampliſſimis. In fine: Excudebat Petrus le Voirrier Regius in Mathematicis Typographus. Anno ſal. hum. M. D. LXXX. menſe Iunio." *) Primus Laurentius de la B. indegit, vt, quae paſſim in ſcriptis variis Vv. Dd. imprimis Beroaldus, Alciatus, Crinitus, Turnebus, Vertranius, Hotomannus, Cuiacius, Scaliger ad emendandum explicandumue Tertullianum contuliſſent, conquireret, et excerpta, vna cum ſuis adnotationibus Rhenani commentariis allineret, vbi vero illi deficerent, in libris ſcil. poſt Rhenanum additis, de ſuo proferret: in eo tamen lectoribus moleſtus, quod ſua nuſquam a Rhenani aliorumue diſtingueret. Rhenani epiſt. nuncupatoriam itemque admonition. de quib. Tert. dogmatis repeti curauit, vitam Tertulliani de ſuo addidit, praeterea amplum praefixit autorum, quorum fide annotatt. conſcriptae ſunt, Catalogum. Nuncupauit hanc ed.

 prae-

*) Inter repetitiones Pamelianas ſine editoris nomine Caueus laudat; perperam.

praeceptori ſuo De la Bigne Th. D. Quod externam faciem ſpectat, admodum nitida eſt editio, adornataque ſatis commode annotationibus ſub textu diſpoſitis, diuerſis quoque typis expreſſis.

1583.

Pariſiis ſub ſcuto Baſilienſi fol. Pameliana recuſa. Huic demum editioni acceſſiſſe videntur:*) *Prouerbiales Formulae Operis Tertullianici contentae* breuibus Scholiis illuſtratae per Andream Hoyum Brugenſem, cui hanc curam ipſe Pamelius iniunxerat, vt praefixa Hoyi ad Pamelium epiſtola, data apud Atrebates Kal. Ianuar. 1583. nos docet.**) Vtrum vero et eiusdem Hoyi in Tertullianum Pamelii op. reſtitutum Epigramma, quo ſingulorum librorum, qui hoc quinque partito Opere continentur, Argumenta ex ordine indicantur, hac demum editione acceſſerit, an olim iam fuerit vulgatum, neſcio. Huius exemplaris apologeticus cum Cod. MS. collatus extabat in Bibl. Baluziana.

1584.

Antuerp. apud Plantin. f. eadem repetita; in Cat. Bibl. Leidenſ. (Lugd. Bat. 716.) ſcribitur: Tert. Op. ex emend. Iac. Pamelii cum coll. codicis MS. Agobardi per Io. Mercerium. *Antuerp.* 1584. f.

* *

Pariſiis, ap. Mich. Sonnium. f. Q. Sept. Flor. Tertulliani opera omnia, ad exemplaria MSS. col-

latione

*) Sandius edit. Pariſienſem huius anni cum Notis Rhenani et Iunii f. laudat; qua fide, affirmare non auſim.

**) Scilicet ex edit. 1598. Pariſ. mihi in his iudicandum fuit, vt ſemel iam profeſſus ſum.

latione recognita, aliquot etiam libris auctiora, ex editione et cum annotationibus Iacobi Pamelii: accedunt eiusdem Tertulliani vita, aliaque prolegomena. *Cat. de la Bibl. du Roy. T. I. p. 363.* Non ſuccurrit iamiam, vbi laudata inuenerim Tertulliani opera c. n. Iac. Pamelii. Pariſ. apud Mich. Sonnium. 1548. quod hinc conſtat errorem eſſe typographicum.

1595.

Lugduni Batauor. ex off. Plantiniana. 4. (Sic in Cat. Bibl. Leidenſis) et 8. (Cat. de la Bibl. du Roy. p. 364. T. I.) Q. Sept. Flor. Tertulliani Liber de Pallio, ex editione et cum notis Franciſci Iunii.

1596.

Heidelb. ap. Commelinum. f. a Rhenano Pamelio Iunio emendata. Laudant Sandius, Du Pin, et Caue.

1597.

Franeckerae excudebat Aeg. Radaeus ord. Friſiae typ. Q. Septimii Florentis Tertulliani Carthag. Presbyteri, auctoris antiquiſſimi quae adhuc reperiri potuerunt omnia: Ex editione Iacobi Pamelii Brugenſis, Quibus ſeorſim additae ſunt annotationes Beati Rhenani Seleſtadienſis, auctae cenſura Inquiſitionis Hiſpanicae;*) itemque caſtigationes ac notae perſpicuae et breues FRANCISCI IVNII Biturigis, tum ex MSS. fide, et Latini Latinii Viterbienſis, aliorumque ſymbolis comportatae, tum coniecturis grauiſſimis atque lectiſſimis accuratae. Communes praeterea Indices

*) In Catalogo libr. expurgator. Madriti 1584. iuſſu Card. Gaſp. Quiroga Archiep. Toletani, Gen. Inquiſ. Hiſp. edito.

dices acceſſerunt locorum Scripturae ſacrae, aliorum auctorum itemque verborum et rerum locupletiſſimus. Pamelii textum atque ordinem Iunius religioſiſſime ſeruauit, niſi quod Tomo quarto fragm. et indicia deperditor. libror. penitus omiſit. Annotatione item Pamelii omnino abſunt. *) Poſt textum ſeorſim primum ipſius Iunii, deinde Rhenani animaduerſiones ſubiectae ſunt. Ac iſtae quidem, quibus etiam Iunii ad Ordines Belgii F. dedicatio, data L. B. a. d. Kalend. Martias 1597. cum vita Tertulliani ab ipſo recens conſcripta praefigitur, (de Pamelio enim iudicat, non vitam eum Tert. ſed curioſam illius temporis hiſtoriam contexere voluiſſe) haec in fronte gerunt: ad Q. S. Fl. Tert. op. quae extant omnia Caſtigationes et notae, quam maxime in tam vetuſtum et grauem Scriptorem fieri potuit, perſpicuae et breues. In quibus tum omnes ferme omnium ſeculi noſtri doctiſſimorum hominum lectiones, emendationes, interpretationesque neceſſariae ex MSS. fide et coniecturis probabilibus adunantur et adſcribuntur ſuis auctoribus; iis etiam expreſſis, quae non viſae ſunt plane reiiculae: tum ex collatione exemplarium loci quam plurimi ad veritatem rerum proprietatemque verborum de penitiſſimae antiquitatis tenebris proferuntur ſuppleti, correcti, illuſtrati atque confirmati. Poſt Rhenani annotationes acceſſit *variantium lectionum in librum Apologeticum et aduerſus Iudaeos* indiculus, quas ex MSS. membranarum praeſertim MS. Fuldenſis collatione Franciſcus Modius Brugenſis olim obſeruauerat, et poſteaquam diu apud M. Velſerum Auguſtanum delituerant, ab eo cum Gaſp. Schoppio Franco,

*) Perperam laudatur a Fabricio — cum notis Rhenani, Pamelii et Fr. Iunii. (*Del. SS. pro Ver. Rel. Chr. p. 213.*)

co, tum iuuene, communicatae erant, qui Iunio tandem eas transmiſerat. Laudat imprimis Iunius, multas Pamelii emendationes Fuldenſis MS. auctoritate eſſe firmatas. Collatio quidem ipſa ad Ed. Barraei 1580. Pariſ.*) facta erat nec mutata a Iunio, ſed paginae tantum nouae editionis ſunt adſcriptae. In Bibl. Leidenſi extant duo h. e. exemplaria, vnum *manu Ioſephi Scaligeri* notatum, alterum cui a Dominico Baudio adſcriptae ſunt caſtigationes Ioſephi Scaligeri ex autographo.

* *

Geneu. c. not. Pamelii. (*Sand. Du Pin. Caue.*)

1598.

Pameliana IIII. f. III. verius. *Pariſiis apud Laurentium Sonnium via Iacobaea in Circino aureo.* M. D. XCVIII. vide titulum ed. 1579. cui hic inſuper addita: „Acceſſere et Loci ex coniectura LATINI LATINII Viterbienſis reſtituti, et erudita in lib. de *Pallio* IOANNIS MERCERII Anteceſſoris Bituricenſis Commentaria. Catalogum totius operis inueniet lector poſt epiſtolas dedicatorias; et in ſingulis Tomis praefatiunculas de librorum ordine.“ — Lat. Latinii emendationes ſ. coniecturae poſt edit. Pamel. a. 1583. conſcriptae (Praefatio ipſius d. Romae Kal. Nouemb. M. D. LXXXIIII.) et ſeorſim editae erant Romae 1584. per Franciſc. Zannetum et repetitae poſtea ſunt accuratius a C. Macro in Latinii Bibl. S. et Prof. ap. 191. Codices quidem non habebat, vtebatur tamen codicum ab aliis laudatorum varietate; inſunt

*) Hanc editionem Renatum Laurentium Lutetiae Pariſior. 1580. Barraeo auctore edidiſſe Iunius ſcribit. Tu vide ſuo loco a nobis dicta.

inſunt quoque et P. Ciacconii Toletani quaedam partim ex ingenio partim ex Cod. Vaticano. Caeterum typorum et chartae nitore admodum haec editio commendatur.

1599.

Heidelb. apud Commelin. f. repetita Pameliana. (*Du Pin.*)

* *

Coloniae apud Arnold. Mylium. 12. Q. Sept. Flor. Tert. liber de praeſcriptionibus aduerſus Haereticos ex ed. et cum annotationibus Iacobi Pamelii.

1600.

Pariſiis per Ambroſ. Drouart. 8. *Tertulliani* liber de Pallio cum interpretatione Gallica et notis Latinis Edm. Richerii. (*Cat. de la Biblioth. du Roy. p. 364.*)

SAEC. XVII. 1601 — 1700.

1601.

Heidelbergae. f. c. notis Pamelii. *Sand. Caue.* Eandem hoc anno *Geneuae* prodiiſſe Dupinius adnotauit.

* *

Coloniae Agripp. in 12. Tres grauiſſimi perpetuae Catholicae fidei conſtantiae Teſtes. Tertullianus de praeſcriptionibus. Vincentius Lirinenſis aduerſus profanas omnium haereſeon nouationes. Edmundi Campiani oblati certaminis in cauſa Fidei rationes decem. *Catal. Bibl. Regalis Carthuſiae S. Martini.* Neapoli 1764. f.

1603.

Francof. 8. *Io. a Wower* Emendationes Epidicticae ad Q. S. Fl. T. opera. *Io. a Wower Lectori:* Totus hic libellus non tam in ſpeciem, quam vſum paratus emendationes promittit, quibus Tertulliani opera infinitis mendis liberantur, eas exemplo veterum Epidicticas inſcripſi; quia ſpecimen et προκυθάρισμα maioris operis; cui me, quam primum per rerum mearum varietatem licebit, accingam. Beneficium tamen illarum, ne quid erres, non tam mihi, quam Fuluio Vrſino, eruditiſſimo viro, debes, ex ipſius enim libro, qui in Bibliotheca Vaticana aſſeruatur, ea excerpſi, et ne fides mea apud te dubia iſtius libri vſum mihi conceſſit doct. vir Dominicus Raynaldus, eiusdem Bibl. praef. cuius erga me humanitatem et ſingulare ſtudium nunquam ſatis praedicaro. Quamquam valde voluiſſem diutius apud me delituiſſent, donec illis ab ingenio noſtro decentior cultus acceſſiſſet. Sed iam ſponte currentem incitauit neſcio quis clamor, vt haec publicare feſtinarem, quo ſatisfieret curioſitati illorum, qui pati non poterant, hunc exilem et fugientem gloriolae ſplendorem ad me pertingere. Rel.

1605.

Cracouiae, in off. Andr. Petriconii. Q. Sept. Flor. Tertulliani de Praeſcriptionibus aduerſus omnes haereticos liber. Diſtinctus in capita et breuibus notationibus ex *Iacobi Pamelii* commentariis illuſtratus.

1607.

Franeckerae f. repetita ed. a. 1597. Sand. *Geneuae* f. c. not. Pamelii. *Du Pin.*

1608.

1608.

Pariſ. f. repetitio Pameliſanae Pariſ. 1598. *Sand. Fabr. Caue. Cat. Bibl. Barber. Muſ. Britt.*

1609.

Apud *Commelin.* f. repetitio Pamelianae. Antv. 1583. *Fabric.*

1610.

Pariſiis. f. eadem laudante Oudino p. 218. T.I. Comment. de SS. Eccl.

1612.

Francofurti ad Moenum, typis Richterianis. *Ioannis a Wower* emendationes epidicticae ad Q. Sept. Flor. Tertulliani opera. (*Cat. de la Bibl. du Roy. p. 365.*

1613.

Lutetiae Pariſiorum. Ex off. Plantiniana, apud Hadrian. Perier, via Iacobaea. Q. Septimii Flor. Tertulliani Apologeticus. Deſiderius Heraldus ex antiquis libris emendauit, Commentario libro illuſtrauit, et duos Digreſſionum libros, quibus eiusdem Tertulliani et aliorum Scriptorum plurima loca qua emendantur, qua explicantur et illuſtrantur, adiecit. *M. Minucii Felicis Octauius.* Deſiderius Heraldus MS. Reg. ope emendauit et notas addidit. (Minucii F. libro peculiaris tamen titulus praefigitur, quem ſuo loco vide.) In emendando hoc Tertulliani libro vſus eſt Heraldus duobus Codd. MSS. altero Puteani patris per filios tamen ipſi communicato, altero Iacobi Bongarſii. Illum etſi iam olim adhibuerat Iacobus Pamelius, tamen aliorum librorum praeſidio deſtitutus non ſpicilegium ſed meſſem integram Heraldo reli-

reliquiſſe videbatur. Praeter Codices iſtos adhibuit etiam librum Cuiacii manu notatum, quem Bongarſii cura nactus erat, vnde, quae ex re eſſe viderentur laudato auctoris nomine deprompſit. „In Commentario noſtro," inquit, „hoc temperamentum ſequi ſtuduimus, vt neque ea, quae mediocriter eruditis ſatis clara ſunt, illuſtraremus, id eſt, ſoli accenderemus facem, neque ea, quae homines alioquin eruditos, ſed aliis ſcientiis occupatos morari poſſint, prorſus inexplicita omitteremus. Libri iſtius ea mixtura eſt, vt non modo ad humanioris eruditionis ſtudioſos, ſed ad Theologos praecipue et ICtos adeo ipſos eius lectio pertineat; argumentum autem, et quae in eo diſputantur, ea ſunt, vt omnium, qui a ſeculi fermento ſibi cauere volunt, manibus libellus hic verſari debeat. Haec igitur fecerunt, vt nonnulla, quae absque cauſſa hac forent, prorſus omiſiſſem, quandoque attigerim, ſed attigerim tantum, et quantum ad lucem ſatis eſſet. Sed et quia morem iſtum inoleuiſſe videmus, vt dictionis aut ritus alicuius et moris veteris occaſione homines paulo longius excurrant ſaepiſſime, et multa tractent, quae ad ſcriptorem, quem prae manibus habent illuſtrandum, faciant plane nihil; et conſuetudini ſatis faceremus, et incommoda tamen, quae inde ſequuntur, effugeremus, placuit ea quae erant praeter τὸ ἔργον in alios libros reiicere, quibus ideo *Digreſſionum* nomen dedimus. Atque eorum priore, quae ad humaniorem literaturam pertinebant, complexi ſumus; poſteriore quae ad rituum eccleſiaſticorum illuſtrationem." Epiſtola dedicatoria ad Nic. Brulardum Franciae Cancellarium propter temporum iſtorum caſus lectu digna. Data eſt Lutetiae Pariſ. a. d. Kal. Decembr. 1613. Huius libri exemplo, quod Bibl. Regio Ac. poſſidet, varietas lectionis Codicis MS. Baliol. Oxon. adſcripta eſt.

1614.

Pariſiis apud Io. Libertum. 8. Q. Sept. Flor. Tertulliani liber de pallio, ex editione et cum interpretatione notisque criticis et hiſtoricis *Theodori Marcilii. Cat. de la Bibl. du Roy* T. I. p. 364. n. b. n. 462. Ibid. n. 465. et *Cat. d' une Bibl. a Utr.* 776. T. I. p. 557. ſic quoque laudatur: *Satyra de pallio* c. interpretatione familiari ſiue gloſſaria et notationibus reliquis *Theodori Marcilii.*

1616.

Pariſ. f. Pameliana Pariſ. repetita. *Sand. Caue.*

1617.

Coloniae Agripp. fol. apud Antonium Hierat. eadem ac ſuperior. *Sand. Fabr. Caue. Muſ. Britt.*

1622.

Lutetiae Pariſiorum, ſumpt. b. Hier. Drouart via Iacobaea, ſub ſcuto ſolari. Q. Sept. Flor. Tertulliani liber de Pallio. *Claudius Salmaſius* recenſuit, explicauit, notis illuſtrauit. Notarum liber titulo peculiari gaudet. Ac de his ſatis quidem conſtat; id modo notare iuuat, praeter veteres editiones Cod. manu exaratum ſatis vetuſtum et optimae notae inſpexiſſe Salmaſium eiusque ſcripturam (quae cum prima et ſecunda Rhenani in omnibus fere conſentiret) vbique fideliter expreſſam exhibuiſſe. Dedicavit librum editor patri Benigno Salmaſio in ſup. Divionenſi Curia Regio Conſiliario. Contra hanc Salmaſii editionem eodem a. *Rhedonis ap. Tuonem Halecium Typographum iuratum* prodiit ANTONII KERKOETII *Aremorici* (Dionyſ. *Petauii* ex S. I.) animaduerſorum liber ad Claudii Salmaſii notas in Tertullianum de Pallio. Cui oppoſita Confutatio animad-

animaduerſorum *Antonii Kercoetii* ad Claudii Salmaſii notas in Tertullianum de Pallio, auctore *Franciſco Franco* I. C. *Middelburgi* 1623. et cum mox iterum prodiiſſet: *Antonii Kerkoetii Aremorici* Maſtigophorus ſecundus, ſiue Elenchi confutationis, quam Claudius Salmaſius ſub ementito nomine Animaduerſis Kerkoetianis oppoſuit, Pars ſecunda, Pariſiis 1623. reſponſum eſt eodem anno, Pariſiis *Refutatione vtriusque Elenchi Cerco Petauiaui, auctore Franciſco Franco* I. C. et contra denuo emiſſus: *Maſtigophorus tertius* ſ. *Elenchi confutationis Salmaſianae Pars III. ibid. eod.* Ad Tertullianum ex hac conuiciorum mutuorum colluuie parum fructus redundauit.

1624.

Pariſiis, ſumptibus Mich. Sonnii, via Iacobaea ſub ſcuto Baſileenſi. Q. Septimii Florentis Tertulliani Presb. Carthag. Opera, argumentis, explicationibus et notis illuſtrata, Authore *Ioanne Ludouico de la Cerda,* Societ. Ieſu. Cum Indice locupletiſſimo. *Tomus Primus.* — Hunc tomum equidem non vidi, nec de eo quicquam reperire potui, quam XIII. libros in eo exhiberi.*) Titulum ſupra adſcriptum praebet *Tomus Secundus,* apud eundem *Mich. Sonnium* anno 1630. editus, qui libros V. ſequentes complectitur: *De Praeſcriptionibus aduerſus haereticos*

*) Hos inter libri aduerſus Iudaeos, aduerſus Marcionitas, aduerſus Hermogenem, aduerſus Valentinianos, aduerſus Praxeam, de fuga in perſecutione, de exhortatione caſtitatis, de monogamia, contra Gnoſticos, de pudicitia, aduerſus pſychicos et carmina non ſunt. Sed ne ſic quidem de contentis pronuntiare licet, cum his demtis plures tamen, quam tredecim tractatus ſuperſint.

cos lib. I. *De Baptiſmo aduerſus Quintiliam* l. II. *De Anima* lib. III. *De Carne Chriſti aduerſus haereſes quatuor* lib. IV. *De Reſurrectione Carnis* l. V. Falſo aſſerunt *Oudinus* SS. Eccleſ. To. I. p. 218. Tert. opera *omnia*, et *Fabric.* in del. SS. de ver. Rel. Chriſt. p. 213. *pleraque* duobus Voluminibus a. 1624. et *totidem* iterata vice a. 1630. prodiiſſe. De Oudini errore iam admonuit *Ittig.* Hiſt. Eccl. II. a Chriſto nat. ſaec. (Lipſ. 711.) p. 69. Fabricatores ſcilicet Catalogorum Biblioth. non ſatis curioſi Viris Dd. fucum fecerunt. Sic in Cat. Bibl. Barberinae T. I. et II. a. 1624. laudantur. Fouere autem errorem poſſit hoc, quod raro Tomus I. an. 1624. et II. an. 1630. coniunctim compareant, vt ſemel in *Bibl. Thott.* T. I. P. I. p. 63. fieri memini, ſed plerumque occurrant ſinguli Tomi, vel ſeorſim vel cum altero tomo repetitae editionis a. 1641. compacti. La Cerdae notae in verborum et orationis illuſtratione plurimum, minus in diſputationibus dogmaticis, in vtroque tamen genere nimis prolixe occupantur. Argumenta libris praefixa vix hoc nomine digna ſunt. Cum primae editionis Tomus I. ad manus non ſit, (exempli Bibl. Acad. T. I. a. 1641. alter 1630. eſt) quid ipſe la Cerda de conſilio ſuo praefatus ſit, ſi modo praefatus eſt, aliquid deſidero. Nam quae ibi praemiſſae ſunt literae dedicatoriae, vnice in laudibus patronorum eius, ſummo cum lectoris taedio, ſunt occupatae, Tertulliani ne quidem nomine appellato. Id mirationem facere poſſit, quod Priuilegium regium, dat. S. Germani in Laya 8. Aug. 1623. T. II. a. 1630. additum non Tertullianum cum Argg. appellet, ſed *librum*, qui inſcribitur: ARGVMENTA, *Explicationes*, ac Notae in Tertullianum, a P. Io. Lud. de la Cerda compoſitum.

1625.

Geneuae, ap. Petr. et Iac. Chouet. 4. Q. Sept. Flor. Tertulliani libri duo ad Nationes, ad Exemplar Agobardi, Lugdunenſis Epiſcopi, cum notis, labore et ſtudio *Iacobi Gothofredi.* — Ipſa haec editio ad manus non eſt. De Cod. qui Agobardi dicitur, antiquiſſimo ſane et horum librorum quidem haud dubie vnico, quem fidei ſuae diligentiaeque teſtem Regiae Bibl. Pariſienſi poſtea donauit editor, Rigaltius in proxima Tertulliani editione ſcribit, paginas complures adeo foede fuiſſe vetuſtatis iniuria, ſeu potius barbarorum incuria corroſas corruptasque, vt lacunae ſaepenumero etiam in ſua editione occurrant, de quibus ſine codicis integrioris ope explendis prorſus deſperat. *Sunt autem*, pergit, *et praeter lacunas, alia, quae ipſius antiquarii manus haud raro peccavit, quorum certe nonnulla coniecturis noſtris emendari videantur. Sed iis tamen absque veteris ſcripturae veſtigiis male credi non diffitemur, neque id nobis permiſimus, niſi locis admodum paucis, nunquam ſuppreſſa libri veteris ſcriptura.* Dicitur nonnunquam haec editio a. 1624. facta, vnde vtriusque anni notam diuerſis exemplaribus inſcriptam eſſe ſuſpicamur. Vtrum vero et quomodo ab hac Geneuenſi editione diuerſa ſit, quae eodem anno (1625.) *Aureliopoli* impreſſa circumfertur, dicere non auſim. Huius ed. exemplari in Bibl. Leidenſi quaedam ſunt adſcripta a Salmaſio.

1626.

Lugd. f. Tertull. de Pallio cum Comm. de la Cerda.

1628. (1629.*)

Lutetiae, typis Rob. Stephani apud viduam Oliuarii Varennaei. 8. Q. Sept. Flor. Tertulliani libri IX, ex Codice MS. Agobardi in Bibl. Reg. obuio emendati et obſeruationibus illuſtrati. — Nic. Rigaltius, cuius nomen hic ſiletur, horum opuſculorum editione futuris ſuis egregiis de Tertulliano meritis praeludere voluit. Sunt autem libelli iſti nouem ſequentes: *de Oratione; ad Vxorem l. 2.; de Cultu foeminarum l. 2.;***) *de Exhortatione Caſtitatis; de Corona; de Praeſcriptione haereticorum* et *Scorpiace.* Codex Agobardi libros XXIV. complexus fuerat, nempe praeter nouem illos, etiam *librum 1. et 2. ad nationes*, nec non *de teſtimonio animae, de ſpectaculis, de idololatria, de cenſu animae, de carne Chriſti:* et quae hodie Tertulliani ſcripta deſideramus, *de ſpe fidelium, de paradiſo, de animae ſubmiſſione* et *de ſuperſtitione ſaeculi.* Inſcripſit haec Tertulliani Rigaltius Card. Armando Duci Richelio.

1634.

Lutetiae, ſumptibus Mathurini Du Puis, via Iacobaea, ſub ſigno Coronae. f. „Q. Sept. Flor. Tertul-

*) In *Cat. de la B. du R.* p. 364. titulus ita concipitur: — Tert. libri IX. ſeu tractatus varii locis quam plurimis emendati, ex bibliotheca Regia editi. ex recenſione et cum obſeruationibus *Nicolai Rigaltii.* 1628. Anni nota ſic quoque diuerſimode paſſim exſcribitur, vt in exemplaribus ſic eam reperiri neceſſe ſit. Diſerte enim in editione Op. Tert. Rigaltiana a. 1641. dedicatio Rigaltii ad Ducem Richelium ex nouem libror. editione a. MDCXXIX. repeti dicitur.

**) Nempe libellos de habitu muliebri et cultu feminarum Codicis laudati auctoritate in vnum duorum librorum tractatum redegit.

Tertulliani Opera ad vetuſtiſſimorum exemplarium fidem locis quam plurimis emendata, *Nicolai Rigaltii* I. C. Obſeruationibus et Notis illuſtrata. Cum indice gloſſario ſtili Africani." — Quid noua haec omnium Tert. operum recenſione, quae et nunc etiam principatum tenet, effecerit, aut efficere ſaltem voluerit Rigaltius, ipſius puto verbis, etiamſi paulo plenioribus, audire operae ſit pretium. „Tertulliani," inquit, „ſcripta legentibus, etiam haud mediocriter literatis, occurrunt difficilia non pauca Sermonis et Scripturae. Nam Sermonis quidem Africani ſuperbia doctrinarum ferme omnium dote praeſtans lectores ſibi poſcebat ad nutum attentiſſime ſagaces. Poſteaquam vero in longe alios incidit, mutari cepit, a quibus non potuit capi et ſpurias dictiones pro legitimis, adulterae manus inuerecundia ſparſit. Scripturae autem natiuae ruina, Auctoris verbis ſemel interceptis, vt obtrito corpore, ſenſum vna quaſi ipſum et mentem profligauit. Sic peſſimi correctores emendatiſſima perdidere. Nam quis eſſet querelarum modus? Aut quid in tantae calamitatis caſu tam veteri non deſperandum? Haec peſtis Homerum iam pridem ita peruaſerat, vt Arato quaerenti: „vbi locorum haberetur Iliadis priſtinae copia?" Timarchi filius Timon cum reſpondiſſet; quaerendam eſſe in exemplaribus antiquis, addiderit, ſed nondum correctis. Dira natio tam foede Septimii noſtri libros adeo quoque iam pridem vexauit, vt iam falſi vetuſtas longi temporis praeſcriptionem obſtruat veritati. Quod ſi veterum librorum appelles fidem, etiam veterum librorum fide falſiſſimae lectiones adferuntur. Nam ſunt et libri veteres deprauatiſſime correcti; neque vlla ſpes reducendae vnquam veritatis, niſi tam veteres nanciſcantur, vt ſint omni correctorum antiquitate vetuſtiores. Aetas auorum laudabiles Rhenani operas

vidit,

vidit, tribus editionibus elaboratas. Cuius viri ſidei, iudicio, eruditioni, diligentiae, ſi partium ſtudia meliorum exemplarium commercia non inuidiſſent, is procul dubio praeſtitiſſet, quod iſtam nobis hodie operam valde leuaret. Sequens aetas Fuluium Vrſinum tulit, qui codices inſpexerat longe meliores Rhenanianis, contentus excerptas inde lectiones editionis Pamelianae marginibus adnotaſſe, ſed ne poſſeſſoribus quidem exemplarium nominatis. Fuluianae lectiones, in librum ampliſſ. doctiſſimique Toloſatium Archiepiſcopi Car. Monchalli ex autographo transfuſae, nobis hoc etiam profuerunt, vt earum editioni, *Epidicticis Wowerii Notis accuratae*, fides etiam apud auſteriores conſtare debeat; immo et Schoppianis illis ex Fuldenſi et Vaticano in Apologeticum et Aduerſus Iudaeos Excerptis ab Iunio publicatis. Quorum certe fidem eo magis refert vbique eſſe teſtatiſſimam, quod et multa ſunt et praeclara nobis inde notata, quae huic editioni plurimum tribuant lucis et ornamenti. Haec erit apud poſteros aetatis noſtrae gloriae. Cui decus accedit ingens comperto tandem Codice, quem ex voto Agobardi Epiſcopi Lugdunenſis ad S. Stephani altare oblatum fuiſſe legimus. Hunc certe librum ad exemplaria illa nondum correcta deſcriptum fuiſſe, probabunt eius ope reſtituta nitore priſtino quam plurima, quae ſingula indicare taedii ſane fuiſſet moleſtiſſimi, pretii vero nullius; nam haec ipſa Tertullianus auide recepit, et ſua, quae male auulſa fuerant, tam bene hodie cohaerent, vt auelli vnquam potuiſſe non credas. Itaque ſummas recuperatorum colligi ſat erit, vt inde conſtet, quid praeſtare ſimus parati. Sic tamen, vt notabilia tandem comprehendantur: minutioribus nec tamen ſpernendis, ſcrupuloſe calculorum diligentiae relictis, vt ſit olim ingens cumuli ſumma. Obſeruationes adiecimus

iecimus illuſtrandis aliquot locis obſcurioribus, priſci moris iam longa obliuione deleti, aut eruditionis alicuius reconditae veſtigiis indagandis. In quo, ſi nonnulla paullo licentius poſita aut disquiſita cenſeantur, vt ſunt illa fortaſſe de criminum occultorum caſtigatione, deque forma Dominici vultus ac de lucernis per diem accenſis, ea ſic accipi debent, tanquam Septimianis opinionibus deſpiciendis animaduerſa; minime autem arguendis Catholicorum ſententiis aut improbandis Patrum Septimio poſteriorum decretis. Immo ſententias et decreta ipſa patrum in Eccleſia receptiſſimorum ſemper oppoſuimus Tertulliano, vt qui Africanis iſtis velut ſalebris offenduntur, ſtatim habeant, quo referre pedem tuto poſſint. Notas etiam intexuimus variarum lectionum ambiguitati penſitandae, veritati explorandae, coniecturis nonnunquam explicandis aut confirmandis. Denique Africani ſtili Gloſſas complurium inter ſeſe locorum comparatione concinnauimus, interpretandi ratione certiſſima. Gloſſas diximus Graeco vocabulo, quo Fabius tradidit linguae ſecretioris voces minus vſitatas ſignificari. Porro breuiores Obſeruationes ac Notas plerisque haud ſatisfacturas ſcimus, nec propterea culpam deprecamur. Afer iſte lectorem non admittit niſi iam eruditum." Haec Rigaltius in diſputatione, inſcripta: *de Tertulliano et eius ſcriptis deque variis eorum editionibus, et quid hac noſtra praeſtetur*, quae vna cum *epiſtola dedicatoria ad Armandum Duc. Richelium ex ed. IX. librorum a. MDXXIX.* (ſic) textui praemittitur. Hanc *teſtimonia vett. de Tertulliano* ſubſequuntur, et *Series Tertulliani operum quae hoc volumine continentur. Item ex quibus quaeque et quoties ſint codicibus notabiliter emendata.* Id quod ad minimum *quater*, ad ſummum *ducenties quinquagies* (in Apologetico) in plerisque *trigeſies*, *vigeſies*,

ſeptuagies, ſed et *octies centies*, *centies trigeſies*, interdum *omnibus fere clauſulis* ſactum dicitur. *Liber de Pallio*, ſcribit, *emendatur omnibus fere lineis, iuxta ed. doctiſſimi Salmaſii ad vetuſta exemplaria accuratiſſimam praeterquam ſex aut ſeptem locis.* Textum excipit Index ſcripturarum ſacrarum; tum ſubiuncta ſub titulo incerti auctoris carmina Tertulliano olim adſcribi ſolita, *aduerſus Marcionem* l. V. *de Iudicio Domini Geneſis, Sodoma;* denique Index rerum memorabilium. Obſeruationum libellus peculiari titulo gaudet, eique acceſſit *Index Gloſſarum Tertulliani* egregio conſilio et iudicio confectus. Elegantia et nitore typorum, ſiquidem prima ed. non inferior ſit ſecundae, quam coram intuemur, admodum commendatur haec editio, cui bibliopolae honeſtate haud exiguus vtilitatis cumulus acceſſit editis plurimorum Vv. Dd. in Tertull. adnotationibus ſingulari volumine tituloque comprehenſis: *Iacobi Pamelii Brug. Theol. etc. Argumenta et Annotationes in Q. Sep. Fl. Tertulliani opera, quibus adiectae ſunt annotationes diuerſorum. Omnia textui editionis V. Cl.* NICOLAI RIGALTII *I. C. reſpondentia. Par. ſumpt. Math. du Puis, via Iac. ſub ſigno Coronae. 1635.* Praeter ea, quae Pamelius in Tertullianum compoſuit adnotationes, argumenta, vitam et cet. quae longe maiorem voluminis partem (vsque ad p. 781.) occupant, exhibentur hic *Latini Latinii* coniecturae et emendationes, *Io. Merceri* adnotationes, Edm. Richerii, Theodori Marcilii, Ioannis a Wower et Gabrielis Alboſpini Aurelian. Epiſc. notae et emendationes. Quibus omnibus accommodatus eſt index apprime vtilis. Quod in titulo ponitur, haſce adnotationes textui Rigaltiano reſpondere, numeris paginarum in margine obſeruationum adnotatis effectum eſt, ita tamen vt liber de Pallio et Apologeticus, qui in Rigal-

Rigaltianis plane alii facti comparent, ad Pamelianam recenſionem denuo excuderentur. Volumen hoc notarum ſeorſim venit in Catalogis quam plurimis ex. c. In *Catal. Bibl. Tottianae, Bodleianae, Firmianae* et *D'Eſtrees T. I.*

1641.

Lutetiae, ſumpt. Math. Du Puis etc. f. Rigaltiana ſecunda. *Obſeruationibus et Notis atque etiam Gloſſario auctior,* cuius exemplum cum frequent. coll. Codd. MSS. impr. Agobardini in Bibl. Baluz. extabat. Poſt hanc repetitam eſſe Rigaltianam Pariſiis, 1644. 46. 50. et 58. Oudinus affirmat.

* *

Lutet. Pariſ. c. inſigni magnae nauis. fol. Tomi II. Q. Sept. Flor. Tert. opera, argumentis, explicationibus, notis illuſtrata, auct. *Io. Lud. de la Cerda.* (vid. Ed. prim.)

1644.

Matriti. f. Tertulliani liber de Patientia cum commentis *Orii. Cat. Bibl. Pinell. T. I. p. 89.*

1646 — 48 — 50. *)

Pariſiis ap. Mich. Solg. via Iacobaca ſub ſigno Phoenicis. fol. Tomi III. *Tertullianus rediuiuus, ſcholiis et obſeruationibus illuſtratus. In quo vtriusque*

*) Ita iam Ceillier p. 526. T. II. et *Cat. Bibl. Chigianae* v. Ambianas. Sed variant in annorum indicio Vv. Dd. Fabric. (Del. p. 213.) 1646. et 48. Dupinius 1648. et 50. profert; quare vtrumque ſequi placuit. Male Sandius quaſi repetitam a. 1650. hanc editionem laudat, niſi negligentius hoc ſcripſerit, cum diuerſas editiones ſignificare vellet factas, a. 1648. P. Georgii et a. 1650. aliam Rigaltianae ſc. repetitionem.

que iuris forma ad originem ſuam recenſetur. Et Auitae pietatis Amatoribus inquirendi norma praeſcribitur. Auctore P. Georgio, Ambianate, Minorita Capucino, Pariſiis apud ſuos Profeſſore Theologo. Facete Rigaltius grande hoc Capucini opus reſpiciens in praefatione notis in Cypr. praemiſſa ſcribit: Quod ad Tertullianum attinet, vix eſt, vt rediuiuus vnquam ab vllo mortalium dici queat, qui iam ſit horrendis vegrandium commentariorum ſarcinis obrutus et contritus. — Conſecrat hic ſuperſtitioſus Monachus primum Tertulliani ſui tomum Chriſto et Mariae, quam his inter alia verbis compellat: *Ipſum me, hoc quod ſum et poſſum, hoc quicquid ingenii et ſtyli eſt, tibi, o Deipara, debeo, reddo, offero. Suſcipe, quod tuum eſt, excipe quod meum; Vt iſtud ſupprimatur; illud non chartis ſolum imprimatur, ſed et animis. Duc me, quo lubet, o Domina, clientem ad pedes proſtratum reſpice, et ad coelum tandem erige. Amen.* Cuiusmodi Mariae compellatio etiam Tomo ſecundo praefixa legitur. Antequam autem ad ipſa Tertulliani opera accedat ſcholiis ſuis et obſeruationibus illuſtranda, praemittit vindicias Tertullianicas, quarum prima parte de Tertulliani patria, educatione, ſtudiis aliisque ad vitam eius naturalem ſpectantibus agit. In ſecunda parte inter alia disquiritur, quibus motiuis ad Chriſtianam fidem adductus fuerit? an ſtatim a conuerſione baptismo initiatus fuerit? an et vxorem ad fidem traxerit? an Eccleſiae Doctor, an Sacerdos, an Monachus, an Martyr fuerit? Tertia vindiciarum pars de Tertulliani doctrina eiusque ſcriptis tam apologeticis quam polemicis et paraeneticis agit. Ita autem de doctrina eius ſe agere profitetur, vt eius errores in bonam partem interpretari nitatur. Haec et plura ſuper hac editione *Ittigius* in Hiſt. Eccl. Sec. II. p. 71 ſq.

1650.

1650.

Lond. 8. Tertulliani opuſcula varia — inter Franc. Rous Mella Patrum pag. 293 — 468. *Cat. Bunau.*

1656.

Lugd. Bat. ex off. Io. Maire. 8. Q. Sept. Fl. Tertulliani liber de Pallio. Claudius Salmaſius ante mortem recenſuit, explicauit, notis illuſtrauit. Accedit vera ad viuum eiusdem Effigies.

1657.

[*Argentorati.* 8. Tertulliani opera, opera Boecleri.] Ita Sandius. Oudinus contra *huius loci et anni repetitionem Rigaltianae* forma non indicata commemorat.

1658.

Pariſiis ap. Iac. Dallin ſub ſigno S. Stephani et *Thomam Ioly ſub ſigno ſcuti Hollandiae, via Iacobaea:* fol. Tomi III. Tertulliani Omniloquium Alphabeticum Rationale Tripartitum, ſiue Tertulliani opera omnia in nouum ordinem, hactenus intentatum et facilem, omnibus vtriusque fori Oratoribus, Rerum humanarum diuinarumque Profeſſoribus ac Scriptoribus vtilem, diſpoſita, expoſita, illuſtrata opera fratris *Caroli Moreau* Auguſtiniani Ordinis Eremitarum Communit. Bituricenſ. Conuentus Reginae Margaritae, in ſuburbiis S. Germani Pariſ. Quid noui praeſtiterit Author in hoc opere, ſummam Theologiae ſcholaſticae, Poſitiuae et Moralis ex Scriptura S. Patribus et Tertulliano et Auguſtino maxime decerptae, complectente, ſequens pagina indicabit. — Titulos II. et III. Voluminis haud minus prolixos omittimus, et ſi *ſummam rerum, quas de nouo contulit Author*

Author ad illuſtrationem Tertulliani pag. altera Tomi primi exhibita, deſcriptam dederimus, ſatis cuique de ingenio editoris conſtabit. Ita vero haec ſonat:

„Opus hoc nouum tripartitum tribus tomis abſoluitur. Primus hic tres partes complectitur. Prima quidem omnes libros Tertulliani, in ordinem alphabeticum digeſtos, profert, ſupplens quatuor defectus notabiles, in omnibus hactenus editionibus praetermiſſos, in praefatiuncula praemittenda notatos.*) Secunda, pacifice, et absque contentioſa controuerſia, tacito etiam aduerſarii cuiuscunque nomine, nudo veritatis, et pietatis S. Patri Auguſtino debitae, nec non totius operis ex eius ſententiis lectiſſimis contexti ab omni aemulationis iniuria tutandi reſpectu, diluit, Alphabetum errorum perperam imputatorum Auguſtino, Tertulliani in omnibus ſanis illuſtratori, in peruerſis correctori. Vbi tota eius doctrina, maxime vero de Praedeſtinatione, Gratia, et libero Arbitrio, non priuata vnius auctoris, ſed Catholica, et ad S. Scripturae, Patrum, Conciliorum, SS. Pontificum et Tridentinae quam maxime Synodi et Conſtitutionis

*) Quales? equidem nec dicto loco reperire potui, nec ex ſpecialiori, ad quem inde remittit lectores, praefatione certior factus ſum: quoniam vero in iſta huius editionis virtutes ad ſex imprimis capita refert, et tribus quidem reliquas carere diſerte affirmat, nec quartam eis concedere videtur, innuit certe, ſcil. quod *textu ſit emendatior*, *Scripturae S. loca in ipſo textu diuerſo charactere ſint diſcreta*, ad marginem non capita ſolum libri SS. a Tertull. laudati ſed verſus etiam ſinguli ad originale denuo collati, adſcripti, Argumenta, quibus aliae editt. laborent, libris praefixa plana et breuia — haec ipſa defectuum nomine declaraſſe Morellum ſuorum ſane bonorum cognitione ſatis beatum, puto.

tutionis Innocentii X. in quinque Propoſit. Cenſura, regulas, exacte reducta; et per 27 quaeſtiones curioſe diſcuſſa, orthodoxa prorſus eſſe conuincitur. Tertia pars erroneas, haereticas, durioresque ſententias Tertulliani a ſana eius doctrina ſeparatas, ordine pariter alphabetico contextas euoluit, explicat et Catholica S. P. Auguſtini doctrina diſſoluit. Cum gemino ſecundae et tertiae partis proprio indice; altero locorum ſelectioris ſcripturae ibidem explicatae, altero rerum notabiliorum. *Secundus et Tertius Tomus* partiuntur omnia ſana eiusdem Tertulliani Opera in locos communes ordine nouo et hactenus intentato, non tantum alphabetico, ſed etiam rationali exactiſſime diſtincta, breuibus ſcholiis ad ſingula quaeque obſcura, ad literam expoſita, et vbique per ſelectiores ex Medulla S. Scripturae, Conciliorum, Patrum, et S. Auguſtini praeſertim, nullibi praetermiſſi, aliorum item probatiſſimorum authorum cuiusque diſciplinae locos illuſtrata. Cum triplice indice locupletiſſimo in fine tomi tertii collocando; 1) quidem Scripturae ſacrae explicatae ter millies et amplius locis, 2) rerum ac verborum, 3) concionum. De Operis inſcriptione,*) diſpoſitione, vtilitate, ſoliditate, curioſitate, et in tanta rerum diuerſarum abundantia, coniunctaque breuitate perſpicua: nec non Tabellae Emblematicae fronti operis impoſitae expoſitione,**) Synopſi quoque vitae Tertulliani et

*) *Omniloquium*, inquit, hoc opus inſcripſi: tum quod nullam prorſus in eo ſententiam vel lineam ex hoc ſolo opere, magnam in omni cauſa dicendi, Tertulliani praetermiſerim: tum quod ſcribendiue copiam cuicunque oratori, ſcriptorique proſpexerim.

**) Adriſerant Pariſienſes imagines *Auguſtini* (cucullati) et *Tertulliani* (c. Pallio) aere impreſſas et titulo operis generali

et Auguſtini, deque ſymbolicis eorum, ac diſſymbolicis proprietatibus et Elogiis: de vſu tandem et praxi totius Operis habet, quam attente examinet Lector, vt ſibi neceſſariam, Praefationem generalem, poſt nuncupatoriam epiſtolam immediate ſubſequentem.“ Reſtat, vt ad illa, quae in textu praeſtitiſſe profitetur, paulisper animaduertamus; ſed et hic verbis ipſius defungi licebit. Ita vero pollicetur *in textu innumera etiam in emendatioribus editionibus menda correxiſſe; virgularum, punctorum, accentuum defectus, intellectum obſcuriſſimi authoris obnubilantes ſuppleuiſſe; cacographias quam plurimas emendaſſe; vt ſi Typographi cura Autographi purgatiſſimi ſollicitudini reſponderit, et Correctori vigilantiſſimo paruerit, nihil futurum ſit, quod in hoc textu cenſoris oculos, ſeueriſſimi licet, arguendum oſtendat.* Iam haec ſatis erunt, nec tamen nimia, vt ſpero, pro raritate molis huius chartaceae. Inſcripſit opus Pomponio de Bellicore Equiti, et ſupremi ſenatus Pariſienſis Principi.

1662.

Rothomagi. f. Q. S. Fl. T. opera omnia etc. cum Iac. Pam. argg. et annotatt., Latini Latinii coniecturis etc. repetita ed. 1597.

1664.

Lutetiae Pariſiorum, impenſis ſocietatis typographicae librorum officii eccleſiaſtici. Q. Sept. Flor. Tertulliani

generali praefixas cum ſubſcriptione: *duo in Africa ingenii monſtra totiusque Doctrinae et Eloquentiae Genii de palma certantes.* — *Cachinnus ipſis inſultaſſe,* Morellus inquit. Hinc vero *incumbere ſibi* exiſtimat Tertulliano conformari et ſicut ille pro Pallio ſuo, pro *Auguſtini Bardocucullo et ſacco apologeticum* ſcribere.

tulliani Opera ad vetuſtiſſimorum exemplarium fidem ſedulo emendata, diligentia *Nic. Rigaltii* I. C. cum eiusdem annotationibus integris et variorum commentariis, ſeorſim antea editis. Ph. *Priorius* argumenta et Notas in libros omnes de nouo adiecit et Diſſertationem apprime vtilem concinnauit. Accedunt *Novatiani* tractatus, de Trinitate et Cibis Iudaicis, cum Notis, vt in Editione Pamelii. Textus eſt Rigaltianae ſecundae, cuius etiam notae omnes, tum quas ad calcem appoſuerat, tum eae, quae ad notas in Cyprianum erant adiectae, praeterea vero *Iac. Pamelii* annotationes ſelectae, *B. Rhenani*, Franc. Zephyrii, Gabrielis Albaſpinaei, Ludouici de la Cerda doctiores obſeruationes, tum Salmaſii in L. de Pallio potiores, necnon Mercerii, Wowerii aliorumque illuſtrationes et correctiones, denique ipſius Philippi le Prieur, qui curam huius editionis geſſit, notae et argumenta in libros omnes acceſſerunt. Conſilium, quo ſocietatem ſibi inſtitutam eſſe bibliopolae fatentur, vt Latinos Patres ac veteres SS. Eccleſiaſticos eruditorum hominum lucubratione illuſtratos ederent, ſucceſſu caruiſſe dolendum eſt. Nam haec editio profecto tum ordine et diſtributione notarum, quae textui charactere minori columnis ſectis ſubiiciuntur, tum chartarum et typorum nitore omnium literatorum plauſum meruit. Priorii notae parui quidem pretii ſunt, laudanda tamen, quam adornandae editioni praeſtitit, diligentia. Nouatiani tractatus ex recenſione Pameliana et eiusdem tantum notis illuſtrati habentur. Praeter ea, quae Pamelianis editt. praemittuntur, vita nempe Tertulliani a Pamelio conſcripta, Paradoxa illius cum antidoto, Prouerbiales formulae toto opere contentae, ex Rigaltiana acceſſit *iudicium* de Tertulliano etc. et ſeries operum a Rigaltio inſtituta, tum recens Priorii diſſ. qua Tertulliani vita, opiniones et errores expenduntur.

1675.

Lutetiae Pariſior. ap. Petr. le Petit, ſub ſigno Crucis aureae, *Edmundum Couterot* ſub ſ. boni Paſtoris et *Carolum Augot* ſub ſ. Leonis aurei, in via Iacobaea. Repetita a. 1664. *a pluribus mendis quae in praecedentem irrepſerant expurgata.* Acceſſit Carmen de Iona et Niniue.

-☼- -☼-

Bruxellis 4. Tert. liber de praeſcriptionibus contra haereticos c. ſchol. et notis *Chriſtiani Lupi.*

1686.

Cantabrigiae, ex off. Io. Hayer imp. Henr. Dickinſon et Rich. Green. 12. Q. S. Fl. T. Apologeticus et ad Scapulam liber. acceſſit M. Minucii Felicis Octauius. — Apologeticus ad edit. Heraldi, capit. argumentis ex ed. de Lacerdae additis, liber ad Scapulam ad eiusdem de la Cerda ed. exſcripti ſunt.

1695.

Repetita eſt h. a. editio Rigaltio-Prioriana. (*Ceillier.*)

SAECVLO XVIII.

1701.

Venetiis. f. Q. S. Fl. T. op. c. variorum notis ſelectis ad voluminis calcem. — *Fabricius* (*Del. p. 215.*) *ex Pfaffii Origg. iur. Eccl. p. 244.* non admodum emendatam eſſe narrat.

-☼- -☼-

Amſterd. chez Thom. Lombrail. 8. Apologetique de Tertullien, ou deſenſe des Chriſtiens contre les accuſations des Gentiles, traduite en François par *Louis*

Louis Giry avec le texte latin à coté; edition augmentée d' une diſſert. critique touchant Tertullien et ſes ouvrages. — Verſio haec Ludouici Giry (in Senatu regio Pariſ. aduocati † 1665.) ab anno inde 1636. aliquoties prodiit absque textu latino.

1708.

Venetiis. 4. ſex tomis. *Tertullianus praedicans* per Michaëlem *Vivien.* — *Fabricius* mentionem facere de eo dicit — Ephemerides Pariſ. (Journal des Sçav.) 1708. *Febr. p. 408.* Sed nullam ibi libri mentionem inuénire potui.

1713.

Patauii. 4. Tertulliani liber de Oratione completus cum notis Guid. Panciroli et Ludouici Antonii Muratorii. — In Muratorii Anecdotis T. II. p. 1 - 56. Ex Codice Biblioth. Ambroſianae Mediolani. Notae Guidonis Panciroli Iurisconſulti olim Celeberrimi Regienſis ex Comm. plenioribus in omnia T. opera in bibliotheca P. Ioh. Bapt. Cattanei, Franciſcani, tum latentibus, vt ſaliuam popularibus ſuis moueret ad delicias iſtas tamdiu neglectas in lucem proferendas edidit.

1718.

Lugduni Bat. apud Iſaac. Seuerinum. Q. S. Fl. T. Carth. Presb. Apologeticus ad Codices MStos et Editiones Veteres ſumma cura recognitus, caſtigatus, emendatus, vt et perpetuo Commentario, in quo non modo Variorum Auctorum, ſed et plura S. Scripturae loca ſtrictius vel vberius explicantur, elucidantur, et illuſtrantur, ſtudio et induſtria *Sigeberti Hauercampi* V. D. miniſtri, qui praeter Argumenta Capitum, Indices etiam locupletiſſimos tres adiecit. Cum

D 2 figuris

ſiguris et nummorum typis (praeſixa etiam effigie Tertulliani cum epigrammate). — Praeſtantiſſima huius libri Tertullianei editio. Quippe editori antiquarum rerum cognitione abundantiſſimo et curioſiſſimo ſimul obtigerat adparatus valde locuples. Etenim praeter editiones fere omnes, adhibuit *Codices Membran. Biblioth. Lugd. Bat. duo,* quorum alter p. 324. alter p. 376. Cat. Bibl. Lugd. B. memoratur, tum *variantes lectiones Codicis Fuldenſis* a Modio exſcriptas et cum editione Iunii a. 1597. primum vulgatas, ex iſto autem tempore nulli fere niſi Gothofredo cognitas et a Nic. Rigaltio demum in vſum vocatas, ſed ita vt quae ipſi placuerint inde deſumpſerit, neque vllam reliquarum, quae ſatis multae erant, in Notis ſuis mentionem fecerit, quare ſatis foecundum Hauercampio ſpicilegium ſupereſſet; praeterea *Collationem Codicis Agobardini,* diuerſi ab illo, ex quo magna ſcriptorum reliquorum Tertulliani pars olim fuit excitata, ſed notae ſatis bonae et nulli ante ipſum editorum Tert. inſpecti. Collatio vero facta a Ioſia Mercero (Agobardi) 1625. ad exemplar ed. Pamelianae extat in Bibl. Lugd. B. p. 71; eandem a Paulo Colomeſio ad oram ed. Rigaltianae deſcriptam poſſidebat Franc. Fabricius, Lugdunus Theologus, qui Hauercampii vſibus illam ceſſit. Quoniam autem aliquantum iam operae proceſſerant, antequam ea ſubminiſtraretur, priorem XI capp. diuerſitas, vt et integra MS. membr. ſecundi L. B. collatio, quae opuſculo iam ad extremum progreſſo obuenerat, *addendorum* loco praemiſſae ſunt. Nactus erat inſuper *Ioſ. Scaligeri aliquot coniecturas* edit. Iunii adſcriptas, aliasque *emendationes ex vetuſtis Codd.* eiusdem editionis exemplari a *Petro Scriuerio* adiectas. His tamen copiis Hauercampius Rigaltianum textum conſirmauit magis quam nouam recenſionem procudit,

in

in explicandis vero verbis illuſtrandisque, quae ad hiſtoriam, ritus et religiones antiquas pertinent, inſigni doctrina, eaque cum iudicio temperata, eſt verſatus, illud imprimis detexiſſe gaudet, quod *bis* idem hoc ſcriptum hic illic paullum in verbis et oratione immutatum Tert. in publicum emiſerit. Promittit et reliquos, quos aduerſus Gentes variis titulis compoſuit Tertullianus, libros, notulis et aliorum illuſtratos, in his libros ad Nationes innumeris locis emendatos, vna cum Prolegomenis eruditis, in quibus omnino de vita et ſcriptis eius vberius diſputaturus ſit: quae cur lucem non adſpexerint, ignoramus. Nummi et alia aere expreſſa, pro more, quem tunc ad vnum omnes eruditi ſequebantur, ornatui potius quam vſui ſunt. Ab illis vero ducta dedicationis occaſio ad Gualterum Blockium gazophylacii ornatiſſimi poſſeſſorem.

1744.

Venetiis, typis Gaſparis Gerardi. f. Q. S. Fl. Tert. Opera. — Recuſa Priorii editio, vide tit. ed. 1675; in hac vero nouiſſima editione Veneta additur Sigeberti Hauercampi Commentarius in Apologeticum. — Splendidum artis opus. Notae textui ſubiiciuntur. Apologeticus c. comm. Hauercampi *a mendis quibusdam expurgato,* vt ibi additur, peculiari titulo ornatus eſt adiectaque in calce Io. Laur. Moshemii Disquiſitio chronologico-critica de vera aetate apolog. a Tertulliano conſcripti; initioque perſecutionis Seueri: inſcripta Viro Clariſſ. Sigeb. Hauercampo. — Dolendum eſt tot operarum vitiis hanc editionem eſſe maculatam.

1769 - 76.

Halae ad Salam, ap Io. Chriſt. Hendel. 6 Voll. Q. S. Fl. T. Opera recenſuit Ioh. Salomo Semler. —

 Ab

Ab initio ſeorſim *quinque libri aduerſus Marcionem* prodierunt, quibus tanquam Tomo primo reliqui, quatuor Voluminibus, ſunt adiecti, ſextus indices cum gloſſario Tertulliani praebet. Editionem librorum aduerſus Marcionem haud quidem alia de cauſſa aggreſſus erat Semlerus, quam vt Academicis ſtudiis libro prae aliis Tertulliani inſigni et forma deſcriptioneque facto parabiliori inſeruiret, nec operum edendorum conſilium rationem ſemel initam mutauit. Textum reduxit Rhenanianum, editionis primae, ſed ſuo partim ingenio, partim ſuffragantibus editt. reliquis emendatum, varietate in dubiis, rarius coniecturis ſubſcriptis. Ad manus erant praeter Rhenani primam Pariſienſis Gagnaei an. 1566. 8. Pameliana 1597. Franeckerana Franc. Iunii eiusdem l. et a. Rigaltii prima cum Veneta nouiſſima, praeterea *Lat. Latinii* Bibl. Sacra et Prof. et *Wowerii* Notae Epidicticae an. 1603. Tom. II. complectitur plerasque ſcriptiones polemicas: *de praeſcriptionibus haeret. aduerſus Hermogenem, Valentinianos, Praxean, Iudaeos, contra Gnoſticos, adu. Pſychicos.* T. III. exhibet libr. *de velandis virginibus, de habitu muliebri, de cultu feminarum, ad vxorem I. II., de exhortatione caſtitatis, de monogamia, de fuga in perſecutione, ad Scapulam, de Reſurrectione Carnis, de Carne Chriſti;* Tom. IV. *de oratione*, integrum ex cod. Ambroſ. ſupplementis a *Muratorio in Anecd.* propoſitis, *de teſtimonio animae, de poenitentia, ad martyres, de patientia, de ſpectaculis, de idololatria, de baptismo, de anima, de corona militis, de pudicitia;* — Tom. V. *apologeticum, ad nationes I. II. de Pallio* cum I. Semleri Diſſert. in *Tert. de varia et incerta eius librorum* indole; Sextus denique cum praefatione Semleri *Indices 1) locorum S. S.* in Tert. *opp. occurrentium; 2) rerum et ſententiarum memorabi-*

rabilium. 3) *Latinitatis Tertullianeae*, qui perpetui commentarii vicem ſuſtinere poſſit. A Tomo inde quarto omnem editionis curam geſſit, praefatus etiam eſt Chriſt. Godofred. Schützius, Celeb. nunc Acad. Ienenſ. litt. hum. et Eloqu. Profeſſor, qui cum iam ſuperioribus Voluminibus operam in colligenda lectionum varietate nauaſſet et hic ab incepto nihil deſciuit, niſi quod potiores tantum eligendas varietates lectionis cenſeret inutilibus, quo etiam Franc. Iunii hariolationum partem refert, omiſſis. Vbi Rhenani ed. deficeret, Pamelianam ſecutus antiquam vbique lectionem, niſi, cum omnino ferri non poſſe videretur, expreſſit. In libris Vol. V. comprehenſis Apologeticum ex Hauercampii, de Pallio ex Salmaſii emendatione, libros ad nationes ex Rigaltii auctoritate propoſuit. Vtinam vero cum reliquis Cl. Semleri in Tertull. diſſertationibus, nouae luci facem praeferentibus, et iſta, quam Schützius promiſerat hiſtoriam operum et editt. Tertulliani, acceſſiſſet! — Non curioſe ſatis Cenſor Goett. huic Editioni propriam eſſe inquit *deſcriptionem librorum per capita*, quippe quae a Pamelii inde temporibus ſemper obtinuit.

1780.

Wirceburgi in off. libr. Staheliana: Q. S. Fl. Tertulliani opera omnia. To. I. II. etiam ſub tit.: *Opera Omnia* SS. PP. latinorum Vol. I. II. Editor Celeb. *Oberthür* ſecutus eſt editionem Halenſem, ſed ita, vt compararet editionem Pamelianam, Pariſ. 1608. recuſam et variantes illius lectiones partim in calce ſubiiceret, partim, raro tamen et circumſpecte, illam emendaret. Quod fecit in volumine ſecundo, vt ipſe fatetur paullo liberius, ſubſtituendo, vel ex Pariſina editione, vel ex varietatibus lectionum ab Halenſi editore collectis, hinc inde vel voculas alias,

 vel,

vel, rarius tamen, integras etiam ſententias. Praeterea ordinem librorum chronologicum ex Noeſſelti auctoritate adoptauit, hac tamen cautela, vt libros contra Marcionem, non aliis interiectos, prouti Viri illius Chronologia exigebat, ſed coniunctos vna ſerie, ſeque immediate excipientes publicaret. Addidit etiam Carmina Tertulliano olim tribui ſolita, contra *Marcionem* ſcilicet, *de iudicio Domini*, *de Geneſi*, *de Sodoma*, *de ligno vitae*, a Pamelio praetermiſſum, et *ad Senatorem*.

1784.

In Aſſiſi. 8. Oſſervazioni ſopra l'Analiſi del libro delle Preſcrizione di Tertulliano. — Praecedit cum verſione italica textus latinus Pamelii ex ed. Franeckerana 1597. (mendoſe ſcriptum 1697.) et Variantibus LL. Rigaltii ad Venetam 1744. Liber ille, ad quem hae obſeruationes ſpectant, prodierat Ticini. 1783. 8. de vtroque *Oelrichſius* noſter, vt puto, lectores monebit.

✣ ✣

Verſiones librorum, niſi quae inſigni aliquo modo textum adiuuarunt, non commemorabimus. Id vero de *Gallicis* ſingulorum opuſculorum, imprimis *Apologetici*, libri de *Corona*, de *Pallio*, de *Carne*, quas paſſim laudatas inuenies, haud affirmare poſſum; ab *Italicis* et *Hiſpanicis* vix expectamus.

✣ ✣

Codicum, ex quibus hucusque Tertullianus editus ac reſtitutus eſt, indicem ſubiungere placet. Deſcriptionem ſuo loco, ſi qua data erat, exhibuimus. Poterit fortaſſe huius ope de membranis vetuſtis, quae paſſim in Catalogis inſignium Bibliothecarum laudantur, iudicium aliquod ferri.

1. Igno-

1. Ignoratur vetus exemplum, vnde Apologeticus primum exſcriptus eſt.
2. 3. *Hirſaugienſis* et *Paterniacenſis* primi fuerunt, ex quibus Tertullianus Rhenano obſtetricante prodiit.
4. 5. *Gorzienſis* et *Fuldenſis*, quem poſthac *Franciſcus Modius* diligentius excuſſit, plurimum emendando T. profuerunt.
6. *Gagnaei* codicem, ex quo pleniorem T. dedit, ignoramus.*)
7. *Britannicus* coenobii *Masburienſis*, a Io. Lelando cum Gelenio communicatus, plane egregius, et qui multos, qui vsque dum non habebantur libros T. praebuit, aliis contra, qui iam extabant, carens.

8 - 13. *Codices Pamelii; tres Vaticani*, Card. Sirleti iuſſu in vſum eius collati; *duo Monaſteriorum* S. *Amandi* et *Bauonis* in Belgio; *vnus Anglicanus*, qui penes Io. Clementem fuit.

14. *Codex Agobardi* prior, quem primus tractauit *Gothofredus* et poſt eum *Rigaltius* excuſſit, pluribus qui antea non extabant ex eo libris editis. Extat in Bibliotheca Regia Galliae.

15. *Codex Puteani,*

16. *Codex Bongarſii.* His vſus eſt *Heraldus.*

17. *Codex*, quem *Salmaſius* ad librum de *Pallio* perpoliendum adhibuiſſe profeſſus eſt.

18. 19. *Codices duo membranacei* in Bibl. Lugduno-Bataua n. 324. et 376. exiſtentes, quibus

 liber

*) Quos in tertiae Baſ. edit. titulo S. Gelenius indicauit *codices complures e Gallicanis Germanicisque bibliothecis conquiſitos*, non alios eſſe putamus quam ſub nn. 2-5. laudatos cum editione Pariſienſi Gagnaei.

liber de Pallio comprehenditur. *Adhibuit Havercampius.*

20. *Codex Agobardinus* a ſuperiori diuerſus, quique fortaſſe non niſi librum *de Pallio* complectitur. Laudatur Hauercampio ſed non deſcribitur.

Inſuper *Variantes Lectiones*, quas e variis Libris MSS. F. Vrſinus collegerat; notemus, quas poſt Wowerium Rigaltius in vſum vocauit.

CAPVT TERTIVM

Quod ſcriptores ſaeculi tertii potiſſimum complectitur.

I.

A*nonymum* Actorum Felicitatis et Perpetuae auctorem ad annum 202. refert *Caue* p. 99. ad quem hic lectores ablegare placet. Vberius de his nuper diſſeruit P. *Placidus Sprenger* in Theſ. rei Patriſticae (Wirceb. 1785.) T. II. p. 172 ſqq.

2.

M. MINVCIVS FELIX.

§. 1. Vita et Liber eius. §. 2. Editiones.

§. 1. Vita eius et libellus. *M. Minucius Felix* auctor Dialogi apologetici Chriſtiani et Ethnici diſputantium, qui *Octauius* inſcribitur. Quis, et vnde fuerit? et cuius potiſſimum imperatoris temporibus vixerit? incertum. Cauſidicum inſignem Romani fori fuiſſe, Lactantius et Hieronymus memoriae prodiderunt, nec ab eo certe libelli ipſius teſtimonium abhorret. Ad annum p. C. n. 230. referunt, qui Hieronymo duce vſi hoc ſaltem

tem probabiliter ſtatuere ſibi videntur, quod Tertulliano inferior, antiquior Cypriano aetate fuerit. Longe tamen ab hac ſententia receſſit *Io. Dan. van Hoven* in Ep. hiſtorico-critica de vera aetate, dignitate et patria M. M. Felicis, etc. Campis, 1762. 4. Hic erudite et ſubtiliter et magna cum contentione id egit, vt Minucium ante Tertullianum, et, quod itidem ipſi placuit, M. Antonini temporibus floruiſſe probaret. Cuius viri laudabilem ſane diſputationem vt brevibus ſententiis complectar, vel ipſe eius liber, qui non admodum frequens eſt, ſuadet.

Diſputat ergo V. l. pro Minucio ante Tertullianum conſtituendo: 1) Ex ſtilo puriori, quo omnes ſaec. III. SS. poſt ſe reliquerit; 2) Ex facie eccleſiae chriſtianae, quae ex Caecilii et Octauii calumniis et caſtigationibus multum diuerſa appareat ab ea, quam in Tertulliani, Cypriani et Arnobii libris deprehendamus; quippe M. temporibus a) nondum tantam tamque conſpicuam vim Chriſtianorum, nec tum templa, altaria et ſacerdotia extitiſſe; b) contra vero multo laetiorem purioremque fuiſſe eccleſiae ſtatum interiorem, chriſtianis ſcilicet nondum longae pacis malis corruptis. 3) Ex ſimilitudine, quae inter Iuſtinum, Athenagoram et Minucium, tum ratione methodi, tum argumentorum, tum etiam calumniarum, quas impugnent, intercedat: vnde confici poſſe putat, hos tres circa eadem pene tempora vixiſſe et ſcripſiſſe, atque ex his tribus potius profeciſſe Tertullianum quam vllus horum trium e Tertulliano, qui plura illis ignota et nuper demum prolata conuicia longe pluribus diuerſisque rationibus retuderit. Quo maxime illud referri vult, quod Tertullianus domeſticos Chriſtianorum proditores commemoret, de quibus apud Athenagoram et Minucium altum ſilentium. 4) His ergo conſtitutis, Frontonis aetatem et con-

conditionem probabiliter diuinari poſſe putat. Diſſerit enim, Frontones plures ſaec. II. claros fuiſſe, paucos ſaeculo III, oratorem, hoc quidem ſaeculo, omnino nullum. Talem vero fuiſſe Frontonem rhetorem, M. Antonini praeceptorem, eundem, qui inimicum in Chriſtianos animum M. Caeſari diſcipulo ſuo, rhetoricis coloribus et conuiciis, magno rei Chriſtianae incommodo inſpirauerit. Quod continuo firmari poſſe exiſtimat 5) ex eo, quod Caecilio Octauius reſpondet: „Si de iſto et tuus Fronto, non vt affirmator teſtimonium fecit, ſed vt orator conuicium adſperſit.“ Vnde ſatis appareat, tum qualis orator, tum quod Caecilii et Minucii aequalis fuerit. Additur, Minucium haud dubie ad huius Frontonis conuicia oblique retundenda Dialogum ſuum conſcripſiſſe, qui ſimpliciter eundem impugnare ob nimium imperatoris fauorem vix auſus eſſet, licet et argumentorum pondere et ſtili elegantia cum ipſo certaſſe videri poſſit. Quin ipſam ſtili pro Dialogi mediocritate vbertatem et venuſtatem quodammodo prodere videri, ipſi cum ſummo illius aeui rhetore rem fuiſſe. 6) Deinde quoniam Octauius cap. XXVIII. „*nos, qui ſacrilegos — ſed quae mendacium cogeret*“ de actis tam ſuis quam Minucii fateatur, ſeſe non tantum cauſas olim egiſſe, ſed etiam quaeſtiones exercuiſſe, adeoque ſero ſatis, atque ſaeuiente adhuc perſecutione, cuius ſaeculo III. ad Maximinum Thracem vsque nulla ſiat mentio, religionis Chriſtianae myſteriis eſſe initiatos: colligi poſſe arbitratur eos vel quaeſitores fuiſſe, vel praeſides egiſſe, omnino vero haud obſcura nomina et infimi ordinis viros fuiſſe Minucium atque Octauium. 7) Iam ſi per illam perſecutionem Septimii Seueri vexationem intelligamus: probabile non eſſe, virum grauem, eodem plane tempore, eodemque loco, iisdem verbis, quae Tertullianus paulo

ante

ante plenius et copioſius ediſſeruerat, carptim dicere ac repetere voluiſſe, nec tamen fontem, ex quo profecerit, laudare. — Nam quod Tertullianus Minucium non laudauerit, id facile excuſari poſſe, quippe qui L. fere annis poſt longe plura et noua Minucio non ſolum indicta, ſed et inaudita acute et copioſe diſputauerit, ita vt Minuciana inter haec vix appareant. 8) Magnum vero ſuae ſententiae pondus accedere ex eo, quod ſicut Frontones plures Saeculo II. inclaruerint, ſic etiam Minucii, cumprimis inter iuriſperitos, quos Saeculum III. fere neſciuerit. 9) Porro Minuciam gentem, licet plebeiam, numeroſam et clariſſimam fuiſſe, Romae praecipue et Brixiae: noſtrum ergo aut Brixienſem aut certe Italum fuiſſe. Nam Balduini ſuſpicionem, quod Afer ſcil. Minucius fuerit, quoniam Frontonem Cirtenſem *ſuum* dixerit, vel propterea probari non poſſe, quod tralatitium ſit, *ſuos* et *noſtros* aequales et conſentientes dicere. Neque vero dicendi genus, quod ad Africanum Tertulliani, Cypriani et Arnobii accedat, indicio eſſe poſſe; quippe qui Minucium potius ſibi imitandum ſumſerint. Deinde etiam per Africanos rhetores, qui Romae ſub M. Antonino potiſſimum floruerint, formas Africanas inualuiſſe, et antiquam illam caſtitatem magis magisque deficere cepiſſe, vt, ſi hos omnes Afros fuiſſe velis, apud quos Africismi occurrunt, iam neminem reliquum Romanum facturus ſis. Denique multas apud Minucium formas Africismi accuſari, vel importuna criſi vexari, quae latiniſſimae et aureae plane aetatis ſint. 10) Eos reprehendit, qui ex loco cap. XXXVII. §. 7. tempus, quo Minucius vixerit, eruere conati eſſent, ad tempora proxima poſt Pertinacis caſum referentes, quae ibi ſatis obſcura vtique leguntur. 11) Poſtremo addit, nec vnicum illud et praecipuum momentum, teſtimonium ſcil.

ſcil. Hieronymi obſtare, quo minus ante Tertullianum Minucium vixiſſe concedas. Nam licet is quatuor locis conſtanter Tertulliano Minucium poſtpoſuerit, antiquiorem tamen Hieronymo, nec in hac cauſa contemnendum teſtem eſſe Lactantium Inſt. I. §. 22. qui ita recenſeat cauſae Chriſtianae patronos, vt Minucium Tertulliano et Cypriano faciat priorem. Iam cum Hieronymus in Cat. ad Lactantium prouocauerit ſuaque ex illo hauſiſſe fateatur, in tribus aliis locis vero ordinem temporis negligat: non repugnare moribus ipſius quod Tertulliano ob maiorem claritatem principem inter eos locum contulerit. Tam vagum certe et lubricum teſtimonium externum interna iſta eo minus eleuare poſſe, cum alio etiam loco Lactantius mentem ſatis declarauerit, (Lib. I. cap. 11. §. 55.) vbi tanquam Minucii obſeruationem laudet, quam Tertullianus aeque in Apologetico exhibeat, adeoque illum tanquam primum eius auctorem et antiquiorem Tertulliano renunciauerit. —

§. 2. Editiones. Primam inter nos aetatem *Minucius Felix* in conſortio Arnobii transegit pro Octauo huius libro falſo habitus ab anno inde Saeculi XVI. quadrageſimo ſecundo, quo primum lucem Afer iſte obſtetricante Sabaeo adſpexerat ad Balduinum vſque, qui primus a. 1560. Heidelbergae apud Commelinum ſeparatim Octauum hunc Arnobii librum prodire iuſſit, et vero ſuo auctori ſingulari diſſertatione ita vindicavit, vt mirarentur, qui cognoſcerent, non prius ſibi idem eſſe animaduerſum. Ac profecto mirari ſatis non poſſumus, quae eadem Wowerii eſt ſententia, quomodo hic tantus error Eraſmi aciem ſubterfugere potuerit. Sed quamquam Balduinus primum id egit, vt quod vero auctori tam diu iniuſte eſſet detractum, poſtliminio rediret, primum tamen fraudem detexiſſe *Hadria-*

Hadrianum Iunium, medicum Batauum et Philologum ſuae aetatis celeberrimum ferunt. At vero non Iunii iſte honor, ſed Antonii Morilloni, docti hominis et ingenioſi, ad quem nonnullae Iunii extant epiſtolae, et cui ipſe Iunius hanc laudem vindicat in animaduerſſ. lib. III. c. 1. ed. nouiſſ. Roterod. 1709. p. 139. Nihilominus viginti et aliquot annos poſt ed. Heidelb. F. *Vrſinus* in ed. Rom. Arnobii Minucium a ſeptem illius libris ſeparatum edidit, et quaſi ipſe demum ſolus auſus eſſet, quod ſiue neſcierit, ſiue neſcire ſimulauerit, a Balduino factum, ſenſiſſe primum Cardinalem *Sirletum* affirmat. Sed his omiſſis ad ipſum iam Octauium conuertamur, qui quidem tot emendatores nactus eſt, quot editores. Nulla editionum eius, quae admodum crebrae ſunt, familiam duxit; immo vix vna et altera aliquoties repetita eſt. Cauſa fuit orationis ipſius genus rhetoricum ad tot vniuerſae fere latinitatis exempla compoſitum et floribus vndique decerptis conueſtitum. Hinc ingens protuberauit coniecturarum copia, quo plures forte ex variis locis colores periodus aliqua traxiſſet, vel plures ſimul memoriam Vv. Dd. obuerſarentur. Hac cedebat alterum, argumenti celebritas, a tot veteris eccleſiae ſcriptoribus magna cum dicendi contentione et perueſtigatione totius fere antiquitatis agitata; inter quos mira quaedam intercedit non ſolum in vniuerſa cauſae pertractatione et rerum ſumma, ſed etiam in ſingularum partium et argumentorum adornatione, in exemplorum vſu, ſententiis, verbis, ac figuris ſimilitudo. Inde fieri neceſſe erat, vt nemo non tam largam obſeruationum meſſem colligeret, quin ſequenti etiam aliqua relinqueret. Quod maxime conſtare puto ex eo, quod in tanta edendi et perpoliendi Minucium concertatione, tamen nunquam non deeſſent, qui peculiaribus ſcriptis opes nouas afferrent,

rent, ita vt, ſi ab vno antiquitatis ſcriptore conatuum criticorum vim noſci poſſe putes. certo Minucii noſtri exemplum inſtar omnium eſſe poſſet. Magna ſunt Balduini, Vrſini, Wowerii, Heraldi, Elmenhorſtii, Rigaltii, Cellarii, Dauiſii, Iac. Gronouii, qui ſinguli edendo Minucio vacarunt, nomina; neque minorem certe meruit laudem de Minucio, pro ſingulari in reliquorum opibus aeſtimandis iudicii acrimonia, editor nouiſſimus *Lindnerus*, ſcholae tunc Longoſaliſſ. Conr., iam Arnſtad. Lycei Rector meritiſſimus. Praeter hos ſymbolas contulerunt diverſis temporibus et locis *Io. Meurſius* in Hypocritico Minuciano ſubi. Critico Arnobiano. L. B. 1598. (vid. Arnob.) *Io. Fr. Gronouius* in obſſ. ad SS. aliquot eccleſiaſt. *Io. Schefferus* in miſc. crit. Vol. IX. T. II. *Io. Iortinius* et *Anonymus* (quem *Ierem. Marklandum* eſſe ſuſpicatur *Saxius* Onom. To. I. p. 362. qui omnino in his conferri debet) in Miſc. Obſſ. Vol. I. II. III. *Thom. Wopkenſius* ib. Vol. X. T. I. *Fr. O. Menkenius* in Miſc. Lipſ. nou. Vol. V. Part. IV. 4. p. 729-755. *Chr. A. Heumannus* ibid. Vol. V. VII. VIII. pluribus locis. *Io. Fr. Grunerus* in Act. Societ. Ien. Vol. V. P. 1. 2. p. 220. et 244; quos magnam partem iam in vſus vocauit eoque praecipuam ſuae editioni dotem comparauit l. Lindnerus. *Io. Fr. Gronou.* et *Iac. Perizonium* iam Cellarius conſuluerat. Ac quoniam inter editores, qui ipſum praeceſſerant, Dauiſius iure ſuo palmam tribuit Rigaltio, hic cuius etiam praefatiuncula rariſſime conſpicitur, de ſuperioribus iudicium ferto. „Annis (poſt Balduinum et Vrſinum) ſecutis prope viginti, inquit, vir eximie doctus et iudicii admodum exacti, Io. Wowerius, Minucii ſextam editionem per Frobenianos accurauit, Notas appoſuit ſinceras collatione veterum, qui pro Chriſtianis Apologetica ſcripſerant per-

perutiles. Etenim multa praecedentibus editionibus obſcura et deprauata remanſerant. Vetus exemplar inſpexiſſe videtur; illud ipſum ex quo Romanam editionem primam per Ferrarium et Priſcianenſem fuiſſe cuſam teſtatur Fauſtus Sabaeus, praef. ad Franciſcum I. cuius nomini maieſtatique opus dicatum fuerat, et iuſſu quidem, vt videtur, Pontificis Maximi. is potentiſſ. Principi vetuſtorum exemplarium Bibliothecam inſtituenti, cum editione Arnobii typographica veteres etiam membranas, vnde prodibat editio, donari voluit. nam exinde in Bibliotheca regia cenſentur: tanti plurimi aeſtimandae, quod Minucii vel Arnobii vetus exemplar aliud vllibi extare hactenus eſt incompertum. Annis poſt Wowerium nouem, ſeptima M. editio venit in lucem, a Geuerardo Elmenhorſtio elaborata, Balduini praefatione recuſa et Wowerii notationibus interſperſis adiectisque inſuper veterum eiusdem argumenti auctorum paginis locuples. Illic praeterea Vv. Ll. exhibitae ac ſaepenumero citatus perperam liber MS. non alius ſane quam ille regius; qui liber viſus eſt etiam Deſ. Heraldo, cuius adeo poſt caeteras omnes accuratior editio anno poſt Elmenhorſtium prodiit. Nos hac ipſa denuo cum eodem libro regio commiſſa et comparata, deprehendimus, quae perſpicaces oculos effugerant aliquam multa, nec pauca etiam ſecus accepta quam velit ipſe Minucius; vt iam opinari liceat, huic editioni noſtrae locum fuiſſe ſeruatum, nec offenſum iri de praecedentibus editoribus quemquam, ſi quid ſibi bono publico fiat, quod ipſe ſuis anteceſſoribus non ſine gloria feciſſe dicatur." — Rigaltio ſucceſſit Cellarius; nam Ouzelium lubens praetereo. At ille vir, qui nullo non tempore egregia protulit, etſi in ſcholarum vſum proxime operam ſuam compararet, tamen non parum caeteris editoribus, et in textu con-

ſtituendo, et illuſtrando, in quo ſolita ipſi moderatione vtebatur, acutius vidit; textum in capp. et §§. deſcripſit effecitque induſtria ſua plus quam caeteri editores omnes, vt a iuuentute cum fructu M. legi poſſet. Rigaltii potiſſimum recenſionem, notas integras (neſcio cur non etiam praefationem,) cum ſelectis aliorum et ſuis reddidit vir exercitati iudicii et meritis ſuis de Cicerone poſthac clarior *Io. Dauiſius*. Nec vero poſt tot talium virorum in tam exiguo libello labores *Iac. Gronouio* campus vires exſerendi deficiebat. Nam et explicauit multa egregie et ex veſtigiis lectionis Cod. Reg. iterum iterumque excuſſi prorſus diuine nonnulla repraeſentauit. Ipſe tamen lectores admonet, *ne credant, vel ſic ad menſuram elegantiae ſuae illuſtratum eſſe M. vel penitus reſtitutum.* In quo illud maxime eſt dolendum, quod ingens illa notarum moles ab Elmenhorſtio et, qui plane inſulſus erat, Ouzelio, virum acerrimum deterruit, quo minus e penu ſuo plura depromeret. Vtinam vero perfeciſſet, quod tum ſepoſuiſſe tantum videri vult, vt rimaretur et oſtenderet, quod genus ſcripti veteris M. praecipue in mente habuerit, adeo vt ſecutus fuiſſe in plurimis videatur, aut quas magis exiguas partes aliunde petere voluerit ſatis manifeſta imitationis claritudine. — De Lindueri opera ſupra dictum. Quid poſt tantum Vv. Dd. agmen faciendum reſtet, futurus editor ex ipſa earum comparatione diſcat, quem Minucio certe poſthac etiam non defuturum eſſe confidimus.

Saec. XVI.

1542.

Romae, apud Franc. Priſcianen. ſ. cum Arnobio Fauſti Sabaei.

1546.

1546.

Baſil. ap. Frobenium, 8. cum Arnobio Sig. Gelenii.

1560.

Baſil. ap. Froben. 8. in ſecunda editione Arnobii Gelenii.

* *

Ex off. Lud. Lucii, typ. Heidelbergenſ. 8. M. Minucii Felicis Romani olim Cauſidici *Octavius*, in quo agitur vet. Chriſtianorum cauſa. Reſtitutus a Fr. Bald. (ita exſcriptum) I. C. Textum merum haec editio exhibet, ſed praefatio addita eſt, in qua cum vindiciae pro M. F. vero auctore ex Hieronymi et Lactantii teſtimoniis, ſtili et formae ſcribendi ab Arnobiano diſcrepantia traduntur, tum argumentum et analyſis totius libri proponitur. Nuncupauit Balduinus Minutium ſuum Friderico Electori Palatino, Academiam Heidelbergenſem recens tunc ab iſto principe inſtitutam his primitiis Muſarum quaſi conſecraturus.

1580.

Pariſ. f. ex ed. Renati Laurentii *de la Barre* cum Tertulliano et Arnobio.

1583.

Romae, typ. Dom. Baſae. 4. cum Arnobio F. Vrſini, ſed Minucii nomine.

1589.

Pariſ. f. *Bodl.*

1598.

Lugd. Bat. 8. *Io. Meurſii* Hypocriticus Minucianus. cum eius Critico Arnobiano.

Saec. XVII.

1603.

Ex Bibliopolio Frobeniano. 8. M. M. Fel. Octauius et Cypriani de Idolorum Vanitate. Io. a Wower recenſuit. — Praefatus non eſt. Notae ſunt doctae nec praeter locum appoſitae. Librum MS. cuius Lectiones ſaepius laudat, Codicem Regium eſſe puto, de quo ſub Arnobio dicendi locus erit.

✣ ✣

Hanouiae, typis Wechel. 8. cum Arnobio Elmenhorſtii. Ita ſaltem titulus habet, de re ipſa tamen vix mihi quicquam conſtitutum eſt, propter Scaligeri epiſtolam (L. B. nonis Iun. Iul. 1603. datam), vbi pro accepta Arnobii pagella et honore ſibi habito gratias agit, et verſus finem, *Laudo*, inquit, *quod conſilium de editione Minucii abiecisti: magis laudarem, ſi et ſimultatem quoque. Quod oro facias, et quam primum cum eo (Wowero) in gratiam redito.* Certe nihil niſi merum textum hoc anno cum Arnobio excuſum eſſe, animaduerſiones vero anno 1612. demum confectas eſſe, ipſe Elmenhorſtius ſubſcriptione teſtatus eſt. Omnino vero de hac inter Elmenhorſtium et Wowerium ſimultate propter iudicium etiam de Elmenhorſtio legi debent Scaligeri Epp. 260. 61. 62. 63. Certe nimis verum eſt, quod ipſe in aurem Scaliger: „*Ipſe (Wowerius) te, quod negare non potes, et aetate, et ſi verum non odiſti, etiam rerum vſu antecedit. Se ipſe in F. M. ed. nullam tibi de meſſe ſua ſpicam reliquerit, quid ſupereſt, quam vt hoc conatu ſuperſedere.*" Sed ſtipulas legere iuuabat. Vide Iac. Gronouii cenſuram.

1605.

Pariſ. ap. Marc. Orry. 8. cum Arnobio *Deſiderii Heraldi.*

1610.

1610.

Francof. 8. Balduini repetita. *Fabric.* Del. Argg. p. 216.

✣ ✣

Pariſ. f. — *Cat. Bibl. Barber.* T. II. f. p. 76. et *Cat. Bibl. Bodl.*

1612.

Hamburgi f. M. M. F. Octauius ex recenſione et cum commentariis *Geuerharti Elmenhorſtii.* accedunt Franc. Balduini Prolegomena in M. Min. F. Octauium. Elmenhorſtii commentariis Wowerii notationes interſperſas eſſe eumque ſaepe librum MS. citare, ubi tantummodo lectiones Codicis Regii appellandae fuiſſent, Rigaltius notauit. Scilicet ex eodem Wowerio librum illum MS. laudabat, vt ex iis, quae ſupra ad Wowerianam editionem ſcripſimus, diſci poteſt. Caeterum pro more ſuo integras auctorum veterum ſimilis argumenti paginas apponit, egregie hac teſtium nube Minutium illuſtrari cenſens.

1613.

Lutetiae Pariſ. 4. typis P. Mettayer. M. M. Fel. Oct. *Deſ. Heraldus* MS. Reg. ope emendauit et Notas addidit. — Confer quae nobis dicta ſunt ad Tertulliani Apologeticum, ab eodem hoc anno editum. Textum hic expreſſum iam a. 1605. cum Arnobio excudendum curauerat, hic tandem notis pro more doctis et exquiſitis ornauit. In ſumma Romanam ed. Fuluii Vrſini ſe ſecutum eſſe profitetur ea lege, vt ab illa, quam omnium fideliſſimam eſſe cenſet, niſi MS. Regio praeeunte, non recederet, et ea ipſa adeo, quae vel primo adſpectu vitium ſuum proderent, retineret tamen, nec Sig. Gelenii, qui haec

haec omnia (vitioſa intellige) mutare non dubitauerat, exemplum ſequeretur. Nihilominus, quod in laudem Viri dictum volo, Gelenii lectiones nonnullas vtcunque bonas non deſeruit, ſed Romanae praetulit. Codicem Regium Thuani beneficio nactus erat. Inſcripſit autem hunc libellum Ioanni Bochardo Sacri Conſiſtorii Conſiliario etc. — Aliam Octauii cum Heraldi animaduerſionibus editionem cum Arnobio a. 1615. 4. factam Fabricius *) commemorat, cuius tamen nec ipſe ad Arnobium, nec praeter eum quisquam meminit.

1624.

Pariſ. f. in Bibl. PP. Vol. IX. col. 1.

1627.

Oxon. 12. *Minucii Octauius. Biblioth. Muſei Britt.* voce Felix.

1643.

Lutetiae vidua Mathur. Dupuis. 4. M. M. F. Octauius et Caec. Cypriani liber de idolorum vanitate; editio noua ad fidem veterum exemplarium, ex recenſione et cum obſeruationibus *Nic. Rigaltii.* Notae ſunt paucae, ſed eruditae et aptae, vt ſolent Rigaltii; praemiſſa eſt de variis editionibus Octauii Minuciani praefatiuncula egregio iudicio et modeſtia conſcripta. Codicem Regium quoque iterum ſtudioſius, nec ſine fructu Rigaltius adhibuit.

1645.

Lugd. Bat. ex off. Iuſti Livii. 8. f. 12. M. M. F. Oct. Caec. Cypr. de idolorum vanitate, cum Obſeruatio-

*) Bibl. Lat. I. IV. c. 3. ed. Ven. T. II. p. 282. et in Del. Argg. p. 216.

ſeruationibus Nic. Rigaltii et Iulius Firmicus de profana ac vera Religione cum notis Io. a Wower vna cum nouo Indice. — Iul. Firmicus ex recenſione Wowerii peculiarem titulum habet ac ſeorſim ſiſti poteſt. Vterque liber pro ratione Bibliopolae curatus eſt. Ad Minutium pertinent praeter Rigaltii in M. et Cyprianum annotationes, indiculus verborum, et Balduini prolegomena typis iterum exſcripta.

Lutetiae, ap. Math. Dupuis. 4. iterata Rigaltiana *Fabric. Del. Argg.* p. 216.

1648.

Rothomagi, ap. Io. le Boullenger. 12. M. M. F. O. — textus in vſum Collegii Societatis Ieſu Rothomagi exſcriptus.

1652.

Lugd. Bat. ex off. Io. Maire. 4. — cum integris omnium notis ac Commentariis nouaque Recenſione *Iac. Ouzelii.* cuius et accedunt animaduerſiones; acc. praeterea liber Iulii Firmici Materni V. C. de Errore profanarum Religionum. — Futiliſſimi huius commentatoris notarum colluuies immenſitate ſua reliquorum omnium longe ſuperat. Ad ſingula Minucii verba vndicunque omnia apta inepta incredibili ſtupore et imprudentia corroſa ſunt. Nec vero ex proprio quidem lectionis penu, ſed aliorum, qui longe alio conſilio congeſti erant, cumulis. Quod ad textum attinet, in diſtinctione et interpunctione verborum multa ſe egregia praeſtitiſſe gloriatur, de quibus penes alios eſto iudicium. Inſcripſit Ouzelius opus ſuum Chriſtinae Suecorum. Firmicus ex Wowerii recenſione et vnius Wowerii animaduerſionibus editus eſt.

1666.

Pariſiis, ap. Io. Dupuis. f. cum Cypriani operibus ex ed. Priorii.

1672.

Lugd. Bat. ex off. Hackiana. — repetita Ouzeliana, nec tamen ad vnguem repraeſentata, ſed quod ingenioſe a typographis excogitatum eſt, notarum omnium congeries, quae in priori Ouzeliana poſt textum agmen ducebat, hic ipſum textum premit, vt ſaepius lineis iisdem ſexies et amplius ad ſingulorum auctorum, qui numeris diſtinguuntur animaduerſiones repetitis vix textum prae textu dignoſcere poſſis. De nouo adiecerunt membris itidem diſtractis Meurſii Criticum Minutianum. Quod lepidiſſimum denique accidit, medias inter reliquorum commentatorum animaduerſiones titulus Variarum lectionum ſeorſim conſpicitur, quae vnde allatae ſint, vix diuinabis, niſi penitus tibi perſpecta ſit bibliopolae huius in exornanda hac editione ſedulitas. Videlicet Variae lectiones ſunt ſeorſim ad calcem editionis ſuae ab Elmenhorſtio exhibitae, quas ſicut ille ex ſingulis priorum editorum adnotationibus collegerat, ita et ſuis locis ſingulas, et collectas iterum typis mandarunt.

1678.

Oxoniae. cum Notis Nic. Rigaltii. *Giornale di Roma* 1679. p. 137. *Fabric.* l. l.

1689.

Lipſiae. 12. cum verſione Gallica Ablancurtii e regione textus poſita. *Fabric.* l. l. 217.

1699.

Halae. Sumptt. Io. Frid. Zeitleri et *Henr. Muſſchi.* 8. — Minucii O. et Cypriani — vterque recen-

recenſitus et illuſtratus a *Chriſtophoro Cellario.* — Vſui ſcholarum, quae erat Viri huius optime meriti de iuuentute ſedulitas, conſulturus, textum Minucii ex ſuperiorum editorum nec non *Io. Frid. Gronouii,* cui primas merito defert, animaduerſis emendatiorem excudendum curauit adnotationibusque non multis et prolixis, ſed egregiis et nullo non tempore legentibus profuturis explicauit, quae vel ad lectionem ipſam, vel hiſtoriam atque fabulas, vel denique latinitatem ſpectarent, Cypriani libellum ad Wowerii exemplum adiecit, itemque Balduini diſſertationem; denique in fine acceſſerunt, quod ſerius et textu iam exſcripto demum adlata eſſent, obſeruata quaedam *Iac. Perizonii.* Poſtremo quae haud minima libri dos eſt, in capitula et paragraphos apte textum Minucianum primus deſcripſit.

SAEC. XVIII.

1707.

Cantabrigiae typis academicis, impenſa Io. Oweni. 8. — M. O. cum integris obſervationibus Nic. Rigaltii et Selectis Aliorum Recenſuit ſuasque notas adiecit *Io. Dauiſius.* — Praemittitur Franc. Balduini Diſſertatio Rerumque et Latinitatis Indices ſubnectuntur. Quoniam autem Rigaltium reliquorum M. interpretum agmen ducere Dauiſius cenſebat, quamquam non ab omni halucinandi periculo eum tutum eſſe concedit, eius prae reliquis curam habuit. Sed nec alios neglexit, nec adeo ea interdum effugere paſſus eſt, quae Viri Docti paſſim aliud agentes de Minucio obſeruaſſent, ſi qua harum animaduerſionum vtilitas eſſe poſſet. Textus diſtributionem a Cellario adoptauit. Caeterum admodum modeſte de opera ſua ſentit Vir Doctiſſimus, quae ad iuuenum

ingenia erudienda et exacuenda prae multis aliorum eſt vtiliſſima.

1709.

Lugd. Bat. ap. Corn. Bouteſtein et *Sam. Luchtmaur.* 8. — M. O. cum integris Woweri, Elmenhorſtii, Heraldi et Rigaltii notis aliorumque hinc inde collectis ex recenſione *Iac. Gronouii*, qui emendationes et explicationes ſuas adiecit. Accedit Caec. Cyprianus et Iul. Firmicus Maternus. — Dandum nimirum erat bibliopolis hoc, puto, vt notas Virorum in titulo laudatorum integras repeti pateretur Gronouius, qui de ipſis ſane ſi quis alius veram ſententiam tulit. Secundo vero conſilio curas eruditorum foris in Minucium exercitas, id eſt, adnotationes ad diuerſos auctores occaſione data in Minucii loca, ſeu vt illuſtrarent ſeu emendarent, ſcriptas diligentius conquiſitas excuſſit, quo nomine Pricaeum ad Apuleium imprimis magni facit. Quid ipſe ſtudii ad Minucium contulerit, ex his eius verbis optime puto conſtabit. *Inſita Dialogo doctrina ſuppeditaverat hilarem vbertatem*, inquit. *Inſuper quoque materiam libelli gerebam memoriae inſitam, et aderat veneratio ſermonis latini tam caſte ab ſcriptore vſurpati, vt ſic in legendo varia ſecutus, ad collationem ingentem forem promtus. Etſi praeter Sabaeum et Vrſinum, praeter Heraldum et Rigaltium Ioſephus Scaliger quoque et Salmaſius operam nauauerant collationi Codicis MSti, qui eſt Lutetiae; nullum tamen iſtuc proficiſci a multo tempore intellexi, quem non ad inſpiciendum rurſus hortarer et inſtigarem. Haec ipſa fuit etiam occaſio accenſae acrimoniae ad varia ſubolfacienda et veterem manum reponendam aut proferendam ſententiam ſcriptoris, vnde aberrabant alii, quum ſe indicarent maxime felices et ſagaces.*

Ad

Ad locum cap. XXI. de Diana Epheſia verubus exſtructa integram Lucae Holſtenii diſſertat. appoſuit, doctam vtique et ingenioſam ſane, ſed cuius forte commodius ſumma tantum adſcribenda fuiſſet. Ne vero te offendat, quod totus ſit in exagitando et cauillando, qui ab eo vix nominari dignus erat Ouzelio, Iacobum Gronouium noſſe debes. Nummos et figuras aere inciſas aetas illa in auctorum veterum editionibus in deliciis habebat; ad vſum nihil conferunt.

1711.

Cantabrigiae. 8. ex ſecunda Io. Dauiſii recenſione c. Variorum notis addito Commodiano. cf. *Acta Erud.* T. 4. ſuppl. p. 423. *Bibl. Choiſie* T. 18. p. 341. *Mem. of Literature* T. I. p. 353. *Mem. de Trevoux* T. II. p. 888. *Biblioth. Choiſie* T. 24. p. 120.

1743.

Rotterodami, ap. Io. Dan. Beman. — ex recenſ. Gronouii ed. a. 1709. repetita.

1750.

Glasguae. in aed. Acad. exc. Rob. et Andr. Foulis Acad. typographi. 4. M. Octauius ex recenſ. Io. Dauiſii. Textus cum indice ſolito nitore expreſſus.

1756.

In Venezia, preſſo Simone Occhi. 8. l' Ottavio di M. Minucio Felice, recato in Lingua Italiana col teſto Latino a rincontro, e con opportune annotazioni illuſtrato da D. *Marco Poleti.* — Haud inepte inſtitutum editori ceſſit.

1760.

Longoſaliſſae, ſumpt. Io. Chr. Martini. 8. — Octauius et Cyprianus de — vterque recenſitus et illuſtratus notis Variorum ſelectis atque etiam ſuis a *Ioan. Gottlieb Lindnero* (Longoſal. Schol. tum Conrectore) *cum Praefatione Io. Aug. Erneſti.* Diligentia et cura editoris prima huius editionis virtus eſt; deinde altera, quod eas, quas ex Gronouii inde tempore variis locis Viri docti ad Minucium perpoliendum, illuſtrandum et obſcurandum etiam contuliſſent ſymbolas, cum iudicio dilectas propinat; tertia, quod criſin modeſtam et accuratam editor ſequitur, quae ex Erneſti Summi praeceptis defendenda magis et explicanda lectione vulgata, quam coniecturis exercendis occupatur; poſtrema tandem, quod breuiter et ſummatim, nec tamen cum perſpicuitatis iactura aliorum bene dicta repetit omninoque ſermonis maximam curam habet. Erneſti praefatio de ſacrorum Scriptorum lectione cum antiquioribus Graecis et Romanis Scriptoribus coniungenda praecipit. Accedit denique praeter Balduini diſſertationem Holſtenii epiſtola et index triplex.

1782.

Wirceburgi in off. Stahel. 8. cum Tomo II. Operum Cypriani curante *Oberthür.*

* *

Verſiones Minucii, quae lectu dignae ſunt, in Gallia aliquot procuſae ſunt a *Guil. Maſio* et quae multo elegantior eſt, a *Nicol. Perroto Ablancurtio.*

1637.

Paris, chez veuve Touſſaint du Bray. 4. l'Octavius de Minucius Felix, où il eſt traité de la religion, traduit

traduit avec des remarques, par *Guillaume du Mas*, Sieur de la Gauterie.

1646.

Paris, chez Jean Camuſat. 12. l'Octavius de Minucius Felix traduit en François par *Nicolas Perrot d'Ablancourt.* ſaepius dehinc a. 1662. 1677. etc. repetita.

De *Anglica* Lond. 1682. 8. non conſtat. Alias conſilio praetermittimus.

✻ ✻

De *Codice* Minucii Felicis vide quae ad Arnobium diſputantur.

3.

THASCIVS CAECILIVS CYPRIANVS.

Afer; quo anno natus ſit, non conſtat. Vocabatur *Thaſcius Cyprianus.* Caecilii nomen honoris et amoris cauſa erga Caecilium Presb. ſibi adſciuit, a quo circa annum 246. ad fidem Chriſtianam amplectendam compulſus fuit. De rebus ad eum, quamdiu inter gentiles vixit, pertinentibus non liquet, niſi quod oratoriam artem multa cum laude illum exercuiſſe Hieronymus et Lactantius teſtentur. Atque ex ſcriptis eius intelligitur, ingenium eius a tenera aetate ſatis literis fuiſſe excultum. Nec cenſu tenui fuiſſe videtur, quod opes ſuas, ſimulac chriſtianus factus eſſet, pauperibus diſtribuiſſe fertur. Quae res non paruam ei exiſtimationem apud plebem peperit et ipſa cum gloriae, qua apud gentiles floruerat, opinione profuit, vt a. 247. presbyter et proximo anno Epiſcopus adeo Carthaginienſis eccleſiae frequenti ſuffragio nec tamen pleno conſtitueretur. Fuiſſe enim, qui

§. 1. Vita eius.

qui repugnarent, et indigne Epiſcopum eum eiectum eſſe ferrent, Nouatum presbyterum, Feliciſſimum quendam et quinque alios Presbyteros, quorum nomina ignorantur, ipſe ſcriptum reliquit, quamquam cauſas, et qua ratione ſe geſſerint, non explicat. Sed dubium iam non eſt, quin exinde repetenda ſit prima motuum, quibus initium epiſcopatus eius turbatum fuit, cauſa, quae quanto ipſa eſt reconditior, tanto plura in litium iſtarum hiſtoria aciem noſtram ſubterfugere neceſſe eſt. Pertinent eo, quae inter eum et Nouatum et eius ſocium Feliciſſimum geſta ſunt, de quibus ea, quae noſtrorum hominum diligentia veriſimillime explicata ſunt, breuiter attingamus. Quod reliqua attinet, gratiam apud rerum eccleſiaſticarum ſtudioſos me initurum eſſe exiſtimaui, ſi *Pearſonii Annales Cyprianicos*, quorum ſemper fuit et erit apud doctos ingens pretium, quos tamen propter rationes temporum ibidem cum multifaria rerum doctrina ſubductas absque temporis diſpendio et taedio non minori, nemini euoluere licet, ſi eos, inquam, in compendium redigerem et ſemel hoc taedium deuorando aliorum commoditatibus proſpicerem; quamquam iterum atque iterum, ecce! dum deſcribendum typis traditurus ſum, haeſito, veritus ne aliis praeter commodum libri noſtri molem auxiſſe non iniuria videar. Contra cum reputem, paucis verbis de Cypriani vita nullo modo agi poſſe, nec parum referre ſciam, ſingula quomodo et quando ab eo geſta ſint noſſe et ordinem, quo ſinguli eius libri et epiſtolae ſe excipiant, in parato habere, in quo declarando adeo ſumma optimorum eius editorum virtus eminuit, in conſilio inſtituto egregie confirmari me ſentio. Sed de Feliciſſimi et Nouati ſeditione pauca praemonenda ſunt. Vtrumque Cyprianus turbarum auctorem diverſis in locis appellat, ſed ita vt iam huic vni, iam

illi

illi omnem culpam deferre videatur. A vero proxime aberrare videntur, qui Nouatum ſtatim inde a Cypriani ad epiſcopatum euectione ſimultatem cum Cypriano ſuſcepiſſe et midociter contra eum ſe geſſiſſe cenſent. Auxit inuidiam, quod paulo poſt propter morum prauitatem, qui animaduerſione graui digni viderentur, dies ipſi ab Epiſcopo dictus eſſet. Cui quaeſtioni cum interueniente Decii perſecutione et Cypriani ipſius ſeceſſione ſe ſubduxiſſet, animo tamen magis exaſperato, quo Cypriano negotia faceſſeret, moliri coepit. Ergo quod probe nouerat Epiſcopi animum, Feliciſſimum quendam ſine eius conſenſu Diaconum ſuum fieri curauit. Quod pro irrito habens Cyprianus cum tempus inſtaret, quo pauperum rationes expungendae eſſent, quod proprie Diaconorum erat, Epiſcopos et Presbyteros aliquot, qui adminiſtrarent Carthaginem, ex ſeceſſu ſuo miſit. His acriter reſiſtere coepit Feliciſſimus abſtentionem minatus omnibus, qui Epiſcopo obtemperaturi eſſent. Qua de re Cyprianus certior factus anathemate deuoveri Feliciſſimum iuſſit. Qui ſegregatus a Cypriano aſſumtis ſociis V. Presbyteris, de quibus ſupra mentio facta eſt, aſſeclas ſibi quaerere, et Confeſſores, nec non Lapſos etiam in partes pertrahere ſtuduit, in eccleſiam eos reſtitutum iri pollicitus. Quo omnis eccleſiae pax et diſciplina in certamen atque diſcrimen adducta eſt. Quocirca vt animos ſedaret Cyprianus, ad Concilium quaeſtionem de Lapſis, quam primum reuerſus eſſet, ſe relaturum promiſit. Factum hoc paulo poſt, cauſamque ſuam dixerunt V. Presbyteri cum Feliciſſimo et anathemate percuſſi ſunt. Nec tamen turba ſedata eſt; immo ab eccleſia Carthaginenſi ſegregati nouam ipſi condiderunt eccleſiam, Epiſcopum ex ſuis Fortunatum eligentes, qui tanquam epiſcopus rite conſtitutus ad Cornelium Romanum de

de ſua electione literas dedit, ſed ab eo procul habitus eſt. Nec diu huius ſocietatis res laetae fuerunt, ſed mox dilabi et paulatim omnis fluctuatio conſidere coepit, nec verbum amplius de his altercationibus apud Cyprianum occurrit. Hanc rerum ſeriem, quae propter ipſum Cyprianum, qui cauſas, quibus aduerſarii eius offenſi fuerint, prorſus tacet, tenebris implicita diu latuit, *Moshemius* et *Walchius**) vindicarunt. Iam *Pearſonium* legere iuuabit. Vnum addo, quo tamen minime Cypriani laudibus, quas ſane meruit, detractum aliquid volo, cum in hac contentione animum ab acrimonia et ambitionis faſtu non plane liberum oſtendiſſe. Siſtimus iam *Annales Cyprianicos per compendium.*

A. 246. *Praeſente et Albino CSS.*

Cyprianus Chriſtianus fit opera Caecilii. Poſt Baptismum, quo inter Paſcha et Pentecoſten tingi ſolebant Catechumeni, ſub autumnum fere, librum de Gratia Dei ad Donatum et in oratoria profeſſione et in Baptismo ſocium ſcripſiſſe videtur.

A. 247. *Philippo Imp. II. et Philippo Caeſ. CSS.*

Hoc anno primum ſcripſit *libellum de Vanitate idolorum;* menſe Decembri presbyter factus eſt.

A. 248. *Philippo III. et Philippo II. CSS.*

Hoc anno iam adulto i. e. circa Iulium Epiſcopus conſtitutus eſt, et ſub exordium epiſcopatus librum *de habitu Virginum* ſcripſit.

A. 249. *Aemiliano et Aquilino CSS.*

Conſilio Cleri die Paſchatis Saturum Clero proximum fecit et circa idem tempus inter Lectores Optatum

*) Hiſtorie d. Kezzereyen, T. I. a p. 288.

Optatum doctorem Audientium conſtituit, vt ipſe ep. 29. (anno proximo menſe Aug. ſcripta) indicat; — eidem anno, ante perſecutionem exortam, Pearſonius epp. ad Eucratium, Rogatianum et Pomponium Epiſcopos n. II. III. IV. tribuit — denique hoc quoque a. Nouatus criminis in vxorem commiſſi reus factus, cum cognitionem coram Cypriano defugiſſet, commode ipſi interueniente perſecutione in ſchisma erupit. Nam ſub finem huius a. quo Decius imperium inuaſerat, aut ineunte proximo, poſtquam minae ſatis dirae praeceſſerant, edicto Imperatoris ſeptima perſecutio occepit.

A. 250. *Decio II. et Grato CSS.*

Cyprianus ſaepius quaeſitus et ad leonem in Circo petitus eſt. Secedere iubetur a Deo et comite Victore Diacono ſuo ſeceſſit. Cum non appareret, proſcriptus eſt. Interea ſaeuiente tempeſtate multi eccleſiae Carth. addicti fidem denegarunt, et ingens breui extitit Lapſorum, Sacrificantium et Libellaticorum numerus. — Romae interea vbi coram ipſo Imperatore perſecutio multo acrius exercebatur, Fabianus Epiſcopus die XX. Ian. Martyrium ſubiit. Cyprianus autem ex ſeceſſu ſuo, in quo omnium, quae gererentur, certior fiebat, ad Clerum ſuum de diſciplina, cura pauperum et martyrio ſubeundo ep. V. et VI. et cum poſt Proconſulis in Africam aduentum perſecutio eſſet exacerbata, ab initio Mart. ad Mai. paene dimidium epp. VII. X. XI. XII. ad Clerum et Confeſſores dedit. Simulac vero ab hoc fere tempore Carthagine, quam Proconſul reliquerat, perſecutio mitior eſſet facta magiſtratibus iterum eam exercentibus: extorres aliquot minus conſtantes praepropere reuerſi ſunt, et cum aliis quibusdam Confeſſoribus carcere iam liberatis nimis ſibi indulſerunt, et Lapſi

nimiam licentiam ſibi arrogarunt: de quibus omnibus poſteriores Cypriani literae queruntur. Scripſit enim menſe Maio ep. XIII. ad Confeſſores: menſe Iun. ineunte ad Clerum ep. XIV. in qua imprimis de Confeſſorum prauis moribus et Lapſorum petulantia conqueritur, et de recipiendis Lapſis, de quibus quatuor Presbyteri, Donatus, Fortunatus, Nouatus et Gordius eum ſollicitauerant, ſententiam ferre recuſat. Hinc origo ingentis illius de Lapſis controuerſiae. Nam hoc ipſo menſe, cum Lapſi paſſim exambirent Martyres, et Confeſſores etiam importuna et gratioſa deprecatione corrumperent, et Presbyteri nonnulli Lapſis nondum poenitentia acta, nondum exomologeſi facta euchariſtiam darent: ſtatim tres epp. ſcripſit ad Confeſſores XV. ad Clerum XVI. et plebem XVII. quibus negabat paxullos eſſe dandos Lapſis, antequam eccleſia ipſis veniam dediſſet. Sed menſe Iun. exeunte propterea quod aeſtas iam coepiſſet, quod anni tempus aſſiduis infirmitatibus eam gentem infeſtare ſolet, mitiorem et conſilio quod Clerus Romanus Carthaginenſi dederat, et quod procul dubio Lapſi et Presbyteri valde vrgebant, accommodatam ſententiam tulit ep. XVIII. ad Clerum. — Menſe Iul. ineunte Presbyteri et Diaconi cum ad literas Antiſtitis nihil adhuc reſcripſiſſent negligentiae tantae in ep. priori merito accuſati, literis ſuis ad Cyprianum datis ſe excuſant, quae non extant, ſed quibus ille ſtatim reſcripſit ep. XIX. in qua ſe a ſententia ante perſcripta nullatenus recedere ſignificauit. — Iam tredecim epiſtolis ad Clerum Carth. e ſeceſſu ſuo datis, ad Clerum Romanum, vt ſe ſuaque pro eccleſiae diſciplina in ſeceſſu geſta probaret, ep. XX. ſcripſit, in qua et illas XIII. ad Clerum et plebem Carth. datas breuiter perſtrinxit, et ipſas vna addidit. Antequam vero hae literae Romam perueniſſent, Clerus Rom.

ad

ad Clerum Carth., nec non Moyſes et reliqui Confeſſores ad Confeſſores Carth. literas dederant, quae non extant, quorum tamen argumenta ſatis nota ſunt, et quae Cyprianum laborantem et contra inuidiae impetum totis viribus reſiſtentem multum adiuuabant. Iam enim literae Luciani Confeſſoris prodierant, quae Lapſis vniuerſis pacem pollicebantur et non tantum Cypriano, ſed et in reliqua prouincia per aliquot ciuitates magnam moleſtiam creauerant. Quod ne lateret Clerum Rom., quem ex literis proxime datis in eadem ſecum fuiſſe ſententia perceperat, ad eum ſcripſit ep. XXVII. menſe Aug. ineunte eique ſubiunxit ipſas Luciani literas cum V. aliis epiſtolis ad eandem rem pertinentibus, quae omnes ad ſua tempora reuocatae epiſtolae XXVII. in ed. Ox. praefixae ſunt. *) Etenim Lucianus menſe Iul., poſtquam Cyprianus tum ad Confeſſores, tum ad Clerum, tum ad Plebem ſcripſerat, nemini Lapſo pacem dandam eſſe, antequam a Deo pax daretur eccleſiae, et poſtquam eas literas ad Clerum Rom. transmiſerat, ſcripſit ad ipſum Cyprianum literis vniuerſorum, qui adhuc ſupererant, Confeſſorum nomine datis, *ſe vniuerſis pacem dediſſe, de quibus apud eum ratio conſtiterit, quid poſt commiſſum egerint,* et ab eo poſtulauit, vt haec forma per eum aliis Epiſcopis innoteſceret. Quae res maiorem ipſi inuidiam, et in prouincia per aliquot ciuitates tumultus concitauit. — Eodem tempore ſcripſit ad

*) Nempe primo loco Celerini ad Lucianum pro ſororibus ſuis Romae lapſis ep. XXI. circa finem Aprilis, vt videtur, ſcripta: tum Luciani reſponſum ep. XXII. iam affecto menſe Maio poſt exceſſum omnium Martyrum, quorum ipſe meminit, et quidem tredecim diebus poſt mortem eorum, qui in carcere defuncti erant, ſcriptum; porro Caldonii literae et Cypriani reſponſum; poſtremo eiusdem ad Presbyteros et Diaconos.

ad Cyprianum Caldonius, qui non temere pacem dandam cenſuit. Reſcripſit Cyprianus ep. XXV. et Clerum hac de re certiorem fecit ep. XXVI. et ad Clerum Rom. ineunte menſe Aug. ep. XXVII. ad Confeſſores Romanos autem ep. XXVIII. dedit, et vt hae epiſtolae pro more eccleſiarum rite mitterentur, ep. XXIX. mandauit. — Menſe Aug. exeunte, Clerus Rom. ad Cyprianum ſcripſit ep. XXX. Nouatiano exarante. Additae erant epp. ab eodem Clero Rom. in Siciliam datae, quae perierunt, et ep. Confeſſorum XXXI. — Cyprianus menſe Sept. his literis acceptis ſtatim ad Clerum ſuum ſcribit ep. XXXII., iisque tum ſuarum, tum illorum literarum exempla transmittit et mandat, vt omnibus facultatem transſcriptionis concederent; vnde factum eſt, vt literae a Nouatiano ſcriptae per omnes regiones miſſae et in notitiam omnium eccleſiarum perlatae ſint. — Interim Cyprianus duas a diuerſis Lapſis, his quidem quietis et verecundis, illis autem temerariis et arrogantibus epp. acceperat, quae iam deſiderantur, argumenta ex ſequentibus Cypriani epiſtolis conſtant; nam arrogantibus illis ſtatim reſpondit ep. XXXIII. et paulo poſt ad Clerum ſuum in cauſa Caii Diddenſis Presbyteri et Diaconi eius, qui frequenter cum Lapſis communicauerant, neque moniti de eo deſtiterant, vnde a Clero Carth. Epiſcoporum praeſentium conſilio communicatio ipſis denegata erat, ep. XXXIV. — Menſe Oct. ineunte de Lapſis iterum ſcripſit ad Clerum Rom. ep. XXXV. per Fortunatum Hypodiaconum, addito exemplo literarum Lapſorum petulantium; per eundem de Priuato Lambeſitano, epiſcopo quidem, ſed haeretico eos monuit. — Menſe Oct. exeunte Clerus Rom. ad has literas per Fortunatum redditas reſpondit ep. XXXVI. — Menſe Nouemb. nobilis Confeſſor Celerinus Roma Carthaginem

nem venit et Cyprianum in ſeceſſu adiit et de Moyſis reliquorumque Confeſſorum affectibus ad eum retulit; vnde exeunte menſe ad eos ſcripſit Cyprianus ep. XXXVII.

Hoc ſub tempus cum finis anni proconſulatus appropinquaret, ſedata eſt in Africa perſecutio. Cyprianus ineunte menſe Dec. cum epiſcopis nonnullis, qui in ſeceſſu eum inuiſerant, inconſulto Clero ſuo Confeſſorem Aurelium lectorem ordinauit et Clerum ſuum de eo certiorem fecit ep. XXXVIII. Ordinandus eodem die erat Celerinus Confeſſor, ſed ille conſentire dubitauit, donec ipſius Dei admonitu in ſomnis impulſus eſt ad munus ſubeundum. De huius ergo ordinatione ep. XXXIX., et de Presbytero aliquo Numidico in Carthaginenſium Presbyterorum numerum recipiendo ep. XL. Interea temporis dum Cyprianus ordinandis Clericis in ſeceſſu vacaret, Nouatus Presbyter Carthagine Feliciſſimum Cypriano ſemper infenſum, ipſo nec permittente nec ſciente Diaconum ſuum fieri curauit. Feliciſſimus autem, qui ab initio Cypriani electioni reſtiterat, iam Diaconus factus, partem plebis ab Epiſcopo ſuo auertit et ſedata iam perſecutione in monte quodam ſuos colligebat, quo imprimis Lapſi petulantiores conuolarunt. Cum itaque Cyprianus Caldonium et Herculanum Epiſcopos et collegas ſuos cum Numidico Presbytero Carthaginem miſiſſet, eosque vna cum Rogatiano Vicarios ſuos conſtituiſſet, vt neceſſitates fratrum ſumtibus expungerent, ſimul etiam et aetates eorum et conditiones et merita diſcernerent; eorum rebus gerendis interceſſit Feliciſſimus, minatus adeo ſecum non communionem habituros, qui Cypriano obtemperaſſent. De his illi Cypriano reſcripſerunt literis, quae non extant et Cyprianus reſpondit ep. XLI. vt Feli-

Feliciſſimum excommunicarent, id quod a ſe factum eſſe ep. XLII. declarant.

A. 251. *Decio III. et Decio CSS.*

Ianuario ineunte Nouatus, qui cum Feliciſſimo hactenus ſententiam fouerat, Lapſos omnes absque poenitentiae mora eſſe recipiendos, relicto in Africa Feliciſſimo Romam venit et Nouatianum a communione Moyſis, Presbyteri et Confeſſoris, quocum maxime familiariter ad id tempus verſatus erat, alienatum ſibi conciliauit, ipſe tamen in illius penitus contrariam ſententiam conceſſit. — Menſe Febr. iam affecto quinque Presbyteri Carthagine ſe ab eccleſia Africana ſeparabant et Feliciſſimo adiungebant, iidem qui olim Cypriani ordinationi cum Feliciſſimo ſe oppoſuerant, qui in perſecutione ſomenta Confeſſoribus, ne cum Epiſcopo concordarent, praebuerant, et Lapſos concitauerant, omninoque ſibi cum contemtu Cypriani ſummam rerum vindicare conati erant. Quae res magnopere Cyprianum iamiam Carthaginem rediturum afflixit et prohibuit, quo minus ante diem Paſchatis e receſſu ſuo egrederetur; vt teſtatur ep. XLIII. hac de re ad plebem perſcripta, qua ſimul poſt Paſchatis diem cum collegis ſuis ſe ad eos venturum nunciat. — Menſe Apr. Lucio Priſco, qui Macedones praeſidatu regebat, delata dominatio Gothorum concurſu. Qua de cauſa Decius quam potuit maturrime Roma digreſſus eſt. Inde perſecutio etiam Romae deferbuit. Interea Epiſcopi Africani poſt Paſchatis ſolemnia domi celebrata ſedes ſuas relinquunt et Carthaginem petunt. Quin etiam Cyprianus iam de factione Feliciſſimi ſecurus e receſſu ſuo prodit et ſedem ſuam occupat. Pompeius autem et Stephanus, Epiſcopi Africani, Carthagine Romam profecti ſunt, vt ordinationi epiſcopi Romani iamiam Decio abſente

inſtanti

inſtanti intereſſent. Iam Cyprianus, qui toties Lapſorum cauſam ad commune concilium referuauerat, ſeque cum Collegis ſuis de factione Feliciſſimi et Presbyterii eius iudicaturum promiſerat, Epiſcopos ex prouincia ſua conuolantes ad concilium rite celebrandum praeparauit. Celebratum ergo menſe Mai. huius anni *) et diu quidem continuatum eſt, et frequenter actum et ſaepius prorogatum. Interea Romae, Decio abſente in Macedonia, Iulius Valens regnum occupauit et in Illyrium contendit. Chriſtiani Romani autem, qui omnes controuerſias hactenus diſtulerant, donec Epiſcopus conſtitueretur, qui omnia moderari et eorum qui lapſi eſſent cum auctoritate et conſilio rationem habere poſſet, ad eligendum Epiſcopum feſtinabant, ortaque inter Cornelium et Nouatianum controuerſia, electus eſt Cornelius Decio adhuc imperante, ſed abſente et imperium affectante Valente menſe Iun. ineunte (die IV.). — Menſe Iun. iam affecto Cyprianus acceptis in concilio Cornelii et collegarum literis, quibus tum Cornelii electio, tum graue ſchisma nunciabatur, nondum audita Nouatiani ordinatione, Caldonium et Fortunatum epiſcopos e concilio cum literis ad Cornelium et Coëpiſcopos miſit, qui et literis allatis, et ſua praeſentia diſſidium illud componerent. Per eosdem etiam epiſtolae XLI. de Feliciſſimo et XLIII. de Presbyterio eius ad Cornelium transmiſit, vt Fraternitati legerentur. Miſſis autem his legatis a concilio ſtatutum eſt, vt omnia interim integra ſuſpenderentur, donec redirent. — Menſe Iul. ineunte legati a Nouatiano miſſi Carthaginem veniunt, quos ſtatim a communione ſua cohibendos eſſe ſtatuerunt, mox, auditis qui ordinationi

 Cornelii

*) Sopita perſecutione, i. e. ante mortem Decii, qui hoc anno affecto periit, et ante electionem Cornelii, qui adhuc imperante Decio Epiſcopus ordinatus eſt.

Cornelii interfuerant, Epiſcopis Africanis Pompeio et Stephano prorſus reiecti, tandem omnino ex Africa expulſi ſunt. Haec Cyprianus ep. XLIV. ad Cornelium. Dein ad omnes per Africam, Numidiam et Mauretanias Epiſcopos literae datae, vt cum Cornelio communionem haberent. Poſthaec Feliciſſimus cum Presbyteris auditi et excluſi et literis ſynodicis deſuper ad Cornelium relatum. — Menſe Aug. ineunte Cyprianus ſcripſit epiſtolam XLV. ad Cornelium miſſam vna cum literis ſynodicis et exemplaribus ſuarum de Feliciſſimo literarum. Et quoniam Confeſſorum nomine per omnes eccleſias literae et maledictis plenae frequenter miſſae eſſent, epiſtolam ad eos dedit XLVI, hortans eos, vt ad eccleſiam reverterentur, quam Cornelii arbitrio ep. XLVII. permittit. Poſt Feliciſſimi et quinque Presbyterorum abſtentionem de cauſa Lapſorum ſynodice concluſum eſt, et Synodi placita libello ſunt inſcripta. Isque libellus ad Cornelium miſſus eſt, et cum aliis etiam in Africa Epiſcopis communicatus. — Interea Primitiuus cum literis ad Cornelium priori menſe miſſus Carthaginem redierat cum ep. Cornelii ad Cyprianum, quae deſideratur; ſed argumentum eius cognoſcitur ex reſponſo Cypriani ep. XLVIII. — Menſe Sept., accepto a Synodo Carth. canonum libello, concilium LX. Epiſcoporum Cornelius conuocat, quod Romae celebratum eſt menſe Oct., quoque Synodi Carth. decreta de Lapſis recipiendis corroborata ſunt et Nouatianus cum ſuis anathemate percuſſus eſt. Interim Nouatianus cum res ſuas peſſum ire videret, miſit in Africam Euariſtum, ſuae partis Epiſcopum, Nouatum, Carth. eccleſiae Presb. et alios quosdam, de quorum diſceſſu Cornelius literis per Augendum Confeſſorem miſſis Cyprianum admonuit, ſed literae illae non extant. — Interea Confeſſores Romani,

quos

quos ex carcere prodeuntes ſchismaticus et haereticus error exceperat etiam diu palabundos populus viderat, literis Cypriani molliti et lecto, vt videtur, libello *de Vnitate*, quem hoc tempore ſcripſit et Romam miſit Cyprianus, bene inſtructi de reditu ad eccleſiam cogitarunt, idque fratribus nonnullis ſignificant, mox Nouato cum reliquis tamquam procella et turbine recedente Presbyteros Romanos adierunt, circumuentos ſe eſſe affirmantes et ad eccleſiam redire velle. De his transactum coram Presbyterio a Cornelio coacto, cui etiam adfuerunt V. Epiſcopi; a quibus communicatio et pax eccleſiae Confeſſoribus impertita eſt. Cyprianus deſuper a Cornelio certior factus ep. XLIX. cui etiam ſubiiciendas curauit ſententias Epiſcoporum et Presbyterorum in eo negotio prolatas, quae deſiderantur. Scripſit etiam feſtinanter breues literas, quibus docere Africanos voluit, quales viri eſſent, quos Nouatianus emiſiſſet, ep. L. niſi forte haec fragmentum tantum epiſtolae plenioris ſit. — Menſe Nov. Decius vterque, Auguſtus et Conſul periit. Iamque plena eccleſiae pax reddita, et perſecutio non ſopita tantum, ſed prorſus finita eſt. Hoc menſe exeunte Cyprianus libellum *de Lapſis* ſcripſit et Romam miſit. — Menſe Dec. ineunte Cyprianus acceptis a Cornelio literis per Nicephorum acoluthum miſſis epp. LI. de reditu Confeſſorum congratulatoria et LII. de Nouati ſceleribus reſpondit.

A. 252. Gallo II. et Voluſiano CSS.

Ipſo ſtatim huius anni initio Cyprianus poſteaquam non tantum a Cornelio, ſed ab ipſis etiam Confeſſoribus literas de regreſſione ſua acceperat, ad Confeſſores Romanos ep. LIV. de reditu eorum ad eccleſiam congratulatoriam dedit. Iisdem literis libellos duos a ſe ſcriptos de Vnitate Eccleſiae et de Lapſis illis

commendat. — Menſe Febr. ſcribit Cyprianus ep. LV. ad Antonianum Numidiae Epiſcopum apprime ad huius temporis hiſtoriam illuſtrandam facientem. Antonianus nimirum in cauſa Nouatiani primas ad Cyprianum dederat literas, quibus ſe cum Cornelio communicaturum ſignificarat, mox literis ab Nouatiano acceptis ſecunda ep. ad Cyprianum nutare ſe oſtenderat; quibus ille iam reſpondet. Hoc anno Paſcha celebratum eſt ſecundum Canonem Hippolyti III. Id. Apr. Cyprianus autem inter Paſchatis prima ſolemnia ſcribit ep. LVI. ad Fortunatum aliosque Epiſcopos, qui in Capſenſi ciuitate propter ordinationem Epiſcopi conuenerant, reſpondens ad quaeſtionem ſibi propoſitam, an Lapſos per triennium poenitentes ad communicationem admittere fas eſſet? Pleniorem ſententiam ad concilium ſe differre ſcribit Cyprianus, quod menſe Maio Carthagine actum. In hac Synodo relaxatio quaedam facta eſt decreti, quod in ſuperiori concilio conſtitutum erat, et epiſtola ſynodica ad Cornelium miſſa eſt, quae inter Cyprianicas comparet n. LVII., in qua et decretum ipſum ponitur et rationibus multis aſſeritur atque defenditur. — Concilio hoc ſedente Priuatus Lambeſae olim Epiſcopus, qui ante aliquot annos ob multa delicta a XC. Epiſcopis damnatus erat, poſtquam prohibitus eſſet coram hoc concilio cauſam dicere, turbas cieuit, Fortunatum vnum ex quinque profugis Presbyteris Epiſcopum Carthaginis conſtituit. Is quaſi legitime conſtitutus pro more legatos ad Cornelium de electione ſua miſit, inter quos princeps acerrimus ille Cyprianici nominis hoſtis Feliciſſimus Cyprianum literas hac de re ad Cornelium parantem praeuertit, ſed a Cornelio, quem menſe Iunio adiit, de eccleſia pulſus eſt, eiusque literae non admiſſae ſunt. Quin ad Cyprianum ſtatim literas animum ipſi deditiſſimum te-

ſtifican-

ſtificantes dedit, quae deſiderantur. Tum vero Feliciſſimus et comites eius repulſam hanc indigne ferentes, pro ſolida ſua obſtinatione et audacia Cornelium minis atque terroribus aggrediuntur, multa turpia ac probroſa in Cyprianum et eius ſectatores proferunt, XXV. Epiſcopos ordinationi Fortunati adfuiſſe iactitant, ac denique ſumma deſperatione comminantur, niſi Cornelius literas, quas attuliſſent, acciperet, ſe eas publice eſſe recitaturos. Quibus comminationibus commotus Cornelius Feliciano acolutho, quem cum literis Romam Cyprianus dimiſerat, literas alias prioribus ſubiunxit, quibus culpam in Cyprianum transfert, quod ille de Fortunato hoc Pſeudoepiſcopo nihil adhuc ſcripſiſſet. Sed hae literae perierunt. — Dum haec Romae geruntur, appropinquante iam et imminente Galli perſecutione, Cyprianus ſcripſit ad Thibaritanos ep. LVIII. — Sub finem huius menſis denique perſecutio coepit, cui anſam dederat gravis peſtilentia, varias imperii prouincias populans, quae vt auerteretur, ad aras deorum frequenter itum; diis opem negantibus Chriſtiani perſequi coepti a plebe, nullo imperatoris edicto proconſules aut magiſtratus ad id prouocante. Hoc ipſo etiam populi Carth. tumultu Cyprianus iterum ad leonem in Circo poſtulatus eſt, dum ad binas Cornelii literas ep. LIX. prolixe reſponderet. At ille nihil perterritus incumbente perſecutione ad Fortunatum libellum de *exhortatione Martyrii* exarauit. — Quum menſe Iul. Romae non minus quam Carthagine arae fumarent, et Chriſtiani pro reipublicae ſalute diis ſacrificare recuſarent, Cornelius Epiſcopus ab imperatore Gallo Centumcellas in exilium miſſus eſt, vbi mox die XIV. Sept. diem obiit. Ad eum Cyprianus menſe Aug. ep. LX. de Confeſſione gratulatoriam ſcripſerat. Circa tempus obitus Cornelii cum iam lues et fames ſaeuirent, ſcripſit

ſcripſit Cyprianus libellum ad Demetrianum, quem putant fuiſſe Africae tunc temporis Proconſulem, Pearſonius contra iudicem aliquem Cypriani familiarem fuiſſe arbitratur. Poſt obitum Cornelii ceſſaſſe epiſcopatum dies XXXV. liber Pontificum indicat: perperam iudice Pearſonio, qui niſi dies X. huic vacationi dandos eſſe euincit, Luciumque ſtatuit ordinatum eſſe XXV. Sept. Etenim menſe Oct. ineunte Lucius a Perſecutoribus in diſcrimen vitae adductus eſt. Cumque iam Cyprianus tum ordinationis tum confeſſionis eius certior factus eſſet, ipſe cum collegis ſuis literas communicatorias ad Lucium ſtatim dedit; quae quidem non ſuperſunt; ſed meminit earum Cyprianus in exordio ep. LXI. poſt reditum ad eundem miſſae. Nam et Lucius a Gallo exilio multatus fuit, ex quo tamen iam circa finem Nov. cum comitibus rediit; literae Cypriani menſe Decbr. ſcriptae ſunt. — Interea cum iam lues et fames ſimul incumberent, Cyprianus librum *de mortalitate* ad fratres ſuos compoſuit.

A. 253. *Voluſiano II. et Maximo CSS.*

Circa initium huius anni Cyprianus ep. ad Epiſcopos Numidas de redemtione fratrum ex captiuitate barbarorum, Maurorum, Numidiae adiacentium, qui hoc tempore late prouinciam Romanam populati erant et multos Chriſtianos ſecum abduxerant, de quibus redimendis cum Numidiae aliquot Epiſcopi ad Cyprianum ſcripſiſſent, vt ſubſidia nummaria colligere vellet, hanc LXII. ep. ad eos transmiſit. Circa idem tempus Cyprianus literas ad Caecilium *de Sacramento Dominici calicis* exárauit. — Menſis Martii die V. Lucius Epiſcopus Romae martyrium paſſus eſt, nec diu poſt menſe fere Aprili Aemilianus ſumſit purpuram; ex qua ſeditione cum perſecutio, vt fieri

fieri ſolebat, deferueſceret, Stephanus Romae Epiſcopus electus et ordinatus eſt XIII. die Mai. Non diu poſt ordinationem Stephani plena pax eccleſiae eſt reddita. Nam Aemilianus poſt aſſumtam purpuram et milites Scythis oppoſitos ſuo exercitui adiunctos ſtatim Italiam verſus mouere coepit. Gallus Valerianum cenſorem et Senatus principem, ſed non Conſulem miſit, vt Celticas et Germanicas legiones adduceret. Ipſe autem per Italiam copias collegit et adverſus Aemilianum ad vrbem magna cum feſtinatione contendentem profectus eſt. Cumque iam amborum exercitus appropinquarent, militesque Galli ſe numero longe inferiores viderent, Gallum ipſum cum Voluſiano trucidarunt, ſeque exercitui Aemiliani adiunxerunt. In hunc modum imperatores ambo et Eccleſiae Chriſti perſecutores, Gallus et Voluſianus, XIX. imperii ſui menſe perierunt. Quibus occiſis Valerianus menſe Iunio huius anni imperium affectavit, tandemque caeſo Aemiliano omnium conſenſu pro Auguſto habitus eſt. Mox etiam Gallienus, Valeriani filius, a Senatu Rom. Caeſar dictus eſt. Valerianus ſtatim plenam pacem indulſit, quae per triennium et amplius (vſque ad initium anni 257.) duravit. Iam vero frequentiſſima Synodus LXVI. Epiſcoporum Carthagine menſe Sept., vt videtur, coacta eſt, vt de rebus eccleſiaſticis poſt perſecutionem conſilium caperetur. Dum illi in concilio erant, allatae ſunt a Fido Epiſcopo, vt videtur, ſcriptae literae, duplici querela refertae, prima de Therapio Epiſcopo, quod Victori Presbytero praepropera feſtinatione pacem dediſſet; ſecunda de Baptismate infantium, recens natorum, quod eos intra ſecundum aut tertium diem ipſe non baptizari oportere putaret; et prima quidem concilium valde commouit, quod receſſum eſſe a decreti ſui auctoritate videret. Nihil tamen immutare

mutare voluerunt, Therapium, tantummodo in concilio praeſentem, obiurgabant, pacem a ſacerdote Dei ſemel datam non putabant auferendam. In ſecunda cauſa vnanimem concilii ſententiam in haec verba *nulli hominum nato miſericordiam dei et gratiam denegandam* Cyprianus protulit ep. LXIV. — Hoc autem pacis tempore poſt mortem Cornelii et Lucii ſub nouo Epiſcopo Stephano cum in aliis prouinciis, tum etiam in Africa Epiſcopi et Presbyteri lapſi et cenſura eccleſiae ſacerdotio priuati gradum ſuum aut retinere aut recuperare conati ſunt. Erat in prouincia Proconſulari Aſſuri ſiue oppidum ſiue vrbs certe ſedes Epiſcopalis, cuius Epiſcopus Fortunatianus ſub perſecutione Decii ſacrificauerat, et cum ex ſententia Cornelii et Cypriani et omnium eccleſiarum decretum fuiſſet, vt Sacrificati ab ordinatione Cleri et ſacerdotali honore prohiberentur et poſt poenitentiam plenam ad Laicam tantum communionem admitterentur, ab Epiſcopatu deiectus fuerat; iam vero pro integro agere voluit atque Epiſcopatum ſibi vindicare coepit. Contra quem Cyprianus ſcripſit ep. LXV. ad Epictetum fratrem et plebem Aſſuris conſiſtentem.

A. 254. *Valeriano II. et Galieno CSS.*

Ipſo huius anni initio Florentius Pupianus Epiſcopus, vt videtur, Africanus, qui ſub perſecutione Decii confeſſionem fecerat, et poſtea Nouatiani partibus adhaeſerat, multaque nefanda atque turpia Cypriano, Nouatiani ac Feliciſſimi factioni nimis credulus obiecerat, ad Cyprianum literas dedit, quibus ſignificat, ſe veterem ſuam de eo ſententiam non mûtare atque epiſcopatu indignum eum habere. His et multis aliis, quae ipſi exprobrauerat, calumniis reſpondit Cyprianus ep. LXVI. — Interim in Hiſpania

Baſili-

Baſilides, qui perſecutione ſaeuiente nefando idololatriae libello ſe commaculauerat, et Epiſcopatum ſponte depoſuerat, cum videret in ſedem ſuam Sabinum de vniuerſae fraternitatis ſuffragio et Epiſcoporum iudicio ſubrogatum, Romam contendit et Stephanum adiit, vt cum eo communicans epiſcopatui ſuo reſtitui poſſet. Qui parum prouidus ab eo deceptus eſt. Similiter Martialis actis publice habitis obtemperaſſe ſe idololatriae, et Chriſtum abnegaſſe confeſſus fuerat et in eius locum Felix, vt videtur, ordinatus Epiſcopus. Vtrumque ergo pro Epiſcopo habuit Stephanus. Cyprianus autem a Felice Presbytero cum plebe ad Legionem et Aſturicae conſiſtente per literas perferentibus Felice et Sabino epiſcopis nuper conſtitutis, certior factus cum Synodo Epiſcoporum Africanorum Sabini ordinationem ratam eſſe debere Baſilidem et Martialem profanos declarauit ep. LXVII. Porro cum in Gallia etiam Martianus Arelatenſis Nouatiano ſe iam diu coniunxiſſet et ab eccleſiae Catholicae vnitate diſceſſiſſet, Epiſcopi vicini non tolerandum eum putabant et ea de re tum ad Stephanum, tum ad Cyprianum literas dederunt, vt eorum auctoritate muniti facilius et tutius illum Epiſcopatu priuare poſſent. Sed cum apud Stephanum nihil impetrare potuiſſent, Fauſtinus iterum ad Cyprianum ſcribit, vt ipſe Catholicis Epiſcopis ſuppetias ferret et Stephanum officii ſui moneret. Quod fecit Cyprianus ep. LXVIII, cuius fidem poſt Rigaltium a Lannoyi obiectionibus ampliore diſputatione vindicauit Pearſonius. Circa idem tempus ſcripſiſſe videtur tractatum *de Opere et Eleemoſynis.*

A. 255. *Valeriano III. et Galieno II. CSS.*

Hoc anno nouae in dies de baptiſmo inter Afros ortae ſunt controuerſiae, et in iis Cypriani iudicium

iudicium a multis petebatur. Quaeſiuit Magnus, *an inter caeteros haereticos eos quoque, qui a Nouatiano venirent, baptizari oporteret?*" Reſcripſit Cyprianus legitimo atque eccleſiaſtico baptismo tingendos eſſe, ep. LXIX. Quam cum ille ſententiam tam aperte explicuiſſet, res tota in dubium eſt vocata, diſputatumque eſt: *an haereticorum non minus quam ſchiſmaticorum baptiſma ratum haberi deberet?*" Et haec quidem controuerſia in Numidia primum publice ventilata eſt, vbi XVIII. Epiſcopi conuenerant, et quid ſtatuerent aut facerent incerti, Cyprianum et Epiſcopos Africanae prouinciae per literas conſulunt, quae non extant. Quare Cyprianus et collegae in concilio plurimorum Epiſcoporum cum Compresbyteris ſub autumnum habito ſententiam ſuam conſcribunt et ad collegas quosdam mittunt: *Neminem foris baptizari extra eccleſiam poſſe; ideoque de errore et prauitate venientibus per omnia diuinae gratiae Sacramenta vnitatem et fidei veritatem dari debere*, quia neque apud haereticos neque apud ſchiſmaticos aut baptismum aut chrisma, aut euchariſtiam fieri potuiſſe putabant. Ep. LXX. Haec tamen concilii decreta a nonnullis Africae epiſcopis conſenſum minime tulerunt et ex veteri conſuetudine eos, qui apud haereticos tincti eſſent, quando ad eccleſiam Catholicam transirent, non iterum baptizandos eſſe ſtatuebant. Talis fuit Quintus in Mauritania Epiſcopus, de quo Lucianus Presbyter ad Cyprianum retulerat, cui hic ep. LXXI. ſcripſit, ſimulque literarum, quae a concilio ad Epiſcopos Numidiae datae fuerant, exemplum transmiſit, vt reliquis etiam Mauritaniae Epiſcopis innoteſcerent.

A. 256. Maximo et Glabrione CSS.

Cum Cyprianus intelligeret, nonnullos Epiſcopos nec nuperi concilii, nec vetuſtioris ſub Agrippino prae-

praedeceſſore ſynodi decretis motos in recepta conſuetudine ac ſententia perſiſtere, ſcripſit libellum *de bono patientiae* eumque ad Iubaianum transmiſit. Mox alterum concilium cogitur LXXI. Epiſcoporum non ex Africa tantum prouincia, ſed ex Numidia etiam ante feſtum Paſchatis haud dubie; in quo controuerſia de baptismo maxime feruuit. Confirmata tandem ſententia prioris concilii additumque inſuper decretum: *quod clerici ſeu in eccleſia catholica prius ordinati, ſeu apud haereticos a Pſeudoepiſcopis promoti, ab haereſi reuertentes ad laicam tantum communionem admitti deberent.* Quae decreta Stephano pro honore communi et ſimplici dilectione communicata, transmiſſis vna cum literis ad Quintium, ipſisque ſynodicis in priori concilio ad Epiſcopos Numidiae ſcriptis. Ep. LXXII. Iubaianus quoque Cypriano hac de controuerſia literas miſit, quae non extant; ſimul addidit exemplum ep. contra Cyprianum ſcriptae, quae pariter periit. His reſponſum eſt a Cypriano ep. LXXIII. quibus ſatisfactum ſibi cum gratiarum ſignificatione mox reſcripſit. Iam vero Stephanus ad Cyprianum literas dedit, quae perierunt, quarumque tantum fragmenta pauciſſima in literis Cypriani ad Pompeium fratrem nec alibi ſuperſunt, quibus ſententiam Concilii Carth. reiicit et condemnat, ipſumque Cyprianum et reliquos Africae epiſcopos, qui concilio interfuerant, abſtinendos eſſe docet ſuamque ſententiam profert, qua a quacunque haereſi venientes baptizari iterum in eccleſia vetat. Stephani reſponſum cum Pompeius Sabratenſis ex Tripoli Epiſcopus a Cypriano petiiſſet, miſit ille epiſtolae eius exemplum addita ep. LXXIV, qua Stephani argumentis et impugnationibus obuiam iuit. Caeterum Stephanus ſcribit etiam ad Orientales, quos eandem cum Agrippino et Cypriano ſententiam amplexos noſſet,

noſſet, eosque pariter ſe excommunicaturum minatur. — Paulo poſt Cyprianus, vt minas Stephani euitaret, maius et frequentius concilium calend. Sept. conuocandum duxit ex omnibus prouinciis tum Africae, tum Numidiae atque Mauritaniae, in quo Epiſcopi comparebant ad minimum 87. in quo primum III. literae Iubaiani ad Cyprianum, Cypriani ad Iubaianum et huius iterum ad Cyprianum lectae ſunt. Lecta eſt etiam epiſtola Cypriani ad Stephanum. Quibus lectis Epiſcopi omnes ſigillatim praeſentibus Presbyteris et Diaconis maximaque parte plebis de baptismo haereticorum ſententiam ſuam dixerunt, omnesque, verbis licet diuerſis, ſententiam Cypriani vnanimiter confirmarunt. Cumque Cyprianus pro certo haberet, Stephanum etiam ad Epiſcopos orientales de eadem controuerſia ſcripſiſſe, dedit ad Firmilianum, Caeſareae in Cappadocia Antiſtitem inter Orientales maxime illuſtrem, literas, easque cum ſuis ad Stephanum et Iubaianum per Rogatianum Diaconum miſit, quae deſiderantur. Firmilianus autem in eadem controuerſia diu ante verſatus et eandem cum Africana eccleſia ſententiam amplexus reſpondet Cypriano ipſi in omnibus conſentiens ep. LXXV. per Rogatianum hoc eodem anno ingruente hieme transmiſſa.

A. 257. *Valeriano IV. et Galieno III. CSS.*

Pendente adhuc controuerſia de baptismo circa huius anni initium orta eſt perſecutio, quae octaua dicitur, a Valeriano Imperatore praeter expectationem excitata. Nam ad hoc vsque tempus maxime chriſtianis fauerat. Nunc Macriano impellente penitus mutabatur. Ac initio quidem Chriſtianis vetitum eſt conuentus agere et coemeteria adire. Poſt hoc edictum Stephanus moritur die II. menſis Aug. martyrium

rium paſſus nec ne incertum. — XXX Aug. die Cypriani confeſſio ſecuta eſt, qua facta Paternus Proconſul illum in exilium Curubim iuſſit deportari. XIV. Sept. die (eodem quo poſt anni ſpatium paſſus eſt) comitante Pontio eo deducitur. Cyprianus autem Curubi conſtitutus, reuelationibus diuinis ante aſſuetus viſionem accepit de martyrio ſecuturo, obſcuram illam quidem, ſed ſatis recte ab eo intellectam, quam Pontio Diacono ſuo, tamquam idoneo teſti indicauit. Interea praeſes Numidiae Proconſule Africae longe ferocior, nouem Epiſcopos cum Presbyteris, Diaconis et fratribus Chriſti nomen confeſſos primum fuſtibus caedit, dein ad metalla damnat ad Signitam vrbem Numidiae et Epiſcopi ſedem et in alia loca. Quibus omnibus Cyprianus vna epiſtola LXXVI, ſcripſit et ſubſidium per eosdem nuncios miſit. Reſponderunt pro diuerſis, vbi conſtituti erant, locis, diuerſis literis, primum quatuor Epiſcopi ep. LXXVII. dein Lucius cum ſuis ep. LXXVIII, poſtremum III. Epiſcopi cum Presbyteris et ſuis omnibus ep. LXXIX.

A. 258. *Tuſco ac Baſſo CSS.*

Interea Valerianus ſenex Imperator bellum contra Perſas parat, exercituque coacto circa Byzantium Antiochiam contendit, omnem rempublicam ſe abſente Macriano deferens, vt ipſe oratione ad Senatum e Perſidis finibus miſſa apud Pollionem teſtatur. Hinc ergo perſecutio, cuius ſuaſor et auctor fuerat Macrianus, maxime ſaeuire coepit, reſcripto etiam nouo Valeriani propoſito. Tum Xyſtus, Romae epiſcopus, die VI. Aug. et cum eo Quartus Presbyter aut Diaconus gladio animaduertitur. De quorum martyrio certior factus Cyprianus ſtatim Succeſſo nunciat ep. LXXX. Cum autem Cyprianus per vndecim menſes Curubi conſtitutus fuiſſet, bonis ſuis minime

 priuatus

priuatus ex indulgentia eorum, qui eiecerant et occiſuri erant vtriusque nempe Proconſulis, creſcente iam perſecutione Maximus Proconſul eum accerſiuit et in hortis ſuis manere permiſit. Proconſul autem ipſe Carthagine Vticam alteram quaſi Proconſulis ſedem profectus eſt et Cyprianus cum multa varia et incerta ventilarentur, nuncios Romam miſit, vt exploratam ſibi veritatem referrent. Qui reuerſi non tantum reſcripti a Valeriano ad Senatum miſſi exempla retulerunt, ſed et exemplum literarum, quas ad Praeſides Prouinciarum de Chriſtianis dederat vtriusque Imperatoris nomine ex more conſignatas, eidem ſubiectum eſſe indicarunt. Proconſul his literis Vticae acceptis frumentarios miſit, qui Cyprianum Vticam perducerent. Quod cum ille intellexiſſet, e hortis ſeceſſit, non vt mortem euitaret, ſed vt Carthagine potius, quam Vticae, quae alterius Epiſcopi etiam tum ſedes fuiſſe videtur, ſupplicio afficeretur. Atque ex hoc abdito ſeceſſu vltimam ad Presbyteros, Diaconos et plebem vniuerſam Carthaginenſem epiſtolam LXXXI. dedit. Mox Proconſul Vtica reuerſus apud Carthaginem prouinciae ſuae caput atque eccleſiae Africanae metropolim ex nouis literis imperatoris perſecutionem auſpicaturus Cyprianum, qui iamiam ex ſeceſſu ſuo prodierat, et precibus amicorum, quo minus vltro ſe offerret, ſpretis in hortos denuo ſe contulerat, capi et in cuſtodiam dari iuſſit, quo facto die ſtatim poſtero confeſſione ab eo publice in Praetorio ad quaeſtiones Proconſulis habita, in agro Sexti in conſpectu populi ſui decollatus eſt die XVIII. calend. Octob. Anno CCLVIII.

§. 2. Scripta. *Huius ingenii ſuperfluum eſt indicem texere, cum ſole clariora ſint eius opera,* Hieronymus inquit. Hinc procliue fuit fraudi et ignorantiae ſimul amplam

Cypriani Operum ſegetem comminiſci et pro ipſius ſcriptis vendere, quorum ille cauſas procul habebat. Neceſſe itaque vtriusque generis genuinorum et ſpuriorum elenchum proponere. Genuina ſunt:

Libellus ad Donatum ſ. de Gratia Dei.

De idolorum Vanitate.

Teſtimoniorum ad Quirinum aduerſus Iudaeos libri 3.

De habitu Virginum.

De Vnitate Eccleſiae in Codd. nonnullis et editionibus antiquis inepte: de *Simplicitate Praelatorum* inſcriptum. Quin multis locis interpolatum ſit, dubium non eſt. Nec tamen vbique fraudem odorari par eſt, ſed vt dudum Latinus Latinius oſtendit, marginales in vſum priuatum a diuerſa manu hic ibi adſcriptae quam ſaepiſſime in ipſum contextum immigrarunt.

De Lapſis.

De Oratione Dominica.

De Mortalitate.

Exhortatio ad Martyrium.

Liber ad Demetrianum.

De Opere et Eleemoſynis.

De Bono Patientiae.

De Zelo et Livore.

Epiſtolae LXXXIII.

Concilium Carthaginenſe de Rebaptizandis haereticis. Falſo adſcripta ſunt:

De Spectaculis.

De Diſciplina et Bono Pudicitiae Pamelius Cypriano tribuit. Abiudicant editores Oxon. propter ſtyli diſparitatem. Eraſmus Cornelii eſſe putat.

De Laude Martyrii ad Moyſen et Maximum.

Ad Nouatianum, quod Lapſis ſpes veniae non ſit deneganda. Cornelio itidem Eraſmus tribuit.

De Aleatoribus.

De montibus Sina et Sion contra Iudaeos.

Oratio pro Martyribus, nec non *Oratio in die Paſſionis ſuae et Confeſſio S. Cypriani*, quae Cypriano Antiocheno tribui ſolent, de quo vide *Maranum* de vita Cypriani p. XXXVII ſq.

De Cardinalibus Chriſti operibus: opus Arnoldi Abbatis Bonae Vallis, in ed. Ox. cum V. aliis eius opp. ſimul ex MSS. recognitis editum.

Carmina: *Geneſis*, *Sodoma*, ad *Senatorem*. Videatur Tertullianus; it. Hymnus de Paſcha Domini.

De ſingularitate Clericorum, quod Ox. circa Bedae aetatem ſcriptum putant.

In ſymbolum Apoſtolicum Expoſitio. Rufini opus, cuius ſub nomine inter opera Hieronymi extat.

Aduerſus Iudaeos, qui Chriſtum inſecuti ſunt.

De Reuelatione Capitis B. Io. Baptiſtae; in quo Pipini Francorum Regis mentio ſit.

De duplici martyrio ad Fortunatum; in quo Turcarum mentio ſit.

De 12 Abuſionibus ſaeculi.

Diſpoſitio Coenae.

His inſuper additus eſt in Ed. Oxon. de *Paſcha Computus* ex Cod. Cottoniano, qui ſaltem Cypriani aeuum referre videtur.

§. 3. Editiones. *Editionum* Cypriani ſeptem claſſes commode diſcerni poſſunt, quarum prima ab a. 1471. ad a. 1512. producenda a teneris initiis Romanae principis, quam *Andreas Alerienſis* ex Cod. Pariſienſi edidit, varia incrementa Cypriano acquiſiuit. Factum hoc eſt primum in Veneta a. 1483. deinde in Pariſienſi Rembolțiana a. 1512. a *Rob. Fortunato*, *Maclouienſi* et *Guil. Poteto*, Biſcutino, curata, eadem quam Badianam Eraſmus dicit. Neutra tamen harum editionum fontes,

fontes, vnde augmenta illa ceperint, indicauit. Ab anno inde 1520. Eraſmianarum ſeries protenditur, quae ſingulae vix ſatis certe enumerari vnquam queant.*) *Eraſmus* autem non ſolum noua aliqua acceſſione Cyprianum auxit, ſed nonnulla etiam ſuppoſititia a genuinis ſecreuit et textum longe emendatiorem effecit, ita vt, quantum ſolo ingenio in Cypriano praeſtitit, vix ſatis praedicari poſſit. Inter repetitiones huius inſignis prae caeteris eſt Colonienſis a. 1544. ab *Henrico Grauio*, ſeu quisquis alius fuerit, curata. Noua dehinc ornamenta Cyprianus cepit per *Paul. Manutium* et *Guil. Morelium* (Prof. Gr. L. et Typograph. Pariſienſem), qui, quidquid adhuc ex Cypriani operibus in Bibliothecis latebat, tam accurate collegerunt, vt nihil poſt eos repertum fuerit, quod Cypriano poſſet adſcribi. Ac Pauli Manutii editio prodiit Romae 1563. ad vetuſtos codices, imprimis antiquiſſimum aliquem Veronenſem Latini Latinii ſtudio emendata. Morelii vero, Manutiana etiam auctior, anno 1564. quam, cum labori Morelius immortuus eſſet, Adr. Turnebus abſoluit, certe praefatus eſt ad regem Carolum IX.

Iam poſtquam huc perducta erat operum Cyprianicorum collectio, de disponenda hac indigeſta mole cogitauit nouamque editionis formam inchoauit *Pamelius*. Qua egregia ſua opera vt de Tertulliano antea inſigniter eſt meritus, ſic Cypriani vere ſoſpitator extitit. Licet enim rationibus eius de ordine operum Cypriani non vbique calculum adieceris, effectum tamen eſt eius diligentia hoc, vt alii his veſtigiis inſiſten-

*) Faſſus eſt hoc iam dudum Maranus prolegg. ad Cypr. p. II. *De his rebus*, inquit, tam parum conuenit inter eos, qui SS. Eccleſiaſticos recenſuere, nihil vt certo ſtatuere poſſit, niſi qui has omnes editiones oculis ſuis viderit.

inſiſtentes laetius rem ſibi procedere viderent. Volverat quidem conſilium Cypriani edendi, antequam Manutii et Morelii editiones prodirent, Pamelius, ſed eius ſtudia interpellarunt ſtudia theologica et profectio in Gallias. At vbi vidit duas illas editiones, ſperans, ſe illarum et aliarum vetuſtiorum et Codicum MSS. praeſidio aliquid accuratius ac ſuis numeris abſolutius elaborare poſſe, tanto animi ardore in opus incubuit, vt omnia typis matura eſſent a. 1566. ſed Belgici motus moram attulerunt. Tandem prodiit Antwerpiae 1568. Nec vero in eo ſolum laudem meruit, quod temporis primum, quo ſingula, libri et epiſtolae, ſcripta ſint, rationem habuerit, ſed textum quoque inſigni codd. MSS. in Belgio fere conquiſitorum numero pluribus in locis emendauit et notis illuſtrauit. Vnde factum eſt, vt certatim in diuerſis locis, a *Goulartio* etiam quod textum et ordinem librorum attinet, repeteretur, et per centum paene annos familiam duceret. Tandem vero a. 1648. vir elegantis ingenii et eruditionis non vulgaris *Rigaltius* ad codices denuo nondum collatos textum recognouit, ordine Pameliano tamen ſeruato; quae editio cum *Priorii* acceſſionibus a. 1666. recuſa eſt.

Triginta fere annis poſt Rigaltianam, editio *Oxonienſis* prodiit, cuius curatores *Io. Fellus*, Epiſc. Oxon. et *Io. Pearſonius*, Ep. Ceſtrienſis, quod pro ſe quisque ſuperiorum editorum in Cypriano conſilium ſectatus erat, et quicquid ſinguli ſubſidiorum attulerant, integro ſuo ſtudio conſequi allaborarunt et conſecuti ſunt. His igitur licuit ordinem librorum a Pamelio inſtitutum emendare et nouam ab illa admodum diſcrepantem ſeriem contexere, qua, quantum lucis Cypriano et vniuerſae rei eccleſiaſticae horum temporum accenſum ſit, laudes, quae quauis occaſione in eam cumulatae ſunt, declarant. Deinde ſingu-

las

las huius editionis partes, textus ad recentes iterum codices perpolitus, annotationes, tum ex Rigaltianis ſelectae, tum nouae, denique ſuppoſitorum librorum a genuinis diſcernendorum et totius operis deſcribendi et adornandi ratio, tanto cum judicio tantaque cura et excogitatae ſunt et perfectae, vt hoc ſaeculum ſimile quidquam in his literis vix viderit.

Neque vero hoc *Baluzium* deterruit, quo minus ad nouam editionem ſe accingeret. Ac profecto opus dediſſet limatiſſimum, niſi mors, antequam abſolucre poterat, eum abſtuliſſet. Sed quod fauſtum fuit Cypriano, contigit inchoata perficiendi prouincia Viro nequaquam Baluzio, ſiue ingenium, ſiue doctrinam eccleſiaſticam ſpectes, inferiori *Marano*, eiusdem Ordinis et Congregationis, cuius opera ſplendidiſſimo ornatu in lucem tandem Cyprianus datus eſt Pariſiis 1726. Et quoniam hic denuo contextus ad plures Codd. MSS. emendatus editur, in notis ſubjunctis emendationum cauſas potiſſimum expoſuit, rarius ad res illuſtrandas ſe dedit. Sed epiſtolarum ordinem Pamelianum reſtituit. Quae inſuper huic editioni a Marano acceſſerint, ſuo loco declaratum eſt.

Saec. XV.

1471.

Romae. in domo Petri et Franc. de Maximis per Conr. Sweynheym et Arn. Pannartz. fol. S. Cypriani Carthaginienſis Epiſcopi Epiſtolae, ex recognitione Io. Andreae, et cum eiusd. epiſtola ad Paulum II. In fine:

Aſpicis etc. v. s. *magiſtri.* vide infra ad Lactantium.

M. CCCC. LXXI.

Ex Epiſtola Alerienſis liquet hanc S. Cypriani editionem praeceſſiſſe editionem Sacr. Bibliorum, quorum impreſſionem, propter chartae maioris defectum, interrumpere coacti fuerant opifices. Has autem Epiſtolas ſe deſcripſiſſe refert ex vetuſto codice Pariſienſi, quum ſtudiorum cauſa in eadem vrbe verſaretur. Haec eius Epiſtola, cui inſeruit explanationem multorum vocabulorum a S. Cypriano adhibitorum, quae *propere perlegendo*, vt ipſe ait, *alicuius interpretamenti, propter tyrunculos quosdam literariae facultatis, indigere crederet*, cum indice, qui immediate ſubiicitur, occupat paulo minus quam tria folia. Exempla quatuor in Bibliothecis Romanis ſe tractaſſe *Audiffredi* acerbe docet *Lairium*, qui praeter Creuennae exemplar aliud haud vidiſſe, nec facile occurrere dixerat. Enumeratur in Cat. Bibl. Chig.

✲ ✲

Venetiis, apud *Vindelinum de Spira.**) f. S. Cypriani Epiſtolae. In fine:

Loquitur lector ad Vindelinum ſpirenſem Artificem qui
Epiſtolas Beati Cypriani reddit in lucem.
M. CCCC. LXXI.

Quam-

*) Errorem, qui ſaeculo praeterito plurimos huius argumenti libros occupauerat ſaepiusque exinde et iterum exploſus eſt *Spirae hanc editionem prodiiſſe*, viri nomine fraudem faciente, verbo notaſſe iuuet. Nec vero error iſte iis magis obiici debet, qui ſuperiori aeuo notitiam literariam horum ſcriptorum conderent, quam ipſis eorum editoribus exprobrandus, iis ſcil quibus manu verſari illas veteres edd. contigit, quod vix illis. In iſtorum numero eſt Reinhartus Altorfinus Epp. Cypr. a. 1689. editor, qui vtramque Romanam ſcilicet et Venetam ed. ex Bibl. Norimbergenſi ipſi commo-

Quamquam non ex verbis: *reddit in lucem* cum docto editore Catalogi Biblioth. Creuennae 1776. 4, T. I. p. 59. hanc editionem Romana recentiorem eſſe probem; certiori tamen argumento illud eſſe hac occaſione poſſit, quod cum Romana editio Cod. MS. unde expreſſa ſit, indicet, Veneta contra de ſimili praeſidio ſileat, et hoc ipſo ſilentio editionem antiquam ante excuſam repraeſentare ſe teſtetur. Grauius momentum textus inter vtramque conuenientia, quae, teſtante eodem Viro docto, tanta eſt, vt praeter menda quaedam typographica, quae Vindelinus e Romana ſuſtuliſſe videri debeat, prorſus illam haec referat.*) — Nitore et elegantia artis Romanam vincere putatur. Caret, vt omnes fere huius aetatis editiones, paginarum foliorumue numeris, cuſtodibus ac ſignaturis. Textui, quem praecedunt folia duo, indicem praeferentia **) titulus ſuperſcriptus: *Incipiunt*

commodatam inſpexit, nec tamen aliter de illis loquitur, ac ſi per ſomnum de iis accepiſſet, *Spirenſem* vocans, cuius artifex Vindelinus quidam laudetur. Pariter editores Angli et ex iis Baluzius ſemper *Spirenſem* hanc appellant. Baluzii error autem eo infenſiorem facile lectorem habebit, vbi recens a lectione eorum, quae accurate in limine iſtius editionis ſuper his Maranus praecepit, in eum inciderit. Scire etiam velim, quaenam ſit illa *Vetus Veneta* quam cum *Spirenſi* vna ſaepius laudat Baluzius. Cf. notas ad libr. Teſtimonior. adu. Iud. p. 596.

*) Mira ſunt, quae Deburius in *Bibliographie inſtructive* (inſtruenda verius) de hac editione narrat: „Elle a mérite d'avoir été celle que M. *Baluze* a choiſie pour travailler à l'edition qu'il nous a donnée de ce Pere de l'Egliſe, et il en faiſoit un cas tout particulier. Elle a l'avantage de renfermer beaucoup de paſſages originaux, que cet Auteur a été obligé de ſuſtraire, ou de changer dans la ſienne."

**) „Une Table particuliere" *Deburius, iunior*, inquit.

piant Epiſtolae Cecilii Cypriani ad Cornelium Papam, et prima de Confeſſione, feliciter. In hac editione Veneta habentur etiam Teſtimoniorum adu. Iudaeos ad Quirinum libri, ſed duo tantum et multis lacunis laborantes; haud dubie eosdem iam Romana ſub epiſtolis complectitur.

1483.

Venetiis, apud Lucam Venetum. fol. Epiſtolae et Opuſcula: in fine: Diui Caecilii Cypriani viri ſanctiſſimi et eloquentiſſimi epiſtolas exactiſſime recognitas *Lucas Venetus* Dominici filius ſolita diligentia impreſſit Venetiis anno ſalutis M. CCCC. LXXXIII. Pridie Nonas Decembres. *Goetze Merkwürd. der Dresd. Bibl.* Extabat etiam in *Bibl. Pinelliana.* cf. *Cat. Morelli* T. I. p. 95. n. 578. Tractatus et Sermones nonnullos acceſſiſſe propriis adhibitis verbis Audisfredi in Cat. Bibl. Caſant. T. II. p. 524. prodit. At maior certe pars eorum, quae Remboltiana ed. praebet, iam hic vulgata eſt, vt ex praefatione C. de P. ad Iac. Graſolarium ciuem Venetum, qui hanc editionem maxime flagitaſſe dicitur, in Rembolt. ed. repetita, intelleximus. Praecipuum habet hoc commodi, quod epiſtolis ſingulis et tractatibus ſummaria praefixa ſint breuia, quaeque in tabulam compendio redacta poſt praefationem conſpiciuntur.

His proxime adiungendas puto editiones quasdam hoc ſaeculo absque anni, vel loci etiam nota factas.

* *

S. a. Brixiae. 4. Cecilii Cypriani ſermo de oratione dominica, ſcilicet, *Pater noſter*, in quo docet, qua potiſſimum oratione vti, et qualiter ad eam

quit. Vtramque, ſi Diis placet, editionem manibus ille triuerat!

eam accedere et quo geſtu corporis et modo vocis conueniat, qui ſe Chriſtianum eſſe aſſerit. — *Cat. de la B. d. R.* p. 366. n. 502. vbi additur: *vetus editio, circa annum* 1490. Alibi legere illam non memini.

* *

Sine l. et a. et typographo. Prima huius generis. *Sancti Cypriani Epiſtolae.* f. Ab initio occurrit: *Tabula materiarum epiſtolarum beati cipriani martiris ſcdm ordinem alphabeti.* (i. e. index rerum memorabilium ſatis locuples) *Incipit feliciter.* Subnectitur indiculus contentorum cum breuibus argumentis. ſunt vero Epp. 73. ad quirinum libri tres. Sermo b. Auguſtini de b. Cypriano. Oratio Cipr. mart. it. or. eiusd. quam ſub die paſſionis ſuae dixit. Paſſio b. cypriani. Sed libri ad Quirinum agmen claudunt. Occupant haec folia XVIII. cum ſignaturis a et b VI. Folium XIX. album fere totum conſpicitur praeter pauca, quae in paginae ſecundae extremis ex Hieronymo impreſſa leguntur hoc titulo: *Ex libro beati iheronimi de viris illuſtribus de beato cipriano.* Incipiunt Epiſtolae a fol. XX. et proferuntur a ſignaturis a i, vsque ad r. incluſiue quinis ferme plagulis conſertis ſubſcriptum: Explicit epiſtolae glorioſi martiris cipāni cart. epī quanta eloquētia quātaque doctrina inter cathol. doctores refulſerit epiſtole eius ſplendidiſſime verborum ornatu ſententiarumque vbertate optime teſtificantur. Hinc nouo ſignaturarum ordine A - D quaterniones ſequuntur hac inſcriptione:

„*Incipit prologus in libros beati Cipriani martiris contra iudeos editos.* Quiq̄dem *prologꝰ eſt epiſtola quedā ad Quirinū ſcripta.*“

In

In ſine libri: Explicit liber t̄cius cecilij cipriani glorioſi martiris. Archiepiſcopi carthaginienſis Oratoris excellentiſſimi ad q̄rinū. In quo libro ſicut et in duobus prioribus ſides catholica contra iudeorum perſidiam et gentilium errores ſacrarum ſcripturarum teſtimoniis fortiſſime inunitur et corroboratur Deo gratias.

Characteres typorum ſimiles eſſe iis, quae in editione Officiorum Cic. Moguntina 1465. conſpiciantur praeter literas paucas maiuſculas *Deburius* ſen. qui accuratiſſime hanc ed. deſcripſit in Cat. de la Bibl. du Duc de la Val. T. I. p. 151 ſq. affirmat. Mediae ſunt inter Gothicum et Romanum characterem. Propter librum tertium teſtimoniorum aduerſus Iudaeos ad hanc editionem aduerti velim, cum vulgo primus ex Cod. MS. Monaſt. Gemblacenſis emiſiſſe exiſtimetur Eraſmus. Editio haec adeo nec Eraſmo innotuit nec editorum ſequiorum vlli, praeter Pamelium, qui quod ex comparatione adnotatt. eius ad III. hunc librum diſcas, vt multi potius, qui manu verſauiſſe eius exemplar profeſſi ſunt, conſtanter duorum tantum aduerſus Iudaeos librorum mentionem faciant, aliosque etiam circumſpectae mentis viros in partes traxerint. Nimirum autem aliud hic latet; duplex extat editio innominata, quarum alteram, quam iam deſcripſimus, adhibitam ſ. cognitam dicemus editorum hactenus nulli; altera, de qua ſtatim exponamus, omnium ore iactata, ſed quia ne verbo quidem deſcriberet aliquis, magnum errorem peperit. Pamelius, qui nihil amplius quidem retulit de ea, quam ſtatim poſt inuentam artem typographicam excuſam videri, cenſet tamen multo Eraſmi editione caſtigatiorem.

II. ſ. l. et a. ſ. Incipit ab indice contentorum inſcripto:

Cecilij

Cecilij Cipriani Epiſcopi cartaginenſis et martiris digniſſimi libri et epiſtole. Incipiunt feliciter. Ad Donatum de vanitatibus et ſpectaculis.*) Ad Demetrianum. De pietatis opere et elemoſina XIII. Ad Fortunatum de exhortatione martirii. De zelo et livore. De bono patientie. De mortalitate. De habitu virginum. Ad Cecilium de ſacramento dominici calicis.**) Aduerſus Nouatianum ſcismaticum de ecclesie vnitate. De lapſis. De oratione dominica. Quod idola dij non ſint. De ſingularitate clericorum.***) De montibus Sina et Sion aduerſus judeos.****) Ad anthonianum de Cornelio et nouatiano.†) Ad thibaritanos exhortatoria.††) Ad magnum de his qui in lecto gratiam conſequuntur.†††) Ad quirinum contra judeos Libri duo. Incipiunt epiſtole Cec. Cipr. etc. In fine: Expliciunt epiſtole C. C. etc. nil amplius. Character literarum eſt gothicus, textus impreſſus eſt columnis ſectis, ſignaturas habet plagularum quaternarum ab A. IIII. — R. III.

1500.

Parrhiſiis. apud Iodocum Badium. Cypriani epiſtolae et opuſcula — *tr. de Cardinalibus Chriſti operibus.* De hac editione non niſi per coniecturas ſtatuere

*) Poſtea inter epiſtolas relatus a Pamelio n. II. et in Bened. n. I. Oxonienſis editor tamen inſcripſit librum de gratia dei. p. 1. vbi videſis docta eius annotata.

**) Poſtea inter epp. relatus in ed. Pamel. et Oxon. 63.

***) Poſtea Cypr. abiudicatus.

****) Cypriano abiudicatus poſtea.

†) Inter epp. relatus in ed. Pamel. 55. Oxon. 52.

††) Relatus inter Epp. in Pamel. 58. Ox. 56.

†††) Epp. Pam. 69. Ox. 76.

ſtatuere licet. Commemorat Fabricius in Del. SS. pro Ver. R. Chr. p. 222. librum Cypriano adſcriptum de *Cardinalibus Chriſti operibus* etc. *Pariſ.* 1500. editum, nulla praeterea, nec bibliopolae nec typographi nec de editione ipſa mentione addita. Eraſmus vero in annotatione ad eundem librum editioni ſuae inſertum meminit *editionis Badianae „in qua ſeparatum habebatur hoc opus a reliquo volumine.“* Iam Badius primum a. 1500. Pariſiis librariam exercere librosque emittere coepit. Maitt. T. II. 73. Colligo ergo Pariſienſem illam, quam Fabricius notauit, editionem eſſe Badianam; nec vero iſtud ſolum opuſculum, ſed plura, forſan etiam epiſtolas Cypriani eſſe complexam; tamdiu autem a recenſu editionum Cypriani eam ſciungi velim, donec certius aliquid erit compertum.

Saec. XVI. 1501-1600.

1501.

Venet. ap. Aldum. 4. Cypriani Carmen de Ligno Crucis: inter poetas Chriſtianos. Cat. Bibl. Caſanat. T. II. p. 525.

1512.

Pariſiis. 4. Beatiſſimi *Cecilii Cypriani* Carthaginienſium preſulis, oratoris verbique diuini preconis eloquentiſſimi: ac trini vniusque dei proclamatoris vehementiſſimi *opera* hinc inde recepta, et in vnum vigiliis et ſumptibus magiſtri *Bertholdi Rembolt* et *Joannis Waterloes* calcographorum peritiſſimorum ac veraciſſimorum *collecta et impreſſa:* quorum diſtinctio fronte ſequenti notatur. Haec in ſumma paginae, cuius maximam partem inſigne Remboldi impreſſum, ſubiecto ad *Lectores Tetraſticho* occupat: In

In fine (fol. CLXXX.): *Beati Cypriani opuſcula noviter Parrhiſiis in ſole aureo vici ſancti Iacobi impreſſa. Expenſis magiſtri Bertholdi Rembolt et Iohannis Waterloes. In interſignio ſancti Georgii cōmorañ. Anno dñi M. D. XII. Die vero. XIII. Novembris.* Contenta huius editionis ex tabula a tergo tituli impreſſa haec ſunt: *Cardinalia Chriſti opera vsque ad eius aſcenſionem et de Spiritu S.* (poſt Arnoldo Abbati Bonae-Vallis vindicata). *Epiſtolarum libri IV.* Primus liber habet epp. XII. Secundus XII. Tertius XXV. Quartus X. *Tractatus eiusdem ſex.* Primus in Demetrianum. II. De habitu virginum. III. De Praelatorum ſimplicitate, i. e. vnitate eccleſiae. IIII. De idolorum vanitate. V. De montibus Sina et Sion aduerſus judeos. VI. De reuelatione capitis Ioannis baptiſtae. Liber ſermonum Eiusdem beati Cypriani ſermones ſex continens. I. De Elemoſina. II. De zelo et liuore. III. De Bono patientiae. IV. De mortalitate. V. De lapſis et iam coronatis martyribus. VI. De oratione Dominica. † Eiusdem Symboli Apoſtolorum expoſitio. — Libellus eiusdem ad Fortunatum de martyrii exhortatione. Eiusd. lib. de Singularitate clericorum. Eiusd. lib. II. adverſus Iudeos ad Quirinum. I. In XXIII. cap. diſtinctus. II. In XXIX. † Paſſio eius per Pontianum eius diaconum edita.

Quae † ſigno notantur, de nouo acceſſiſſe putanda ſunt, reliqua ex edit. Veneta a. 1483. deſumta videntur. Ita quidem inquit Rob. Fortunatus Maclovienſis in epiſtola in recommendationem operis praemiſſa ad Lodoicum Ruuicium (Ruſicium v. Ruſcium) Bleſenſem (d. Parrhiſii ex aed. Pleſſeiis ad Kal. Novembres): *Adiiciundam etenim tuis illis quae dediſti Cardinalia Chriſti opera vſque ad aſcenſum eius ad patrem, vna cum ejusdem authoris in ſymbolum apo-*

ſtolorum expoſitione et per Pontianum eius diaconum paſſione curauimus, aliquibus, vti de aleatoribus et caeteris paucis (quia parum ſibi conſtabant) praeſens in tempus omiſſis. Nec tamen tractatus ille de Cardinalibus Chriſti operibus vna cum illo de Sp. S. qui folia XXXII. occupare deberent, vt numeri adſcripti ſignificant, in noſtro exemplari, certe non mutilo comparent; ſed textus Cyprianici initium ab Epp. libro I. numeratur fol. 1 ſqq. — Quod reliquum eſt Guilielmus Potetus Biſcutinus per vices Fortunati curam ſuſtinens relegiſſe, emaculaſſe annotatiunculis, locorumque bibliorum aliorumque ad marginem donaſſe dicitur, et excipit proxime quidem Fortunati epiſtolam huius Poteti ad lectores carmen, quod deinceps ſequitur aliud Hier. Alexandri, profeſſ. Pariſ. in commendationem impreſſoris Rembolti — vbi obiter impreſſores monentur officii — tum Venetae ed. praefatio Hieronymi et Lactantii de Cypr. teſtimonia. Summaria in epiſtolas et tractatus reliquos, denique indiculus rerum ſub nomine *Emporiorum* Epiſtolarum, tractatuum etc. et Materiarum. Typorum character ſimilis eſt fere eorum librorum charactéri, qui apud Io. Paruum prodierunt, ſed paulo nitidior.

1519.

Baſ. f. Huius anni et loci editionem commemorat *Sandius*, vnde, et qualem, non expedio.

1520.

Baſileae. ex officina Froben. f. *Opera* Sanctiſſimi Martyris *Caec. Cypriani* Ep. Carth. — ſtudio curaque D. *Eraſmi Roterodami.* Prodit Cyprianus (ſunt verba Eraſmi in praeclara praeſ. ad Laurent. Puccium Card. d. Louanij 1519. pridie Cal. Augu-

ſti

ſti — verſus finem) et emendatior multo ſublatis opera noſtra mendis: et aliquanto purior, ſemotis iis, quae illi falſo tribuebantur: et auctior, adiectis aliquot ex vetuſtiſſimis exemplaribus, quae hactenus deſiderata ſunt. Poſtremo prodit opera Frobenii nitidior ſimul et auguſtior: prodibit autem et feliciter ſi T. R. D. noſtrae induſtriae. Addita ſunt ex vetuſtis codicibus:

Epp. ad Iubaianum de haereticis baptizandis. (In ed. Pam. et Ox. ep. 73.) *ad Pompejum contra ep. Stephani.* (l. l. 74.) *ad Quintinum de haereticis et ſchiſmaticis baptizandis Sententiae epiſcoporum concilij Carthaginienſis.* (l. l. 71.)

Abiudicauit Cypriano, retinuit tamen ex edd. prioribus:

De montibus Sina et Sion adu. Iudaeos.

De reuelatione cap. bapt. S. Ioh.

Expoſitio in ſymb. quod vocant Apoſtolorum.

De ſingularitate clericorum.

Ad Corn. pap. de cardinalibus Chriſti virtutibus.

His inſuper adiunxit ex deſcriptis calamo libris, notha eadem:

Ad Moyſen Maximum caeteros, de laude martyrii.

De diſciplina et bono pudicitiae.

Ad Nouatianum haeret. quod lapſis ſpes veniae non eſt deneganda.

Duas orationes B. Cypriani.

Sermonem b. Auguſtini de S. Cypriano mart.

Annotationes Eraſmi admodum paucae vna cum duplici indice operum Cypriani, altero ordinis quo inuicem ſe excipiunt, altero iuxta literarum ordinem digeſto, nec non Paſſione Cypriani per Pontium, cuius tamen ipſiſſimum opus non eſſe ſed a recentiore quopiam ex eius opere decerptum Eraſmus monet,

H 2 textui

textui praemittuntur, cui alius inſuper ſententiarum index ſubiunctus eſt.

✲ ✲

Colon. ap. Henr. Alopecium.

1521.

Ibid. ap. eund. (menſe Nouembri) f. — Opera, ab innumeris mendis repurgata, adiectis nonnullis libellis ex vetuſtiſſimis exemplaribus, quae hactenus non habebantur, ac ſemotis iis, quae falſo videbantur inſcripta vna cum annotatiunculis. Atque haec omnia nobis praeſtitit ingenti labore ſuo *Eraſmus* Roterodamus, vir iuuandis optimis ſtudiis natus. Hanc notauit *Sandius* p. 42. pleno titulo laudauit Hamberger p. 599. T. II. praeter hos autem ab omnibus ignorata aut neglecta fuit.

1522.

Apud inclytam Coloniam. Io. Soter excudebat menſe Martio. 2 Voll. 8. Opera D. Caec. C. E. C. Volumen Primum ex recognitione Eraſmi Rot. Voll. II. varios complectens et Tractatus et Sermones, quorum tibi Catalogum ſequens exhibebit pagella. —

1525.

Ibid. per eund. (menſe Februario) f. Opera Sanctiſſimi Mart. Caec. Cypr. Epiſc. Carth., iam tertium habes lector, a mendis repurgatiora, ex variarum aeditionum ac vetuſtiſſimorum codicum collatione, adiectis pluribus, quae vulgata non fuerant, annotatis, quae vel notha ferebantur, vel ambigua, ſtudio curaque D. Eraſmi Roterodami.

1527.

1527.

Haganoae. 8. Cyprianus de Euchariſtia. *Bibl. Barber.*

1528.

Lugduni, apud Seb. Gryph. 2 Voll. 8. *Fabric.* 220.

✣ ✣

S. l. 12. Cyprianus de Oratione dominicali. *Muſ. Britt.*

1530.

Baſ. ex off. Froben. f. — Opera iam quartum accuratiori vigilantia a mendis repurgata per Deſ. Eraſmum Rot. Acc. liber eiusd. apprime pius ad Fortunatum de duplici Martyrio antehac nunquam excuſus. *(Cat. Bibl. du R. p. 365.)*

1537.

Ibid. ap. eund. 2 Voll. *Fabr. ib.*

1540.

Baſ. in off. Heruagiana. f. *Fabr. ib.* Huius quatuor exemplaria c. MSS. coll. in Bibl. Baluziana erant.

1541.

Pariſ. ap. Arnulph. Langelerium. f. Editio foede interpolata et contaminata licet repurgationem iactet in titulo eoque impudentiae progreſſi ſint curatores, vt Eraſmi praefationi d. Lovanii 1519. ſubſcripſerint Pariſ. 1541. *Pamelius* hac de re queritur in annott. ad librum de Oratione Dominica, ad verba: excuſatio tibi nulla etc. quae leguntur etiam apud Caueum p. 129. Huius 3 exemplaria coll. c. MSS. Codd. extabant in Baluziana.

* *

Pariſ. ap. Oudin. (Audoënum) Paruum (haud dubie f.) *Bibl. Barb. Cat. ed. IIda.*

* *

Ibid. ap. Franc. Reynault. f. — ex ed. et cum ann. Eraſmi. *Cat. de Bibl. du R. p. 365.*

* *

Antverp. 8. Cyprianus. *Cat. Bibl. Muſ. Britann.* (Lond. 1787. f.)

1542.

Antverpiae. exc. Io. Crinitus. D. C. Cypr. Ep. Carth. et Martiris Opera. in duo Tomos diuiſa. Eſt Colonienſis a. 1522., indicibus tamen exilioribus.

1544.

Coloniae. ex officina typ. Petri Quentel, menſe Auguſto. D. Caec. Cypr. — vniuerſa, quae quidem extare ſciuntur, opera: iam nouiſſime ex caſtigatione Deſ. Eraſmi Roterod. diligentius multo quam hactenus vnquam, exemplarium manuſcriptorum ſubſidio a mendis vindicata. Cum acceſſione libelli Cypriano inſcripti, eruditi admodum ac pii, de Martyrio duplici ad Fortunatum. Acceſſerunt et Annotationes Eraſmi, non quidem vnum in locum, praecipitatae, ſicuti hucuſque factum eſt: ſed ſuis quaeque locis diuerſa characterum ſpecie nunc primum inſertae: partim vt lector quaerendi taedio leuaretur, partim, vt commodius et acutius, quid ſibi velint Cyprianus et Eraſmus, quaſi ex oppoſito inſpiceretur. Et annotatiunculae ſeu caſtigationes aliquot doctiſſimi vtriusque linguae viri Henrici Grauij, breues illae quidem et paucae, ſed opportunae tamen et eruditae. Et

Et Index nouus, copioſior longe vetuſto illo et magis digeſtus, iam recens opera Bartholomaei Laurentis adiectus. Quid huic editioni tribuendum ſit, facile ſentient ii, qui vel anteriores Cypriani edd. probe norint, vel hanc cum quauis conferre non fuerint grauati. —

Eraſmianarum annotatt. aliquot tamen quia priuatim ſuis locis aptari non volebant, ab initio ſeorſum cum caſtigationibus Grauii relictae. Ad librum de dupl. martyrio Grauius ſuſpicatur: phraſim Eraſmum ipſum aut quempiam Eraſmo ſimilem referre potius auctorem, quam Cyprianum. In eandem ſententiam iuit poſtea Pamelius alios etiam aſſentatores nactus. Errat vero Pamelius, dum vtramque Frobenianam hunc librum proferre inquit, ſiquidem, vt ſuo loco profeſſus eſt, verſauerit editiones a. 1520. et 25. — Baluzio auctore non ipſe Grauius hanc ed. curavit, ſed alius, qui exemplari edito, coniecturis et variis lectionibus ex Codd. MS. a Grauii manu notato vteretur. Quod ex totius editionis adornatione concludere mihi Vir ſagaciſſimus viſus eſt, quae ſane huic ſuſpicioni fauet.

* *

Lugduni, apud Gryph. 8. 2 Voll. vide ſuperiores.

1546.

Venet. 4. Cypriani Exorciſmi. *Brb.*

1547.

Venet. ad ſignum ſpei. 8. *(Fabr. teſte.)* Opera, adiectis eiusdem Carminibus de Cruce Redemptoris. *Cat. Bibl. Chig.*

1549.

Coloniae. (f. puto) ex eiusd. Grauii recenſione. Fabricio teſte.

1558.

Baſ. ap. Io. Heruagium. f. ex ed. et cum annotatt. D. Eraſmi.

1560.

Pariſ. (forma non ſignificata.) Carmina de Geneſi et Sodoma. *Barb.*

1563.

Romae, apud Paul. Manutium Aldi F. f. D. C. C. Ep. C. et Glorioſiſſimi martiris Opera, ad veritatem vetuſtiſſimorum exemplarium ſumma fide emendata, addito etiam quinto epiſtolarum libro, antea nunquam edito. Alia eidem Cypriano adſcripta. Cum Indice rerum ac verborum memorabilium maxima diligentia collecto.

Recenſuit Latinus Latinius adhibito vetuſtiſſimo codice ex Veronenſi Bibliotheca aduecto, ac literis capitalibus ante annos mille exarato, aliisque MSS. exemplaribus, de quibus ſingulis tamen affirmare non auſim, ad manum fuerint, in prima hac recenſione, nec ne. *Dominic. Macrus in vita eius:* Multis, *inquit,* vigiliis ac laboribus quam plurima collegerat ad illuſtranda loca aliqua obſcuriora. Parauerat etiam quasdam Annotatiunculas, in quibus poſt varias codicum lectiones indicatas, quam ipſe maxime eſſet ſecutus, ſignificabat; additus etiam ab eo fuit ſyncerus epiſtolarum liber, multa denique ſumma fide reſtituta fuerant. Sed quia contra Scriptorum codicum fidem nonnulla retenta, aliqua addita, quam plurima immutata (operarum etiam incuria) conſiderabat, non eſt paſſus nomen ſuum a Manutio vllo modo in

in ed. adſcribi, ne fidem ſuam vel leuiſſime infirmaret. — Recenſuit deinde ſecunda vice ad edit. Pamelianam, quae eius curae in Bibl. Sacra et Prof. p. 174 ſqq. exhibentur, in quibus ſatis de Manutio queritur ſimulque aegre fert Manutio huius editionis laudes a Pamelio tributas. Habet haec ed. omnia, quae vulgata erant in Eraſmianis et Grauii edd. praeter Firmiliani ad Cyprianum epiſtolam contra epiſtolam Stephani Papae in Pamel. et Ox. n. 75. de quo Latinus Latinius in Bibl. p. 177. contra annotata Pameliana: Ego Latinus omiſi, *inquit*, non Manutius, cum maiorum exempla ſecutus, tum hominis petulantiam deteſtatus. Acceſſit autem de nouo praeter librum V. epiſtolarum, qui XV. conſtat, inter illa, quae adſcribi Cypriano ſolent, dubiae tamen fidei viſa ſunt, *liber de ſpectaculis,**) tum *vita Cypriani per Pontium* conſcripta vna cum *Actu paſſionis, cuius ipſe Pontius meminit* et Paſſione Cypr. quae in ſuperioribus edd. extabat et hic Paulo Diacono tribuitur. Quod ad habitum huius ed. externum ſpectat, neſcio an ſplendidam potius quam nitidam dicere debeas; is certe typorum in epiſtola dedicatoria ad Cardin. Borromeum — adhibitorum eſt honos et ἀκρίβεια, vt vel ſummis, quibus hodie Italia gloriatur, contendere poſſis huius artis monumentis; nec reliqui textus, minor licet, multo inferior eſt character. In Bibl. Acad. Exemplar cum collatione Codd. Ver. Vat. Beneuent. etc. extat, cuius olim poſſeſſor fuit . . Smitt, Conſul Britannus apud Venetos. In Bibl. Baluz. huius exempla duo cum MSS. collata extabant.

*) Huius rariſſima eſſe exempla MSS. Baluzius monet, nec parum gloriatur, duo ſibi exemplaria contigiſſe, quod nemini editorum priorum.

1564.

Pariſiis. ap. Guil. Deſbois. f. — opera omnia, veterum exemplarium collatione repurgata, editio aucta et obſeruationibus illuſtrata, diligentia et labore *Guiliel. Morellii.* Praefatus eſt Hadr. Turnebus. reſtituta ep. Firmiliani, add. ep. IIII. int. Pamel. Praeterea acceſſere adſcripta Cypriano: liber de aleatoribus, quem Cypriani eſſe vix dubitat Pamelius; *Carmina:* Geneſis, Sodoma, ad Senatorem, de Paſcha Domini. — Ad Vigilium Celſi in altercationem Iaſonis et Papiſci praefatio. Aduerſus Iudaeos, qui inſecuti ſunt Chriſtum. De duodecim abuſionibus ſaeculi. Diſpoſitio coenae. Huius ed. ſeptem exemplaria c. MSS. Codd. coll. in Bibl. Baluziana habebantur.

1568.

Antverpiae, ap. viduam et haered. Ioan. Stelſii. f. opera — iam denuo quam accuratiſſime recognita collatione facta editionum Pauli Manutii et Guil. Morelii ad exemplaria aliquot manuſc. vetuſtiſſima, certoque ordine, habita temporum ratione in tres Tomos nunc primum diſtincta. Adnotationes Iac. Pamelii — toti Operi ſparſim interiectae; quibus tum Caſtigationum ratio et Lectionum varietas obiter indicatur, tum quidquid ad Antiquitatem Eccleſiaſticam pertinet, paucis explicatur. Ab eodem recens adiecta D. Cypr. Vita e ſcriptis ipſius collecta, et ſcripturarum citatarum index locupletiſſimus deſideratus hactenus. — Refrictum quo ex longo ſatis annorum ſpatio Pamelius Cypriano operam dederat, ſtudium, dum primum in Theologicis ſtudiis eſſet occupatior, mox Gallica profectione impeditus, incendit ecce iterum duplex huius ſcriptoris, quae eodem pene tempore prodiiſſet P. Manutii et G. Morellii editio. Ac ſuperauit

rauit quidem vtriusque virtutes, (egregia etiam ipſius laude mactatas, ita tamen vt Manutianae primas daret) cum iterata et nouis praeſidiis adiuta textus cura; tum caeteris copiis, quas titulus pollicetur, primus Cyprianum inſtruxit ac decorauit, imprimis argumentis pra claris et lucidis ſingulis libris ac epiſtolis praefixis, et induſtria qua ſingulorum libellorum ac epiſtolarum ſeriem chronologicam indagare ſtuduit. - Codd. vſus eſt MSS. plurimis ex omni fere Belgio conquiſitis. Ex edd. antiquioribus praecipue innominatam I. de qua ſupra diximus, et Remboltianam euoluit. Latinus Latinius, cuius ſupra laudauimus curas ſecundas, nimium ſaepe Manutii confiſum eſſe correctionibus Pamelium cenſet. Ipſe praeter 700. et eo amplius locos reſtitutos in ſola ſcripturarum citatione marginali, ab innumeris inſuper mendis perpurgatum Cyprianum ſua opera prodire affirmat, ita, *addit,* vt ſperem, (ſi citra inuidiam dicere liceat) nulla poſthac eius recognitione opus fore. Praeuertit vero hac opera Io. Harriſium Anglum Th. Moro a ſecretis quondam, a quo inuicem anteuerti cupit in Tertulliano euulgando. Vitae Cypriani a Pamelio conſcriptae praemiſſa ſunt, quae Pontii et Pauli Diaconi nomine de vita eius et paſſione feruntur, it. Auguſtini or. et Agobardi quaedam de translatione corporis D. Cypr. in Galliam. — Ac cum tota editio diuiſa ſit in 3. Tomos, primus epp. continet, numero LXXXIII. hac ſerie: 1) Epp. ſtatim a baptiſmo D. Cypr. 2) In ſeceſſu eiusd. toto biennio. 3) Sub pontificatu Cornelii et Lucii. 4) Miſcellaneas in pace eccleſiae variis temporibus. 5) Sub pontificatu Stephani de baptizandis haereticis. 6) In exilio et ſub finem vitae conſcriptas. T. II. Libros et tractatus varios, numero 15. T. III. Opera Cypriano adſcripta. — Ac in contextu nonnulla quidem proprio arbitrio aut a ſe omiſſa

aut

aut poſita eſſe Pamelius fatetur, nonnunquam etiam contra MSS. Codd. auctoritatem, et hac ingenua profeſſione liberoque de Manutii ac Morelii mutationibus iudicio malae fraudis ſuſpicionem a ſe amouit.

1574.

Pariſ. ap. Niuellium. f. Pameliana recuſa; in Bibl. Baluz. coll. c. MSS. Cod. manu Nic. Fabri.

1579.

Pragae. 4. Cypriani Diſpoſitio coenae cum explicationibus. *Cat. Bibl. Barb.*

1589.

Antverp. f. recuſa Pameliana.

1593.

Pariſ. excudebat Io. le Preux. f. eadem recuſa, eadem cum inſcriptione ac ſupra. *Editio vltima prioribus emendatior, cui nunc primum acceſſerunt* noua Breuiaria ſingulis Epp. et Tractatibus praefixa: perpetuae notae ad marginem, quae Auctoris methodum indicant: Reſponſiones paſſim interiectae ad ea, quae Pamelius pro Dogmatum Pontificiorum confirmatione ex Cypriano et Veteribus Theologis protúlit. Chronologiae item et Theologiae Cypriani nouus Index. cum epiſtola dedicatoria *Simonis Goulartii* ad Eccleſias in Hollandia et Zelandia collectas. *Cat. Bibl. Caſanat. T. II.* p. 523. Cf. *Poſſevin. App. S. T. I.* p. 396. et *Sand.* extat etiam in *Bibl. Leidenſ.* et in *Muſ. Britt.*

* *

Geneuae. f. cum Notis Iac. Pamelii et Simonis Goulartii ad eas obſeruationibus. Haec extat in Bibl. Barberiniana. Cat. T. I. (Rom. 687. 2 Voll. f.

SAEC.

Saec. XVII.

Saeculum hoc paene ad dimidium ſui nihil niſi repetitiones Pamelianas vidit. Prodierunt certatim:

Pariſiis. 1603. f. — 1607. *ap. Seb. Niuellium.* f. in *Bibl. Barb.* T. I. et *Bibl. Bodl.* Cat. edit. ſecundae. — 1616. *ap. Sebaſt. Chapelet.* via Iac. ſub ſigno Oliuae. Ed. altera prioribus caſtigatior. — 1623. f. Tomi III. Ed. ſecunda. *Bibl. Chig.* — 1633. f. ad inſigne Nauis. in *Bibl. Caſanat.* T. II. p. 523. — 1644. ibid. f.

1603.

S. l. 8. Cypr. de Idolorum Vanitate. *Biblioth. Barb.*

1617.

Colon. f. *Bibl. Bodl.*

1632.

Colon. f. in *Bibl. Barb.*

❖ ❖

Londini. 8. Cyprianus de vnitate Eccleſiae c. MSS. coll. et annott. illuſtratus ſtudio Ieremiae Stephani. *Cat. Bibl. Leid.*

1633.

Oxon. 8. de Bono Patientiae, cum notis Ierem. Stephani.

1643.

Pariſ. 4. Cypr. de Idolor. Vanitate cum obſſ. Rigaltii. *Bibl. Bodl. et Barb.*

1648.

Lutet. Pariſ. ap. vid. Mathurini du Puis via Iacobaea, ſub ſigno Coronae. f. — S. C. C. opera *Ni-colai*

colai Rigaltii obſeruationibus ad veterum exemplarium fidem recognita et illuſtrata. 2) Nic. Rigaltii Obſervationes ad C. C. Ep. et tract. Diſſ. Anonymi S. antiqui de Baptiſmo haereticorum nunc primum edita ex Bibl. Remigiana. „Ad Epiſtolas et tractatus, Rigaltius inquit, oſtendi praecipua veteris ſcripturae lineamenta, ab ipſius Auctoris ſtilo ſeruata fideliter in optimis exemplaribus Veronenſi et Beneuentano collatis olim a Marcello et Antonio Auguſtino Epiſcopo tunc Alliſano: quae in Cypriani volumine manu Car. Monchalli Toloſatum Archiepiſcopi ſumma diligentia ac fide deſcripta, perpetuo nobis vſu fuere. Atque hic illa quidem in ipſo Cypriani operum contextu repraeſentari omnia debuiſſe non infitior; nec me huiusce conſilii ambiguum fuiſſe vnquam exiſtimari velim; triſtiſſime tuli, quod feſtinantibus operis typographicis adeſſe mihi non licuerit." — Obſeruationes ergo partim in lectionis varietate codd. laudatorum diiudicanda verſantur, partim ſcholiorum vicem ſuſtinent, quae vt breuia ſunt pleraque, ita frugi pleniſſima et a recto et eleganti iudicio et egregia παῤῥησίᾳ conſpicua. Accedit praeterea in Tertullianum antea ſuperioribus annis editum obſſ. ſpecilegium, et famoſus ille *de Corporis Chriſti pulcritudine* tractatus. Ordo idem ac in Pameliana, quamquam non in tres Tomos diſtincti ſunt libri. Epiſtolam etiam primam ſ. fragm. epiſtolae potius, quod primus vulgaverat Pamelius, omiſit Rigaltius. Huius ed. quatuor exempla c. MSS. codd. coll. in Bibl. Baluziana extabant.

1649.

Ibid. ap. eund. ſ. repetita. c. MSS. collata in Cat. Bibl. Bodl.

1666.

1666.

Pariſ. ap. Io. Dupuis. f. ex editione Rigaltii, cum eiusdem annotationibus integris Iac. Pamelii et aliorum commentariis ſeorſum antea editis. Accedunt M. Minucii Felicis Octauius; Arnobii Afri l. VII. adu. gentes; Iulii Firmici Mat. lib. de errore profanarum religionum; Commodiani inſtructiones adu. gentium Deos cum eiusdem Nic. Rigaltii notis et variorum commentariis ed. aucta et notis illuſtrata *ſtudio Phil. Priorii.*

1681.

Altdorfi. typ. et imp. Henr. Meyeri. 4. — Cypriani — et aliorum quorundam ad ipſum vel in ſimili cauſa ſcriptae Epiſtolae XXCIII. ordine Pameliano locatae, ex ed. Goulartiana in ſectiones diuiſae, et cum S. Auguſtini ad Cypriani argumenta de baptismo haereticorum reſponſionibus ſuo loco ſubiunctis, Variis etiam Pamelii, Rigaltii aliorumque Lectionibus et coniecturis, vt et Gratiani in Decreto, Lombardi in libris ſententiarum ac Thomae Aquinatis in Summa Theologiae Allegationibus in margine notatis, et aliquot denique vtilibus indicibus ſeorſim editae ſtudio *Lucae Frid. Reinharti,* Th. in Vn. A. P. P. etc. Textus vt ordo epiſtolarum eſt Pamelianus, additis in Margine Varietatibus omnium fere Codd. apud Pamelium, Rigaltium et Goulartium obuiis. Plurium MSS. e Germania obtinendorum deſiderio ſe flagraſſe, ait editor; omnes autem Fautores, quos eo nomine interpellaret, eorundem queſtos eſſe inopiam. Accepiſſe tamen e Bibl. Norimbergenſi vtendas ed. Rom. et Venet. 1471. et innominatam; quas ſaltem excutere debuiſſet curioſius earumque varias lectiones diſertius indicare.

1682.

Oxonii, e theatro Sheldoniano. f. S. Cypriani Opera recognita et illuſtrata per *Ioannem Oxonienſem Epiſcopum.* Accedunt *Annales Cyprianici,* ſiue Tredecim Annorum, quibus S. Cyprianus inter Chriſtianos verſatus eſt, breuis hiſtoria chronologice delineata per *Ioannem Ceſtrienſem.* Prima huius ed. dos eſt, quod tractatus Cypriano ſuppoſiti et a prioribus etiam Editoribus quaſi gradu ſubmoti et ſeorſim repoſiti, ita tamen vt aut quaeſtionem de ſtatu eorum intactam praeterirent aut pro aliquibus ipſi fideiuberent, vt Pamelius, prorſus ſunt ex reliquo ſcriptorum numero eliminati; ne vero a quibusdam lectoribus deſiderarentur vniuerſi, cum ineditis adhuc quibusdam aliis ſeorſim excudi curauit Editor, tali etiam forma, vt cum genuinis commode iungi poſſent. Quod ad genuina iſta ſpectat, Epiſtolas nouo ac longe a Pamelii diſſidente ordine digeſſit; adnotationibus, quae commode a ſuperioribus editoribus, imprimis a Rigaltio, conſignatae erant, ipſis eorum verbis, charactere tamen peculiari deſcriptis ſuas addidit, de quibus fere nimis modeſte ſentit, admonens etiam lectores, vt, ſi cui forte Cypriani placitis videatur aequo addictior, reputent ſe notas ad Cyprianum non in eum ſcripſiſſe. Tutelae enim quoddam genus ſuſcipere editorem, nec propriam liberare fidem, niſi auctoris ſui tueatur. Ad diſpoſitionis laudes pertinet, quod inſigni lectorum commodo textui variae lectiones primum, deinde annotata ſubiiciantur; praeterea textus ipſe in breues paragraphos diſtinctus ſingulisque eorum ſunt adiuncti indiculi marginales. Praeter ea, quae titulus pollicetur, praemiſſa ſunt vitae Cypriani, indices Pameliani cum indicibus contentorum, quibus editiones Eraſmi, Manutii, Pamelii et haec recens inter ſe com-

comparantur. De nitore et ornatu typographico huius editionis monere ſuperſedeo.

1690.

Bremae. ſumptt. Herm. Brauer, Gymn. typograph. — Oxonienſis ad vnguem recuſa. Subiunctis *Dodwelli Diſſ. Cyprianicis* (a. 1684. 4. ſeorſim primum excuſis) de quarum praeſtantia dudum inter eruditos conſtat.

1699.

Amſtelodami, ap. Io. Lud. de Lorme. f. Ed. III. cui additae ſunt Diſſ. Cyprianicae H. Dodwelli. Repetitio Bremenſi per omnia ſimilis.

1700.

Amſtel. f. Eadem. *Cat. Bibl. Caſanat.* T. II. 524.

Saec. XVIII.

1721.

Pariſiis. f. Cypriani Epiſtolae ad Cornelium et Stephanum, Summos Pontifices, et alia quaedam *in Epp. Rom. Pontif.* per *Couſtant.* a. p. 126.

1726.

Pariſiis, ex typographia Regia. fol. max. S. C. Cypriani Ep. Carth. et Mart. Opera, ad MSS codices recognita et illuſtrata ſtudio et labore *Stephani Baluzii,* Tutelenſis. Abſoluit poſt Baluzium ac praefationem et Vitam Cypriani adornauit vnus ex monachis Congregationis S. Mauri (*Maranus*).

Genuinis Cypriani ſcriptis ſpuria omnia ſic adiungere inſtituerat Baluzius, vt habentur in editione Oxonienſi, omiſſo ſolum computo Paſchali, vt ta-

men inter genuina referret de ſpectaculis, de laude martyrii et quod inſcribitur anonymi de rebaptismate. Itaque textum variarum lectionum a ſuperioribus editoribus congeſtarum et triginta fere nouorum Codd. MSS. ope inſigniter et multis in locis emendauerat, notisque inſtruxerat partim emendationum cauſas reddentibus, partim explicando ſermoni vel illuſtrandis rebus inſeruientibus. Abſoluta iam erat plurima operis pars, duobus aut tribus foliis tractatus de Card. Chriſti operibus exceptis, cum ſubito mors eum in medio labore occupat. Cum igitur Marano in reliquis tantum eſſet elaborandum et vicariam tantummodo operam ſe gerere ſenſiſſet, (quippe qui, ſi noua Cypriani editio ſibi fuiſſet adornanda, fatetur non pauca ex tam graui ſarcina ſe fuiſſe deoneraturum) retinuit, quia ſic viſum Baluzio, quidquid habuit ed. Pamelii, ſed ex iis, quibus Angli Cyprianum onerarunt, Arnoldi B. V. elucubrationes (de opp. VI dier. de laudat. dat. B. Virg. et Meditationes) expunxit. Confeſſionis Cypriani, quam Angli latina interpretatione, pluribus locis hiulcam, innumeris aliis corruptam dederant, Graecum textum ex Bibl. Comitis de *Seignelay* ſuppeditatum noua interpretatione ſubſtituta exhibuit. Spuria porro Cypriani opera, quae Baluzius ita dare conſtituerat, vt habentur in Oxonienſi ed. quod plures naeuos per ipſas crebras Cypriani edd. traxiſſe ea viderat, ad vetuſtas edd. et Codd. MSS. emendauit, variantibus ad marginem appoſitis. Baluzii contra emendationes eo, quod explicationibus et illuſtrationibus ſaepe diſtinguuntur, ſeparatim poſt textum ſubiiciuntur. Praefationis quoque loco Maranus de operibus, editionibus, doctrina et rebus geſtis Cypriani prolixe diſſeruit, ita tamen, vt ſaepe ab Oxonienſibus diſcederet et receptis ab eccleſia catholica placitis Cyprianum conformaret.

1782.

1782.

Wirceburgi, ex off. Stahel. Tomis II. 8. S. Cypriani Opera. — Curante Oberthür. Tomo ſecundo praeter tractatus Cypriano olim adſcriptos ex Oxonienſi et Benedictinorum editionibus auctos etiam nonnullis, acceſſerunt Minucii F. Octauius et Nouatiani opuſcula. Doleo vero, quod Tomum primum, dum haec ſcriberem, nanciſci non potuerim, vnde conſilium, quod ſecutus ſit Clariſſ. editor, patuiſſet apertius.

* *

Verſiones ſingulorum librorum Cypriani commemorare non vacat. Adeant, quibus volupe eſt, Catalogos Bibl. Regiae Pariſ. T. I., Bibl. Chigianae et imprimis Caſanatenſis p. 524. 525. Sed nefas ſit praeclaram operum traductionem gallicam Lomberti reticere. Prodiit a.

1672.

Paris, chez Andre Pralard. 4. — Oeuvres traduites en François par *Lombert*, avec des remarques et une nouvelle vie de Saint Cyprien, tirée de ſes eſcrits.

* *

Codicum denique, quibus Cyprianum debemus elenchum, ſubiungere iuuat, quorum quidem ab editoribus diſerta mentio facta eſt. Nam a primis poſt Alerienſem et ab ipſo etiam *Eraſmo* et *Goulartio* illud prorſus omiſſum eſt.

1.

Andreas Alerienſis, ex Codice Pariſienſi deſcripſerat, quae in principe Romana edidit Cypriani opuſcula.

2.

LATINO LATINIO, in Romana P. Manutii ſuppetebat *Codex* vetuſtiſſimus *Veronenſis*, de quo ſuo loco nobis conſtitit. Quibus poſtea in curis ſecundis vſus ſit, non diſerte indicauit.

3.

PAMELIVS vſus eſt Codicibus MSS.

Abbatiae Affligimienſis, haud procul Buxella.

Anglico Io. Clementis, qui ad ipſum quasdam inde caſtigationes miſerat.

Abbatiae Blandinienſis, apud Gandenſes, quae D. Petri nuncupatur, qui paulo poſt a ſectariis crematus eſt.

Abbatiae Cambronenſis in Hannonia, qui omnium optimus ab eo cenſetur.

Fragmento quodam Codicis MS. *Lud. Carrionis*, in quo nonnulla Cypriani opuſcula continebantur.

Excuſo Codice *Io. Cauchii* Vltraiectini cum caſtigatt. ad marginem ex MSS. variis codd. Codice D. Pantaleonis apud Coloniam, quem *Colonienſem* vocat.

Caſtigationibus *Io. Coſterii*, ad marg. adſcriptae Codicis Cauchii.

Codice MS. *Abbatiae Dunenſis* in Flandria, ex incendio ſectariorum ſuperſtite.

Codice MS. *Io. Harriſii* Angli; ex quo caſtigationes haud poenitendas acceperat.

Codice MS. *Abbatiae Marchinenſis* haud procul a Duacenſi academia.

Codice MS. *D. Nicolai* extra muros *Tornacenſes*.

4.

RIGALTIVS laudat Varietates codicis *Regii*, *Beneuentani*, *Corbeienſis*, *Neapolitani*, *Rhemenſis*, *Vero-*

Veronenſis et *Thuani*, *librum Nic. Fabri* et *exemplar Pompoſianum.*

5.

Oxonienses denique vſurparunt MS. Codices:

quatuor *Bodleianos.*
quatuor *Iſ. Voſſii.*
duo *noui Collegii Oxoniae.*
vnum *Collegii Lincolnienſis. ibidem.*
vnum *Collegii Pembrockiani Cantabrigiae.*
vnum *Bibliothecae Lambethanae.*
vnum *Bibl. Arundelianae.*
vnum *Bibl. Eboracenſis.*
vnum *Bibl. Weſtmonaſterienſis.*
vnum *Bibl. Sarisburienſis.*
vnum *Bibl. Cottonianae.* Item

Collationes *Codicis Collegii Corporis Chriſti Cantabrigiae* et alterius *Londinenſis* per Th. Gale factam; item alterius cuiusdam *Sarisburienſis* per Epiſc. Aſaphenſem.

Collationes Codd. *Thuani*, *coenobiorum S. Michaelis* in periculo maris, *S. Victoris Pariſienſis*, *S. Mauritii Toſſatenſis*, et *S. Petri Corbeienſis* per PP. Benedict. Lutetiae curatas,

Collationes aliquot Codd. in *Vaticana Veronae* et *Beneuenti* exiſtentium, nec non Regis Galliae; ſtudio D. Rob. Rigby. Praeterea ratio habita Codd. a Iac. Pamelio, Goulartio, Nic. Fabro, Lat. Latinio, etc. adhibitorum.

6.

Baluzius non ſolum omnia priorum editorum ex Codicibus MSS. ſubſidia denuo excuſſit, ſed complures de nouo etiam conſuluit, quos ſtrictim enu-

 merat

merat Maranus prolegom: p. CXLVII. Multorum vero varias lectiones libris ſuis adſcripſerat, ſed quoniam citius illi diſtraherentur, plenam eorum notitiam colligere non licebat.

4.

C O R N E L I V S.

§. 1. Vita eius. Natione Romanus, patre Caſſino, Epiſcopus Romanus in locum Fabiani anno 251. (d. IV. Iunii) electus, controuerſia de Lapſis et contentione cum Novatiano innotuit. De vtraque vero ita plerumque disputatum eſt, vt Cornelio laus rei bene geſtae diſcerneretur, omnem vero culpam et quidquid parum honeſte hac in re commiſſum eſſet, Nouatiano tribuerent. Nimirum omne hic iudicium ex Cornelii et eius aſſeclarum, Cypriani imprimis, aſſertionibus et fide pependit. Vtrinque autem peccatum eſſe, nec a Nouatiano magis, quam Cornelio, vbi curioſe ſatis exploraveris, patebit. Summam rerum, vt geſtae ſint, exhibeamus. Quum ingens Lapſorum ex perſecutione Deciana multitudo in Eccleſiae communionem rurſus reſtitui cuperet et vehementer omnes ambiret, orta eſt inter Clericos de lege, qüae in eis recipiendis ſeruanda eſſet, quaeſtio, quae in diuerſa ſtatim animos distraxit. Leniora enim ſuadentibus aduerſati ſunt alii, diſciplinam Eccleſiae hac lenitate euerti metuentes. Illorum ſententiam Cornelius amplexus eſt, in horum partibus Nouatianus ſtetit, cui Confeſſores nonnulli ſe adiunxerunt. Inter has ipſas controuerſias cum ad Epiſcopum eligendum peruentum eſſet, eadem animorum diſcordia, plurimis tamen ſuffragantibus, Cornelius electus eſt. Quod indigne ferens Nouatianus, qui, quamquam ipſe minime ambiret Epiſcopi dignitatem, calamitatem tamen ex Cornelio eccleſiae metueret, palam ab eo ſeceſſit. Quo facto, concilium Corne-

Cornelius congregauit, in quo ſuam de Lapſis ſenten-tiam approbari fecit et Nouatiani ſolemniter damnata eſt. Acriori dehinc animorum contentione litigatum eſt, imprimis poſtquam Nouatianus, vrgentibus affectis, praecipue Nouato, Epiſcopum contra morem eccle-ſiae ſe creari paſſus erat. Sed maior rerum geſtarum pars ad ipſarum doctrinarum, de quibus diſceptatum fuit, hiſtoriam pertinet. Cornelius non diu dignitate epi-ſcopatus gauiſus eſt, ſed poſtquam ab imperatore Gal-lo menſe Iulio a. 252. Centumcellas, Tuſciae vrbem, relegatus erat, 18 Cal. Octobr. eiusdem anni marty-rium obiit.

Ex *Epiſtolis* eius, quarum plures in cauſa No-uatiani ſcripſerat, duae tantum ad Cyprianum re-ſtant, et fragmentum alterius ad Fabium Antioche-num de Nouatiano apud Euſebium H. E. l. 6. cap. 43. §. 2. Scri-pta.

Extant inter Cyprianicas ed. Pamel. 45. 47. Oxon. 49. 50. et apud *Conſtant* cum Cypriani lite-ris ad eum pertinentibus et ſingulari illuſtratione a p. 126-206. §. 3. Edi-tiones.

5.

NOVATIANVS.

Patria huius ignoratur. Phrygia oriundum Phi-loſtorgius tradit, cuius tamen fidem Photius iam in dubium vocauit. Valeſius quidem ad Socrat. Hiſt. Eccl. probari ſibi hanc de ipſius patria ſententiam ſcri-bit, propterea, quod multos ſectatores doctrinae ſuae in Phrygia Nouatianus habuerit. Acutius vero vidiſſe cenſebitur Iackſon, ex eo ipſo potius natam hanc de Phrygia patria opinionem exiſtimans, quod plurimi ibidem dogmata eius magni fieri viderent, Phrygibus §. 1. Vita.

nimirum ſuopte ingenio ad ſeueriorem quamcunque diſciplinam amplectendam, id quod ex Montani hiſtoria conſtat, propenſioribus, vt ipſe Socrates animaduertit, et Montani hiſtoria confirmat. Philoſophiam ſtoicam, cui deditum fuiſſe eum omnes teſtantur, Romae cum Chriſtiana permutauit. Hic dum inter catechumenos numeratur, morbo graui, quam daemonis impetu tribuebant, implicitus in lectulo baptizandus fuit, ſed manuum Epiſcopi impoſitionem poſt baptiſma ſolemnem nec tunc, nec poſtquam morbo eſſet liberatus, accepit, id quod poſtea, cum de Epiſcopatu cum Cornelio contenderet, vitio ipſi datum fuit. Cum itaque Cornelius, a quo in ſententia de Lapſis recipiendis maxime diſſentiret, plurimorum ſuffragio Epiſcopus electus eſſet, impatientius id ferre et grauius in eum inuehi coepit, quod in communionem Eccleſiae eos, qui falſos Deos coluiſſent, reciperet, quibus ipſe pacem nunquam eſſe dandam contendebat. Quae eius aſſertio cum a Cornelio et concilio, quod ille congregauerat, eſſet damnata, protinus ſe ab Eccleſia Romana ſegregauit. Iam ferunt, Nouatum Africanum Presbyterum, qui in vrbe Carthagine turbas aduerſus Cyprianum fecerat, in Nouatiani partes cum ſuis tranſiſſe ipſique ſuaſiſſe, vt Epiſcopum ſe conſtitueret. Nouatianum igitur duos ex ſuis miſiſſe ad tres Epiſcopos ſimplices et rudes in parua quadam Italiae regione habitantes eosque, quaſi omnem litem re perſpecta eſſet compoſiturus, Romam euocaſſe. Ab his ſimulac Romam veniſſent in cubiculo incluſis vinoque obrutis circa horam X. noctis, Epiſcopum ordinatum eſſe. Sed Epiſcopi cum caeterarum prouinciarum, quos per epiſtolas de ſua ordinatione certiores fecerat, tum Africani, ad quos, vt approbaretur, legatos miſerat, ipſum reiecerunt Cornelio comprobato, vnde breui poſt haec eius ambitio epiſco-

epiſcopatus reſedit; haereſis tamen late ſerpſit et in dies propagata eſt. Nec vero omittendum eſt, haec, quae de ordinatione illegitima Nouatiani et turbato eccleſiae Romanae ſtatu narrata ſunt, ſola Cornelii fide et iis, quae ille ad Cyprianum duabus epiſtolis et ad Fabium Ep. Antiochenum tribus perſcripſit, niti, quae quidem deſperatae mentis et peſſimi exempli hominem clamant Nouatianum, ſed non pauca etiam habent, quae ſeuerioris examinis trutina expendi poſcunt. Pertinet eo imprimis, quod iuramento ſe adſtrinxiſſe Nouatianus dicitur, ſe Epiſcopatum non ambire. Prudentis vero et chriſtiani viri optimum exemplum olim praebuiſſe Nouatianum, loquitur auctoritatis et fidei, qua apud plebem chriſtianam florebat, teſtis ſat grauis, Epiſtola, ſuadente et ſcribente illo ad Cyprianum in cauſa Lapſorum, nomine Cleri Romani miſſa; quibus addas, quod in ſeceſſu, perſecutionis ergo, plebs et Eccleſiae coetus opem et conſilium ab illo frequentibus literis efflagitarint, quibus ille non defuit, ſi modo eius ſit, qui vulgo tribuitur libellus de Cibis Iudaicis. Quamobrem ſi magni hunc ingenii animique virum paulo altiores ſpiritus cepiſſe et nonnunquam immoderatius ſe geſſiſſe largiamur, non item ad Cornelii et Cypriani lubitum ſtatim fingimus, Confeſſionis gloriam illi tribuit Euſebius, martyrii corona redimiuit Socrates. Neutrum liquet.

Scripſit Nouatianus, ſecundum Hieronymum, de *Paſcha*, de *Sabbato*, de *Circumciſione*, de *Cibis Iudaicis*, de *Inſtantia*, de *Attalo*, multaque alia. Et de Trinitate quidem, inquit, grande volumen, quaſi ἐπιτομὴν operis Tertulliani faciens, quod plerique neſcientes, Cypriani exiſtimant. Ad quem locum, praecipue poſteriora verba, quae diu Viros Doctos exercuerunt, Ern. Sal. Cyprian. (Fabric. p. 160.), cuius §. 2. Scripta.

iam explicatio, *Nouatianum ea, quae in libris ſuis prolixe quidem, ſed ſeorſim de Trinitate tradat Tertullianus,* congeſſiſſe atque in Epitomen *redegiſſe peculiari illo de Trinitate libro* — omnium eruditorum calculos tulit. Meminit alibi Hieronymus (Epiſtola 10: ad Paul. Concordienſ.) Epiſtolarum Nouatiani. Ex his omnibus hodie ſupereſſe putantur:

1) *De Trinitate* liber, ſ. *de regula fidei* inſcriptus. Olim Tertulliano adiudicatus et inter opera illius editus, ab aliis etiam Cypriano adſcriptus et epiſtolis ipſius inſertus eſt. Sed Tertulliani non eſſe, oratio facilis atque aequabilis, citationes SS. a locis Tertulliano laudatis abhorrentes, haereſeos aetas denique, quippe Sabellianae poſt Tertullianum demum ortae fit in eo mentio, euincunt. Cypriano quidem neque ſtylo, neque doctrina, neque tempore, quantum conſtat, abſimile aliquid hoc opus profitetur; ſed tamen ſcripturarum citatione ab illo diſcrepant, neque veteres aliqui niſi ex *Macedonia* parte quidem attribuerunt, et expreſſis verbis affirmat *Hieronymus,* librum nec *Tertulliani,* nec Cypriani eſſe ſed *inſcribi titulo Nouatiani et illius eſſe.* Quam ſententiam poſt Pamelium et Caueum Iackſonus tuetur. De tempore vero, quo ſcripſerit, iidem Caueus et Iackſonus diſſentiunt. Ille, poſt ſchiſma demum, quod a. 251. accidit, compoſitum eſſe debere contendit, quoniam haereſeos Sabellianae a. 257. ſpargi coeptae meminerit, hic contra, ante a. 257. abſolutum eſſe et Sabellium ante a. praedictum haereſi ſua inclaruiſſe, quod poſterius multis quidem nec tamen magni momenti argumentis vrget. Huius libri capita 23 vſque ad 27. ſin. male olim tranſpoſita, notantibus pridem

pridem Henr. Valeſio *) et Coteleriō (Tom. 3. Monum. p. 634.) ordini iuſto poſt caput 14. reſtituerunt Angli Edd. Welchmannus et Iackſonus.

2) *De Cibis Iudaicis Epiſtola.* Quam ſcripſit efflagitante plebe Romana, cum ſub perſecutione Deciana (quae Romae exorta erat ineunte a. 249. et poſt annum ſiue ineunte a. 257. deferbuit) ſeceſſiſſet, quod ex ipſo primo Ep. capite intelligitur: adeo vt haec ſcriberetur a. 250. forte ſub finem anni. Bene autem monet Iackſonus, hac epiſtola abſtergi calumniam, quam ex rumore falſo contra Nouatianum ſtruxiſſe viſus eſt Cornelius Romae Ep. (in Ep. ad Euſeb.), in qua ſcribit, Nouatianum tempore perſecutionis in cubiculo incluſum egredi recuſaſſe, vt fratribus auxilio indigentibus ſuccurreret et Diaconis ad id hortantibus reſpondiſſe, ſe nolle amplius eſſe Presbyterum et alterius Philoſophiae deſiderio teneri. Nec vero ſi haec de cibis Iudaicis ep. Nouatiani non eſſet, calumniae non malignae magis quam abſurdae aurem facilem praebuerit, niſi quis S. Cypriani induat ingenium.

3) *Epiſtolae* nomine Cleri Romani ad Cyprianum, vacante ſede Romana per mortem Fabiani, quam martyrio obiuit ineunte a. 250. XIII. Cal. Febr., adeoque medio fere a. 250. perſcriptae.

*) Exciderat ipſi in ſermonibus familiaribus cum Coteleriō habitis, ita tamen vt capita non indicaret, ſed tantum eſſe quaedam transpoſita diceret, de quibus olim ſibi diſſertatio parata ſit. Quam cum morte praeventus perficere non potuiſſet, nec inter ſchedulas ſtatim quidquam ſuper hoc compareret, ipſe ad indagandum transpoſitionem nec vana opera ſe dedit Coteleriūs.

ſcriptae. De Lapſorum ſub initium perſecutionis Decianae multitudine et conditione tractans inter Cyprianicas (ed. Pamel. et Baluz. 31. Oxon. 30. f.) Nouatiano tanquam ſcribae vindicat eam ipſam Cyprianus Epiſt. ad Antonianum. Alia inſuper reſtat epiſtola Cleri Romani ad Cyprianum eadem in cauſa, nec tempore multo poſt — menſe Octob. exeunte eiusd. anni perſcripta. Ed. Ox. 36. Rigalt. 30. quae forte eundem Nouatianum auctorem agnoſcit, certe ab orationis indole eius non abhorret, a Iackſono autem absque haeſitatione illi tribuitur.

§. 5. Editiones. *De Trinitate* et *de Cibis Iudaicis* in Edd. Tertulliani inde a Pariſienſi Gagnaei a. 1545. deinceps omnibus.

Poſt Gagnaeum ſcilicet, qui ex vetuſtiſſimo aliquo Cod. cum aliis Tertulliani opuſculis depromſiſſe dicitur, *Gelenius* in ed. Baſ. Frob. 1550. et 1562. ex MS. Cod. Britannico, ac deinde Pamelius ea recognouerunt. Ac hic quidem librum *de Trinitate* multis in locis ad Anglicum MS. exemplar antiquiſſimum *Io. Clementis* vtrumque opus vero ex coniecturis quibusdam Latini Latinii et ſuis illuſtrauit et adnotationes adiecit. Hactenus tamen inter Tertulliani opera latuit. *Nouatianus* mendis ſcatens et membrorum luxatione foedatus. Separatim primum prodiit

Incerti auctoris de regula veritatis ſiue fidei: vulgo *Nouatiani de Trinitate* liber; — ad Pamelii fidem deſcriptus nec vllis animaduerſionibus illuſtratus; — c: *William Whiſton's* in Sermons and Eſſays upon ſeveral Subjects. Succeſſere mox

1724.

1724.

Oxonii, e theatro Sheldon. 8. Nouatiani Opera, quae extant, omnia correctius longe quam vnquam antehac edita, notisque illuſtrata. Per *Eduardum Welchman.*

Exhibentur libelli inter Tertullianea ſeruati et altera ad Cypr. Ep. Welchman, qui aduerſatur Whiſtono, repetiit textum Gelenianum. „Mendis vniuerſis, quibus tum in vocibus, tum in clauſularum diſtinctionibus paſſim laborabat, medicam manum ſumma cura ſe appoſuiſſe dicit.“ Propter quae acrem Iackſoni nec plane immeritam cenſuram paſſus eſt, menda a Pamelio remota, Gelenium ſequendo iterum inferſiſſe, pluraque omnino reliquiſſe quam ſuſtuliſſe obiicientis, cum tamen magnam earum partem facile emaculare potuerit, ſi *Anglicanum* MS. exemplar a Pamelio deſcriptum non neglexiſſet et *Fuluii Vrſini* ex MSS. obſeruationes a *Io. Wowero* exſcriptas, quas nanciſci potuerit, non penitus ignorauiſſet. Alterum quod addit, Welchmannum quidem luxata capita ad propria loca reduxiſſe; ſed in hoc anteceſſorem habuiſſe *Reſponſi Auctorem* contra D. *Waterlandi* defenſionem quaeſtionum quarundam, quas edidit de Trinitatis controuerſia, nec tamen eius meminiſſe et de notulis item, vnam et alteram et locorum S. S. indicem valde imperfectum adieciſſe: id multis fortaſſe paulo iniquius ab eo dictum videbitur. Sed ipſius iam Iackſoni editionem proferamus.

1728.

Londini: Typis *Io. Darby* et *T. Browne:* et Impenſis *Iohannis Noon* in Vico dicto Cheapſide iuxta Sacellum Mercaxariorum. — Novatiani Presb. Romani opera, quae ſuperſunt omnia, poſt *Iacobi Pamelii* Brugenſis recenſionem, ad Antiquiores Editiones

nes caſtigata, et a multis mendis expurgata: Illuſtrata etiam copioſiſſimis obſeruationibus et notis, in quibus totum argumentum Auctoris de *Regula Fidei* ex veterum *Patrum* monumentis late diſcutitur. Praemittitur Diſſertatio de *Filio Dei* Homouſio, ſiue Coeſſentialite vni *Deo Patri*. Studio *Ioannis Iackſon*, Eccleſiae Anglicanae Presbyteri, et de Wherwell Comitatu Hantoniae Praebendarii.

Praeter ea, quae ſuperior editio, complectitur haec etiam alteram Cleri Rom. ad Cyprianum epiſtolam, de quo ſupra verba fecimus. Quod rationem attinet, quam in recenſendo textu ſecutus eſt, a Pameliano exemplo nunquam ſe diſceſſiſſe profitetur, niſi quando ſenſus et ratio Auctoris emendationem plane poſtularet; aut vindices alios, vel exemplarium ſuffragium ſecum haberet. Qua in re Lat. Latinio et Fr. Iunio nonnulla ſe debere plurimum vero MS. Anglicano et F. Vrſ. MSS. notis adiutum ſe affirmat. Plurimum ſibi laboris indulſiſſe narrat, vt verſionibus ſcripturarum diuerſis et veterum patrum citationibus cum archetypo textu collatis omnes lectiones varias cuiuscunque textus a *Nouatiano* citat, inde deducendas, quae notatu dignae eſſent, vna conquireret et lectori ſiſteret. „Hanc vero operam tuli, inquit, non quod me aliquid feciſſe quosuis putare vellem; ſed quod alios exemplo meo, ſi liceret, mouerem, vt in edendis veterum libris hac via incederent, et omnes varias lectiones locorum omnium ſcripturae, qui in vnoquoque ſcriptore citantur, congererent: atque hoc ad promouendam ſacrarum literarum emendationem et cognitionem multum collaturum confido.“

Notae denique et obſeruationes multae et accuratae, Prolegomena docta indicesque locupletiſſimi, nec non in rebus leuioribus cura manifeſta, egregie editoris vice functum Iackſonum oſtendunt.

6. Pon-

6.

PONTIVS.

Gente, vt videtur, Afer, Diaconus Cypriani in Eccleſia Africana, eiusque in omnibus vitae certaminibus comes. Amplius quidquam de eo non conſtat, quamquam Acta Pontii a Valerio, vt aiunt, eius contubernali Cypriani itidem Diacono conſignata habentur ap. Baluzium T. II. Miſcell. p. 124. (a. 1679.) Nomen eius martyrologio Romano 8. Martii eſt adſcriptum. cf. Acta SS. ad h. d. T. I. p. 750 ſqq. Ex illis Actis profeciſſe Trithemium, Pontii geſta enarrantem, Fabricius ad Hieron. (Bibl. Eccl. p. 153.) monuit. §. 1. Vita.

Extat huius Pontii *de Vita et paſſione S. Cypriani* narratio, quam Rhetoricae potius dictionis gratiam, quam narrationis hiſtoricae diligentiam praeferre notat Rigaltius (ad Cypr. Ep. 83. Ox. 81.). Interpolata eadem mala librariorum admodum recentis aeui ſedulitate, vt dudum Ern. Sal. Cypr. ad Hier. (Fabr. p. 153.) docuit. §. 2. Scripta.

Edita eſt et emendata ſimul in variis editionibus operum Cypriani, quibus a Romana inde Pauli Manutii a. 1563. praemitti conſueuit. Praeterea etiam in Actis ſel. Martyr. Theod. Ruinarti Pariſ. 1690. 4. et noua ed. Amſtel. ap. Henr. Wetſtenium. 1713. fol. §. 3. Editiones.

7.

STEPHANVS.

Romanus, patre Iulio ſ. Iobio. Anno 253. Lucio mortuo in dignitate epiſcopi ſucceſſit.*) Circa §. 1. Vita.

a. 256.

*) Quem Fabric. Bibl. M. et I. L. T. VI. p. 202. appellat Stephanum I. Papam a. 257. in ſedem Rom. euectum,

a. 256. grauis ipſi cum Cypriano interceſſit controverſia de baptizandis haereticis, quam magna contentione et feruore animi egit, quid? quod adeo aduerſus Cyprianum exarſit, vt epiſcopos, quos legatos hac de re Romam miſerat Cyprianus, non modo ad Colloquium non admitteret, ſed et fratribus vniuerſis, quo minus in domos ſuas reciperent, interdiceret, vt renuentibus non ſolum pax et communio, ſed et tectum etiam ac hoſpitium negaretur. Martyrio obiit a. 257. 4. Non. Auguſti ſecundum Cauei computationem. Quae Acta Martyrum de obitu eius copioſe ſatis enarrant, nullius fidei ſunt.

§. 2. Scripta et Editiones. Scripſerat, quantum quidem colligere licet de Controuerſia Epiſtolas 2. vnam ad Cyprianum, de qua agit Cyprianus Ep. ad Pompeium: *alteram ad Epiſcopos Orientales contra Helenum et Firmilianum.* Neutra harum iam extat, ſed breue tantum *prioris* fragmentum ap. Cypr. Ep. 74. ad Pompei. p. 129. apud *Couſtant* cum Cyprianicis ad eum a p. 210 ad 256.

8.

VICTORINVS.

§. 1. Vita. Victorinum Graecae originis aut in confinio Graeciae ſaltem oriundum fuiſſe, ex iis, quae Hieronymus attulit, tuto ſatis collegiſſe videtur Caueus. Petauionenſis*) in Pannonia ſuperiore ad Drauum fl. erat Epiſco-

ctum, cuiusque ſuperſtites epiſtolas et decreta laudat, is nec hic eſt, nec quis ſit praeter noſtrum ſcio. Stephano enim noſtro a. 257. ſucceſſit Sixtus II. quem excepit Dionyſius.

*) Ita quidem legendum docuit, errore obſoleto, quo Pictauienſis Aquitaniae ferebatur Epiſcopus, funditus exſtirpato, Launoius Francogallus peculiari doctaque diſſer-

Epiſcopus circa a. 290., martyrium paſſus ſub Diocletiano a. 303. „*Non aeque Latine vt Graece eum nouiſſe, operaque eius grandia ſenſibus viliora eſſe compoſitione verborum*, Hieronymi de eo eſt iudicium. Idem alibi ad Mag. Orat. T. 2. p. 328. *Victorino martyri licet deſit eruditio, non tamen deeſt eruditionis voluntas*, dicit. Haec de eruditione ſaecularium diſciplinarum intelligenda eſſe, Launoii et Cavei eſt ſententia. Quae ſi vera ſit, quid Caſſiodoro*) faciamus, qui Victorinum ex oratore Epiſcopum factum eſſe ſcribit? Leguleiusne ex plebe fuit Victorinus? Nam Oratoris profeſſio etſi exquiſitiori doctrina facile careret, plus tamen requirebat, quam eruditionis voluntatem, neque equidem modo leuiter iis copiis fuiſſet tinctus, ſine quibus ars iſta nulla plane eſſe poterat, qui Hieronymus in ſcriptis eius omnem prorſus eruditionem deſiderare potuerit, video. Sed cum tam pauca nec ea quidem certa huius Victorini ſuperſint, vix hanc quaeſtionem dirimere licebit.

Scripſit, Hieronymo teſte, *Commentarios in Geneſin, in Exodum, in Leuiticum, in Eſaiam, in Ezechielem, in Abacuc, in Eccleſiaſten, in Cantica Canticorum, in Apocalypſin Ioannis aduerſus omnes haereſes*, multaque alia; quae tantum non omnia intercidiſſe temporis iniuria videntur. Nam qui iam ſub nomine illius extat *Commentarius in Apocalypſin* in Bibl. PP. T. III., eum non illius eſſe, aut certe miſere mutilatum et interpolatum eſſe, ex Hieronymi in §. 2. Scripta.

diſſertatione Pariſ. 1653. 8. *Petauio* ſeu *Petouio*, h. e. Pettaw, colonia et oppidum in Carnis (finibus Styriae et Slauoniae) Tacito dicta.

*) De Div. Inſt. c. 5. 7. 9.

in eum ſtricturis diſcimus, vbi Chiliaſtarum opinioni auctorem fauere dicit, quam hic potius impugnat et Cerinthi haereſin appellat. Magis etiam Commentarius iſte fraudis argueretur, ſi eo nobis vti liceret, quod Caueus in Caſſiodoro *) manifeſto depr̄ehendere ſibi viſus eſt, Victorinum non tam integram Apocalypſin commentario illuſtraſſe, quam difficiliora quaedam loca tractaſſe.

§. 3. Editiones. Ex Comment. in Geneſin ſupereſſe putant fragmentum de *Fabrica Mundi* inſcriptum, ſtylo et argumento Victorinum quodammodo referens, quippe quod aperte Chiliaſtarum dogma defendat. Ex Codice vetuſto Biblioth. Lambethanae vnico, vt videtur, idemque plus vna vice ad eundem recognitum, duplici exemplo edidit et tum ſuis tum aliorum quorundam coniecturis ornauit Caueus in Bibl. Eccl. T. I. p. 148-157. Denique et Carmina duo *de Ieſu Chriſto Deo et homine* vnum, alterum Lignum vitae inſcriptum, ſed vana fide ei tribuuntur in Collectione Fabriciana reperiunda.

Ad illa autem falſa Victorino adſcripta opuſcula pertinet editio ſacta

1652.

Gothae. ſub prelo Reyher. p. Io. Mich. Schallium. 8. Sanctae Reliquiae duum Victorinorum, Pictauienſis vnius Epiſcopi Martyris, Afri Alterius Caii Marii, Rhetoris primum Romani et Conſularis Viri Clmi Conuerſi, deinde Diſputatoris ſubtiliſſimi; h. e. Chriſtiana eorundem in prorſa (ſic vitio typ. excuſum) et Vorſa oratione ſcripta: Illius quidem Commentarius in Apocalypſin Iohannis, et tria elegantiſſima de Ieſu Chriſto Deo et homine, eiusque Paſcha ſeu cruce,

*) De divin. Lect. c. 9.

ce, nec non de VII. Maccabaeis fratribus Martyribus, carmina: huius etc. Omnia et ſingula cum Notis et praefatione D. *Andreae Riuini* (Prof. Lipſ.), qui ſuis ſumtibus excudi fecit.

CAPVT QVARTVM

Patres Latini ſaeculi quarti.

I.

ARNOBIVS.

De hoc quaecunque explorata memoria ad nos delata ſunt, paucis admodum conſtant. Afrum fuiſſe et *ſub Diocletiano* rhetoricam Siccae Africae vrbe olim florentiſſima docuiſſe, Hieronymus prodidit.*) At vero apud eundem Hieronymum in Chronico ad a. XX. imperii Conſtantini haec leguntur: „Arnobius rhetor clarus in Africa habetur. Qui cum in ciuitate Siccae ad declamandum iuuenes erudiret et adhuc ethnicus ad credulitatem ſomniis compelleretur, neque ab Epiſcopo obtineret fidem, quam ſemper oppugnauerat, elucubrauit aduerſus priſtinam religionem luculentiſſimos libros, et tandem velut quibusdam obſidibus pietatis, foedus impetrauit." Hic multa ſimul animum ſubeunt, quae, ne temere poſteriori narrationi aſſentiaris, prohibeant. Ac primum quidem, vbi huic fidem adhibueris, cogitur, Arnobii opus ab eo ſcriptum eſſe, antequam baptismate tinctus eſſet, immo antequam inter Catechumenos eſſet receptus; id quod cum operis vniuerſi rationi parum conſentaneum videtur, tum per ſingula loca ſtare nequit. Vt enim ab illo exordiar, primo intuitu vnicuiquam §. 1. Vita.

*) De Vir. Illuſtr. c. 79.

quam ſeſe offert, non deſultorium opus eſſe, ſed non vulgari cura ac induſtria elaboratum, nec ad quod vrgente aliqua neceſſitate compellebatur, ſed quod ſponte et pro lubitu aggrederetur, vt obiectionibus et calumniis, quae falſo in Chriſtianos ſpargerentur, pro viribus occurreret. Deinde vbique ſimpliciter ſe Chriſtianorum gregi accenſet et eorum, quae ſecreta agebantur, cognitionem vix ab aliquo tantum non in intimam familiaritatem admiſſo, nedum ab homine nondum catechumeno expectare poſſis. Reſtat alterum, quod, ſi poſt vigeſimum demum Conſtantini imperii annum ad librum illum exarandum compulſus fuerit, neceſſe ſit, pacatis iam atque florentibus Chriſtianis rebus eum ſcripſiſſe. Sed huic totius operis tenor atque tot malorum, quibus Chriſtiani premerentur, et ipſorum adeo perſecutorum memoria obſtat. Quae cum ita ſint, vide, num Lardnerum ſequi malis, qui, quantae quantae eſt diligentiae, tamen non dubitat, ſpurium et ab aliena manu inculcatum alterum illum Hieronymi locum pronunciare. Attamen ne ſic quidem accurate ſatis, quo tempore Siccae docuerit, quando ad fidem conuerſus fuerit et libros illos compoſuerit, intelligitur, nec leve eſt hac de re inter doctos diſſidium. Sed ſequamur tamen, qualemcunque ſpeciem habeant, huius rei indagandae veſtigia. Primum iterum Hieronymus oſtendit, Lactantium Arnobii diſcipulum appellans, quo effici putant, non ante annum 302. ſ. 303. eſſe factum; quoniam Diocletianus, qui illum ex Africa Nicomediam euocaret, vix eo tempore, quo ſaeua eius in Chriſtianos exarſerat perſecutio, euocaturus fuiſſet. Sed enim hic duo ſimul quaſi explorata ſtatuuntur, de quibus ante diſpiciendum erit, ſcilicet num Lactantius iam, antequam Nicomediam accederet, Chriſtianus fuerit, et ſi fuit, num palam? Fortius alte-

rum

rum argumentum pro librorum aetate duci videtur ex ipſius Arnobii verbis, quibus annos, ex quo Chriſtiana religio eſſe coeperit et ab V. C. elapſos, notauit. Quae ſi inuicem componantur, ipſe a. 297. ſ. 298. efficitur. Hanc ergo rationem olim Pagius amplexus erat. Sed quoniam animaduertere ſibi viſus eſſet quaedam Diocletiani perſecutionem, quae a. 302. demum coepit, reſpicientia; in commentum admodum ingenioſum incidit, quaſi Arnobius calculum annorum ab V. C. non ad Varronianam aeram ſubduxerit, ſed aliam, quae tredecim annis poſt exordium Vrbis poneret, ſecutus ſit, vnde hi eius libri a. 310. tribuendi eſſent. Sed prudenter Lardnerus monuit, nihil vetare, quo minus paulo laxiorem computationem, rotundum quem dicunt pro exactiori numerum, nempe 1050. pro 1056. ſ. 57. Arnobio placuiſſe ſtatuamus. Niſi forte haec omnia aliud argumentum plane euertat, quod ex Lactantii, dum apologiſtas recitat, de Arnobio ſilentio petas. Qui cum Inſtitutiones ſuas non ante a. 1721. certe 1719. edidiſſe vulgo credatur, magiſtri ſui et ſine dubio cari opus, ſi modo iam dum extaret, non poterat non commemorare? Enimuero et huic occurritur, ſi, quod probabile eſt, maiorem Inſtitutionum partem diu ante quam ea forma, vt iam habentur, publicaret, adeoque ſub Diocletiani perſecutione fortaſſe ſcripſerit. Quo tempore omnino fieri poterat, vt de iis, quae in Africa Arnobius moliretur, ipſi in Nicomedia nihil innoteſceret. Quibus ita compoſitis, Lardnerus in eam conceſſit ſententiam vt Rhetoricam eum circa a. 290. ſ. ante etiam, apologeticum vero ſcripſiſſe ſerius, fortaſſe circa annum 306. cenſeat.

Aduerſus Gentes ſ. vt in Codice Regio eſt, *Nationes libri ſeptem*, quibus olim tanquam octauus perpe- §. 2. Scripta.

perperam Minucii Felicis Octauius adhaeſit, quique multis in fine mutili eſſe viſi ſunt.

§. 3. Editiones. Quamquam multo ſerius quam pleraque Patrum Latinorum ſcripta Arnobius ac cultu quidem admodum foedo lucem adſpexerit, ſeu quod Codex ille, vnde *Fauſtus Sabaeus* opem ferentibus *Hieronymo Ferrario* et *Franciſco Priſcianenſi* primum a. 1542. f. 43. verius produxit, ita omnino corruptus eſſet, vt illi affirmare non erubuerint tot mendis illum ſcatuiſſe, quot literae ineſſent, ſeu quod non ſatis exercitati illi in legendis vetuſtis characteribus eſſent, vt Gelenius non iniuria conqueſtus videri debet; nequaquam tamen defuere praeclara ac ſolertia ingenia imprimis adulto iam critices ſtudio, quae ad eum emaculandum et perpoliendum ſeſe darent. Ac *Gelenius* non tam emaculauit textum Romanae principis vitioſum, quam monſtrauit, quam multa emaculanda eſſent, nec tamen eam gratiam apud doctos iniit, quam acumine ſuo haud dubie meriturus erat, niſi nimia in conuertendo textu licentia moderationis leges transgreſſus eſſet. Atque recte ille ſane animaduerterat, innumeros a primis editoribus in legendo codice errores commiſſos eſſe, ſcite quoque in codice ipſo peccata cum in ſingulis vocibus tum in locis amplioribus aliena pagina inculcatis detexit. Neque vero contemnenda erant, quae penes ipſum erant remedia, vſus codicum legendorum et quae ſimul cum eo ſuccreuerat diuinandi, vbi veritas latere videretur, facilitas, quae iunctim diuturna in officina Frobeniana exercitatione ad artis quaſi quandam formam compoſita in eo eſſe debebant. Quae ſi non primo ſtatim impetu textui ipſi admonuiſſet, ſed aliis propoſuiſſet diiudicanda; nae ingentibus laudibus merita ſua vidiſſet mactata, quibus iamiam nimium frequentis audaciae

eius

eius obiurgatione detractum eſt. Illud pro certo affirmare poſſum, Fuluium Vrſinum, cui prae reliquis inuidioſum Gelenii nomen fuit *), non modo, qua ratione ille peccauerit, non indicaſſe, ſed multa etiam et quae forte non omnia probares ab illo inuecta absque nominis eius, pro more ſuo, praefatione recepiſſe. Maiori iure Meurſium in illo accuratiorem veteris Latii linguae ſcientiam, quae in Arnobio ingens ſubſidium praebet, deſiderare memini. Gelenio ſucceſſit *Theodorus Canterus*, magni nominis inter criticos vir et magnae pariter modeſtiae, qui et liberiores Gelenii impetus repreſſit, et ſuas ipſius lectiones rationibus iuſtis communiuit, imprimis Clementem Alexandrinum tempeſtiue Arnobio illuſtrando aduocauit. Interea nouus cultus in Italia noſtro paratur, a *Sighicello* primum, cuius opera morte intercepta eſt, et a *Petro Chiacono*, Hiſpano, cuius, cum ipſe quoque interim diem obiiſſet, lucubrationes ad *Fuluium Vrſinum*, vt abſolutam fere, ſed nondum perpolitam, libri emendationem perficeret, peruenerunt. Sed quid ille egerit, accipe. Nequaquam textum veluti a Chiacono conſtitutus eſſet, vel ex viri illius iudicio conſtituendus, i. e. vel nouam eius recenſionem vel textum Romanae principis cum emendationibus eius

 margini

*) Gelenii verba de Romana editione principe infra exhibentur. Nihil in iis immoderate vel petulanter dictum. Qui ergo Vrſinus ſales et conuicia in Romanos iacta et vt ad plures inuidia pertineret, non a Gelenio, ſed vniuerſim a Germanis (nam Germani, inquit, interim Arnobium ſuum ediderunt) iacta comminiſci poterat? Profecto hoc hominum genere nihil in rerum natura peruerſius, nihil magis noxium fingi poteſt, quos vbi ſemel inuidiae virus in praecordiis contractum gerunt, grauiſſima quaeque in alios effundere non pudet, dum ad leuiſſimam reprehenſionis auram rabiem in viſceribus ſuis concipiunt.

margini adſcriptis repraeſentauit, ſed ipſe denuo, multorum, vt iactat, doctorum virorum in Italia in auctorem noſtrum ſparſim editis emendationibus collectis, Arnobium recenſere aggreſſus ita quidem, vt in textum, quae ſibi veriſſima viderentur, adde, quod tacet, ſed aſteriſco notauit interdum, ex Gelenianis etiam, reciperet, reliqua eaque ſine dubio potiora, et quorum plurimam partem a Chiacono profectam eſſe auguramur, in margine nullius prorſus auctoris nomine addito allineret. Qua tam putida ratione quamvis ille immortaliter de Arnobio meritus ſibi viſus ſit (et potuiſſet ſane pro ingenio et doctrina, quae in eo erant non tenuia, bene mereri, ſi plus diligentiae ipſe impendiſſet), vix amplius quidquam effectum eſſe credimus, quam vt futurae editioni copioſa farrago pararetur. Ab hoc vero tempore ſimul plurimi Viri Docti in Germania, Belgio et Gallia Arnobii ſtudio impenſius incubuerunt; quorum laborum fructus tamen non omnes aetas vidit. Euanuit egregia ſpes de Theodori Canteri amplioribus commentariis; intercepta eſt editio Franciſci Pithoei, Petri illius fratris; interierunt, quae Ioſephus Scaliger et P. Scriuerius in Arnobium commentati erant. *) Contra vero intra breue tempus, nimirum in ipſo ſaeculi XVI. decurſu a. 1598. *Io. Meurſii*, admodum tunc iuuenis, *Criticus Arnobianus*, proximis dehinc ſaec. XVII. annis *Elmenhorſtii* editio cum nimis vbere commentario et *Stewe-*

*) De *Scriverii* opera haec praedicat *Dan. Heinſius* praefat. ad Notas in Clement. Alex. P. Scriuerio a. 1616. dicatas: „Mihi ſatis eſt, ſi tua cauſa haec potiſſimum ſcripſiſſe me ſcias, quem iam annos plurimos in maximo et eruditiſſimo ſcriptore *Arnobio* verſari, omnes fere ſciunt et cogitatione tacita illud ὑπερήμερον flagitant. Videbis ergo, ſi quid tibi vſui futurum ſit in iſtis. Nam *Arnobium*, vt noſti, quantus eſt formavit Clemens.“

Stewechii Electa cum ipſa Arnobii recenſione in lucem, contentione quaſi quadam ingeniorum excluſa ſunt. Quae ſingula vt multarum rerum copia e remota lectione inſtructa ſunt, ita nec ad Arnobium ornandum inopes. Imprimis Stewechii Electa multa egregia ſuppeditarunt. Tandem *Deſiderius Heraldus* I. C. aetatis ſuae celeberrimus, de cuius exquiſita doctrina et ingenio critico non eſt, quod quemquam moneamus, cum hocce Patrum Latinorum ſtudium prae reliquis in deliciis haberet, anno huius ſaeculi Vto Arnobium cum principis Romanae lectionibus et Canteri criſi tum ſuo ingenio nixus, quod diu exſpectaretur, in Arnobio praeſtitiſſe viſus eſt. In quo ſi nihil facile deſideres, optes certe, vt viro huic acutiſſimo placuiſſet, coniecturis ſeu emendationibus potius, quas Romana altera ad marginem frequentes exhibet, aliquantulum ſtudii tribuiſſet. Id quod multis annis poſt, fortaſſe non ſine obtrectationis ſtudio, *Salmaſius* ille laudis Heraldinae detrectator feliciter egit et debitum Chiaconii ingenio, vt veriſimillimum eſt, honorem vindicando, ipſe laudem Arnobiani Vindicis recenſione a. 1651. iuris publici facta meruit. — Ac hactenus quidem Arnobius profecit. Nam quae deinceps factae ſunt editiones, Lugduno Batauae textum ſecutae ſunt; Oberthurius autem, dum relicta nouiſſima, aliam ad priores editiones recenſionem componeret, neque conſilio, quod in edendis PP. Lat. ſcriptis ſequitur, neque ſtudiis, quae cum ingenti plauſu excolit, ad beneficium huic, quod ſufficit, praeſtandum poſtulabatur. At multa ſane virorum doctorum circa Arnobium ſtudia intra conatus ſubſtiterunt, quibus primo loco accenſeri debet commentarius, quem magna mole animo conceptum gerebat et paene parturiens obiit idem ille Salmaſius; in quo tamen ne magnam nimis iacturam feciſſe nobis videamur,

 mur,

mur, ſpecimen illud vetat, quod Io. Alb. Fabricius a. 1718. euulgauit. *) Pariter *Io. Iſ. Pontanus* notas in Arnobium perſcripſerat et Boxhornio, vt Salmaſio exhiberet, transmiſerat, **) quae lucem nunquam aſpexerunt. Neque melius proceſſerunt *Geiſſii* Viri Docti Francofurtenſis ***) et *Wakeri* †) conamina et *Ioſ. Waſſius* ſpem, quam *Io. Alb. Fabricius* ††) de eo excitauerat, fefellit. Denique et illa vana fuit promiſſio, quam non ſine aliqua animorum ſuſpenſione A. 1728. fecit *Magnus Cruſius* Slesuicenſis (poſtea profeſſor Gottingenſis, poſtremo Superintendens Gen. Haarburgicus). †††) Textum

*) *Diſquiſitio de nominibus antiquorum Romanorum*, quam commentario praemiſſurum fuiſſe notauit Sarrauius Epp. p. 42. et Fabricius ex Bibl. Gudiana nactus ad Tomi II. Operum S. *Hippolyti* Hamb. f. ſubiecit.

**) Ipſe de his *Boxhornius* in Ep. ad *Pontanum* Lugd. Bat. 28. Octob. 1633. ſcripta p. 37. ed. Lipſ. 1679. *Arnobius* (Salmaſii) iam ipſe typis deſcriptus eſt. Notae *Salmaſii* tantum reſtant, et animaduerſiones, quas morbo praepeditus afficere non poteſt. Quamprimum conualuiſſe percepero, adibo, ... et *tuas in Arnobium animaduerſiones*, quae haud dubie placebunt, exhibebo."

***) *Memoires de Trevoux*, a. 1722. Novembre p. 2023.

†) *Mem. de Trevoux*, a. 1724. p. 945.

††) *Fabric.* Bibl. M. et I. L. T. I. ed. Manſi p. 138.

†††) In *Diſſertatione Epiſtolica de Scriptis quibusdam integris fragmentisque hactenus ineditis, quae in itinere Gallico, Anglico atque Germanico reperire contigit, et nunc in lucem publicam edenda parat, virosque eruditos inſimul ad conferendas ſymbolas humaniſſime inuitat.* Conf. *Acta Eruditor.* A. 1729. p. 60. et Nov. della Rep. della Lettere A. 1731. p. 408. Eadem occaſione vſus, ſi quis prae manibus haberet P. *Scriuerii* Anti-Criticum Arnobianum aduerſus Meurſium, nec non Io. Iſ. Pontani animaduerſiones in Arnobium, atque huius autoris

Textum daturus erat ex Cod. Bibl. Reg. Pariſ. quem ipſe, dum apud legatum regis Daniae in aula Pariſina ſacris adminiſtrandis praeeſſet, diligentiſſime excuſſerat, et duabus Rom. editionibus emendatiſſimum. Deinde addere conſtituerat notas nondum editas Virorum plurimorum illuſtrium *Claudii de Meſmes, Ant. Carpentarii, Io. Paſſeratii, Petri Iunii, Guyeti, Dalechampii, Puteani, Huetii, Buchneri* etc.; praemiſſurus erat *Syſtema Arnobianum*; item *Diſſertationes* Arnobianas *Nic. le Nourry* Bened. et *Io. Caſp. Loeſcheri* libellum de PP. Africanorum meritis ſingularibus, cum ſuis Notis. Neque omiſſurus erat quae iamdudum prodierant annotationes. Nouiſſime (a. 1753.) amplexus erat hoc conſilium edendi Arnobium *Samuel Lutherus Geret* apud Vitembergenſes tunc temporis degens. Vide eius commentationem de Vita Aldi Manutii, Vitemb. h. a. edit. in 4.

Fuerunt etiam Viri Docti, qui inter alias exercitationes ad Arnobium quaſi fortuito delati annotationum ſymbolas praeberent: in quorum numero eſt ipſe *Deſ. Heraldus*, qui ſecundas quaſi curas Arnobio ſuo impendit in animaduerſionibus in Salmaſii Ius Atticum lib. VII. cap. 24. Pariſ. fol. 1650. p. 600 ſq. quae eo maioris aeſtimandae ſunt, quo minus ille, quod ibidem pollicetur, ad nouam et integram earum recognitionem morte praepeditus accedere potuit. Atque hae nondum ſunt in vſum vocatae. Similem operam Arnobio nauauit *Adrianus Behotius* in Apophoretis, Lutetiae 1602. 8. imprimis a libri III. cap. III. p. 133 ſqq. Nouiſſime denique *Henricus Cannegieterus* in Epiſtola Critica ad *Io. Dan. van Hoven* varia Arnobii loca tentauit, inſerta eiusdem

van

autoris Editiones manu *Salmaſii* et *Francii* notatas, obnixe rogabat, vt ea de re *Gleditſchium* Typographum Lipſ. commonefacere vellet.

van Hoven Otiis literariis ad Iſalam Campis, 1761. 4. a p. 70-76. Paucae ſunt emendationes, quas nimium extulit, qui nuperrime excuſſit Cl. Oberthür. Poſt tot tantaque a Viris Doctis in Arnobium cumulata ornamenta, multa tamen etiamnum praeſtanda ſupereſſe, quisque, qui ad eum legendum ſe contulerit, intelliget. Atque hoc non magis in ſingulis vocibus et locis perſanandis, in quibus magnam adhuc mendarum vim Arnobium obſidere Graeuius*) queſtus eſt, ſed expectamus imprimis V. D. qui poſt Nurrium denuo et animo huc intentiſſimo de totius operis deſcriptione et partibus, item anne loca traiecta et male poſita ſuperſint, disquirat, id quod vel peculiari ſcriptione commodius fieri poſſit. Atque huic viro, ſi modo talem expectare licebit, addita eſto, coniectura manu Françogalli cuiusdam anonymi Heraldianae editionis exemplo, quod Bibl. Regio-Acad. Gott. ſeruat adſcripta: qua „finem libri VII., qui multis deeſſe viſus eſt, non eſſe, ſed tantum male traiectum" contenditur et locus ſatis amplus a verbis: „*Age* nunc ſummatim — vſque ad: *alimenta ſunt ignium et parentalibus coniunctiſſima mortuorum*" **) ad calcem reuocatur, in quo Arnobius deſiiſſe putandus ſit.

Sed iam de ſingulis editionibus videamus.

Saec. XVI.

1543.

Romae. apud *Franc. Priſcianen. Florentinum*. f. Arnobii Diſputationum aduerſus gentes libri octo. *Nunc*

*) Epiſt. ad Nic. Heinſium. T. IV. Sylloges Burmann. p. 331.

**) Edit. Herald. 1605. p. 302-304. Lugd. Bat. 1652. p. 240-242. ed. Oberthür. a p. 35 — ad finem 37. a p. 253-255.

Nunc primum in lucem editi. — In fine: *Romae* in aedibus Franciſci Priſcianenſis M. D. XLII.

Princeps haec Arnobii editio debetur *Fauſto Sabaeo Brixiano*, Bibl. Vaticanae tunc temporis cuſtode, homine erudito et inſigni imprimis verſificatore, qui Franciſco I. Gallorum Regi eam inſcripſit epiſtola data *Romae e Bibl. Palatina calend. Septembris* M. D. XLIII. Ex hac nonnulla delibare in lectorum commodum iuuat. Intelleximus enim, a multis quidem de hac editione verba eſſe facta, ipſam autem pauciſſimis tantum viſam, quod variis paſſim erroribus anſam dedit. Praecipuum, quod cuiquam animaduerſione dignum videri poſſit, profecto hoc eſt, quod *Iure belli ſuum eſſe Arnobium* dicit, *quem* ſcilicet *e media barbarie non ſine diſpendio* et diſcrimine *eripuerit*. Quae ſi attentius aliquando perpendas et ea ſimul memoria reputes, quae de vita rebusque noſtri tradita legimus, id innuere velle videtur, ſe Arnobii aliquem eumque vnicum, vt poſtea apparuit, Codicem in terris remotis, forte in Germanicis vel Belgicis oris deprehendiſſe ac in Vaticanam Bibl. intuliſſe. Nam quod primam huius coniecturae partem attinet, ſaepius in verſiculis ſuis *populos truces et feros, mediamque barbariem* crepat, vnde ſummo cum diſcrimine et labore et ſuis adeo ſumtibus codices antiquos protulerit, quorum exquirendorum cauſa a Leone Papa et eius deinceps ſucceſſoribus miſſus eſſet. Eundem autem in Vaticanam ab eo fuiſſe repoſitum, tum officii, quod ipſi incumbebat, rationes ſuadent, tum vero expreſſis Fuluii Vrſini, ipſius quoque Arnobii editoris, verbis, epiſtola ante Romanam alteram ad Gregorium XIII. dedicatione inſperſis, confirmatur, quibus Arnobium primum e Vaticana Bibl. in lucem prodiiſſe teſtatur. Iam fuit aliquando Lu-

douici

douici Carrionis haec opinio,*) omnium deinceps doctorum hominum aſſenſu comprobata, Codicem Arnobii, qui in Bibl. Regia Pariſienſi extat, eum ipſum eſſe, ex quo Sabaeum eum luci daret, *quod, quae ſit in Romana prima librorum illorum publicatione paginarum aliquot in alienum locum transpoſitio, eamdem hoc in libro eſſe conſtet.* Vnde ſuſpicatur, codicem hunc vna cum textu typis per Priſcianenſem exſcripto Franciſco oblatum fuiſſe. Quodſi recte ille conieciſſe putandus eſt, vt probabile ſit quoque hoc, quod alterius Romanae curator Fulv. Vrſinus codicis, quo vteretur, mentionem nullam facit; iuſſu Pontificis Pauli III. hoc factum eſſe oportet. Certe Codex Regius ex omni inde tempore pro vnico habitus, et tanquam tutiſſima critices Arnobianae regula, dignus iudicatus eſt, qui iterum atque iterum a Viris Doctis excuteretur. Sed ad Sabaeum redeamus. Is igitur ita epiſtolam nuncupatoriam exorditur: „Iam dudum „bonarum artium ſtudioſi, qui me non vulgari amo„re proſequuntur, quotidianis expoſtulationibus et pe„ne conuitio infeſtarunt, quod quum ſtudio litera„rum et credulitati noſtrae diuinae ſuffragari poſſem „et deberem, in dies moras moris connecterem. „In cauſſa erat, quod Arnobium priſtinae religio„nis — euerſorem ſupprimerem et mihi vindica„rem: Contra ego inferebam ipſum variis et multi„plicibus mendis atque erroribus refertiſſimum, et „multum mutatum ab illo, qui fuerat quondam „ora doctorum hominum ſubterfugere et rubore ſuf„fundi. Tum illi — omnem operam et ſtudium „in

*) In Emendatt. libro I. cap. IX. fol. 18. ed. Pariſ. 1583. 4. Quae in *Scaligeranis* (ed. a Cologne 1695. 8. p. 33.) ſuper hoc Arnobii codice leguntur, ea optimus auctor nec curioſe ſatis commentatus eſſe, nec qui deſcriberet, recte legiſſe videtur.

„in vnum conuenientes adhibuere; vt — integer et abs-
„terſus — in publicum prodiret: et quia eius curatio
„in longum protrahebatur (difficile enim erat multos
„diuerſis negociis praepeditos ad horam praeſcriptam
„inuenire et conuenire), *Hieronymus Ferrarius* et
„*Franciſcus Priſcianenſis*, viri doctiſſimi, et ingenii
„et iudicii perſpicaciſſimi, *emendandi et imprimendi*
„Arnobium prouinciam ſuſceperunt; et ita feliciter
„ſunt aſſecuti, vt illum a variis et enormibus vitiis
„atque erroribus vindicarint: tum elegantibus et pul-
„cherrimis typis impreſſum in ſtadium produxerint;
„me vero a calumniis et moleſtiis abſoluerint.“
Haec ille. Ex quibus facile vnusquisque componere
poteſt, quae diuerſa et ſibi repugnantia paſſim a di-
verſis ſcripta de hac editione inueniet, quibusque re-
fellendis operam nauare nec vacat nec lubet. Hoc
addamus, editionem hanc typorum et chartae elegan-
tia eſſe ſplendidiſſimam. Vnde omnino miramur
cum purpurato Brixiae literatae auctore, *) hominem,
cui nil frequentius in ore, quam langueo et eſu-
rio, **) ſumtus ad amplam eam nitidamque editio-
nem ſuppeditare potuiſſe. Hoc enim diſerte affirma-
tur in priuilegio a Paulo III. ipſi conceſſo et aliquot
a limine paginis impreſſo, in quo typothetae errore
accidit, vt anni nota falſo MDLXII. loco XLII. *(Pon-
tificatus Pauli anno octauo)* exſcriberetur. Huius
editionis exemplaria tria, vnum cum emendationibus
et variis lectionibus manu *Iac. Dalechampii* exaratis,
alterum cum notis et emendationibus a *Nic. Rigaltio*
exſcriptis, tertium cum gloſſario *Franciſci Pithoei*
et indice rerum et verborum, nec non reſtitutionibus
et

*) T. II. p. 192.

**) Vide quotquot ille ex epigrammatibus protulit
exempla.

et coniecturis marginalibus. *Io. Paſſeratii* MSS. extant in Biblioth. Regia Pariſienſi. vid. Cat. T. I. p. 367.

1546.

Baſileae. apud *Frobenium.* 8. Arnobii Diſp. aduerſus Gentes libri VIII. nunc demum ſic accurati, vt ab eruditis ſine vllà offenſatione et cum maiore lectionis operae pretio cognoſci poſſint. Acceſſit index eorum, quae notatu digna ſunt. *Sigismundus Gelenius* in epiſtola nuncupatoria ad Gilbertum Cognatum canonicum Nazoretenſem, poſtquam comparationem inter Lactantium et Arnobium inſtituerat: „Sed hanc cenſuram, pergit, criticis relinquimus, nobis nihil ſumpſimus niſi caſtigationis laborem. nam Romani vt candoris in communicando, in tranſcribendo fidei laudem promerentur: ita negari non poteſt, nullum eos adhibuiſſe in legendis priſcis characteribus exercitatum: quo ſaepiſſime factum eſt, vt non tam ſinceram lectionem, quam eius veſtigia prodiderint, per quae vix pedetentim ad veritatem euadere potuimus. Fateberis nos non vana iactare, ſi in vno quouis ternione periculum facere libuerit; noſtra haec aeditio planior ſit an illa altera. Eſt enim ingens diſcrimen et quantum non facile credas, niſi illa perguſtata." — Praeter indicem in titulo laudatum acceſſit etiam indiculus auctorum ab Arnobio laudatorum.

1560.

Baſileae, apud *Hieron. Froben.* 8. D. Arnobii Afri, commentarii in omnes pſalmos, ex emendatione *Deſiderii Eraſmi,* accedunt eiusdem *Arnobii* libri VIII. diſputationum aduerſus gentes, ex recenſione *Sigismundi Gelenii.* Cat. de la Bibl. Roy. T. I. p. 367.

1580.

Pariſiis, apud Mich. Iulianum. f. Arnobii — libri octo a Sigismundo Gelenio primum, dein a *R. Laurentio* caſtigatiores emiſſi. cum Tertulliano *R. Laur. de la Barre.* Praecipua huius editionis dos ſunt argumenta vnicuique libro praefixa, marginalia deinde, et index rerum memorabilium. Qua ratione textum reformauerit, cum ipſe plane ſileat, niſi ſedulo comparaueris cum Geleniana, vix dicas. Scholia autem textui ſubiecta non magni ſunt pretii.

1582.

Antverpiae, ex officina Chriſt. Plantini. Arnobii D. aduerſus gentes libri ſeptem, recogniti et aucti. Ex bibliotheca *Theodori Canteri* Vltraiectini, cuius etiam Notae adiectae ſunt. —

Quum aeque ac Gelenius codicibus MSS. deſtitutus, ſolo ingenio nitendum ſibi intelligeret Canterus, partim fide Romani codicis (editionis primae), quem ad inſtar MS. ſibi fuiſſe et praeclara veteris ſcripturae veſtigia continuiſſe contendit, partim etiam Clementis Alexandrini, a quo multa noſtrum ad verba deſumſiſſe oſtenditur, auxilio fultus, quicquid praeſtitum eſt, hac editione effecit. „Nullas autem, inquit, coniecturas, quamuis veras et certas textui inſeruimus, ſed quicquid a nobis mutatum et additum fuit, auctoritate et fide Romani Codicis factum eſt. Verum vbi melius, quod ſubſtitueremus, non habebamus, ſecuti ſumus lectionem Gelenii (qui nimium quantum ſibi in hoc auctore emendando indulſit homo alioquin doctiſſimus et de re literaria optime meritus) quamuis interdum falſam et a veri veſtigiis procul remotam. Et quam plurimis in locis (quod praefiſcine dixerim), ſubdola illius et adulterina lectione reiecta, veram ac genuinam ſcripturam repoſuimus.“ Vtinam vero

euentum habuiſſet, quod de futuro ſuo in hunc au-ctorem ſtudio pollicitus erat,*) ſe ampliſſimum in Arnobium commentarium adornaturum. Nemini profecto Salmaſiani deſiderium fuiſſet excitatum. Nam quas in praeſenti addidit notas, eae non niſi emendationum rationem reddunt aut Clementis Alexandrini locis comparandis inſeruiunt. Haud raro autem ad Ioſ. Scaligeri, Turnebi, Lipſii et Mureti coniecturas Canterus prouocat. Inſcripſit ille Arnobium Valenti Guellio Pimpontio, in Curia Pariſienſi Senatori, epiſtola data Vltraiecti Idib. Nouemb. 1581. Poſtremo nec praetereundum erit, quod in Capita ſeu Sectiones certas textum editor partitus ſit, a quo praeclaro ſane inſtituto neſcio, qui factum ſit, vt inſecuti editores rurſus defecerint.

1583.

Romae. ex typographia Dominici Baſae. 4. Arnobii Diſputationum aduerſus Gentes libri ſeptem. M. Minucii Felicis Octauius. Romana editio poſterior et emendatior.

Difficile eſt, de Vrſini opera verba facere et verbis ipſius non vti. Itaque nimii videri malumus, quam chartae parſimonia committere, vt ſcitu dignum aliquid omittatur. Accipe ergo: „Quadrageſimus agitur annus, inquit, ex quo pius hic ſcriptor e bibliotheca S. P. Vaticana in lucem primum prodiit *non eo quo diu latuerat ſitu, et ſqualore deformis, ſed ab innu-*

*) In praefatione ad lectorem ante notas et iterum in notis ad lib. ſextum. Quanta vero huius illa etiam aetate inter doctos expectatio fuerit, vel Meurſii verba declarent, qui Criticum Arnobianum lectoribus tradens, *hui! inquies forte*, inquit, *ante Canterum? ante. et quidem eo lubente, immo vero iubente: ne in meſſem me eius falcem iniectum iuiſſe maligne dictites.*.

innumeris paene ſordibus, quibus ſqualebat, doctorum virorum induſtria perpurgatus. Qui cum ingenio et eruditione, quantum illis temporibus potuerunt, infinitas prope maculas ex eo ſcriptore ſuſtuliſſent, *) totum plane corpus ſuo nitori reſtituere nequiuerunt. Itaque Romae edito iam libro, et in manus hominum peruulgato, aggreſſi ſunt, non Itali tantum, qui tunc permulti et iudicii et ingenii acumine florebant; ſed Tranſalpini etiam homines Arnobium adhibita diligentiore cura perpolire. Atque ex Italis quidem, vt reliquis nominandis ſuperſedeamus, vnus maxime, idemque poſt vulgatum exemplar primus, Ioannes Baptiſta Sighicellus Bononienſis, qui poſtea epiſcopus Fauentinus a Pio IV. P. M. factus eſt, multa ſane, quae non vulgarem eruditionem, nec mediocre ingenium, deſiderabant, in hoc ſcriptore correxit, reſtituit, ac prope deſperata ſanauit. Sed dum Cinnae Smyrnam imitatus, nunquam, vt aiunt, manum de tabula, nihilque minus quam de peruulgandis emendationibus cogitaret, ſuum interim Germani ediderunt Arnobium. In quo ſi pro omnibus ſuis in Romanos ſalibus et conuiciis, eadem ipſi fide in tranſcribendo exemplari, eademque in emendando religione, qua Romani vſi ſunt, verſati eſſent, maiorem ſine dubio gratiam a ſtudioſis omnibus iniiſſent. Nunc autem, dum quodlibet, quod ipſi corruptum opinantur, pro libitu ſuo et arbitrio addendo, tollendo, mutando, vt aliquem ſenſum eliciant, corrigere ſibi fas eſſe putant, tam multa in Arnobio immutarunt, vt infinitis locis ne veſtigium quidem antiquae lectionis ſit relictum. — Hoc incommodum Petrus Chiaconus, Hiſpanus, homo magni ingenii doctrinaeque iudicio excul-

*) Nempe ex fide Sabaei haec ſcribit: Codicem ipſum neutiquam inſpexit. Taedet tam inepti moris rhetorici, quem omnes huius aeui auctores Itali affectant.

excultae, cum animaduertiſſet in Arnobio, coepiſſetque auctore ſummo viro Antonio Carafa Cardinale, ſacrorum veterum ſcriptorum omni ratione perpoliendorum percupido, *accuratius vndique edita A. exemplaria* conferre eaque docte pariter et ingenioſe corrigere, inſtitutum opus eo deduxerat, vt multis et quidem praeclaris correctionibus induſtria ſua illuſtratum breui editurus fuiſſet Arnobium. Sed abſoluta fere iam, nondum autem perpolita libri emendatione, importuna morte ereptus, eidem, a quo totus pendebat, clariſſimo viro, correctiones huiusmodi, ſi ei videretur, publicandas teſtamento reliquit." Hic itaque perpoliendi atque peruulgandi prouinciam Vrſino credidit, qui eorum, quos modo ex eo nominauimus, aliorumque doctorum hominum emendationibus, quae in Arnobium variis locis diſperſae circumferebantur, in vnum collectis, diligenterque examinatis, eas tantum ex his in textum recepiſſe, ſe affirmat, quae et multorum iudicio probatae et ſine vlla controuerſia verae viſae eſſent. Quae autem non ita certae videbantur, vt tuto admitti poſſent, eas ſuis diſtinctas numeris, in oris paginarum notandas curauit, notis ſimul, ſi quae erant ad coniecturas confirmandas adſcriptae, additis. His omnibus de ſuo etiam nonnulla, obiter inter legendum animaduerſa adiecit. Denique ex Vrſino diſcimus, eodem paene tempore, quo in Germania octauus Arnobii liber ſuo auctori reſtitutus erat, eandem fraudem ſenſiſſe Sirletum Cardin.; eiusque adeo perſuaſione factum eſt, vt primum in Italia hac editione Minucii Octauius ederetur.

1586.

Antverpiae. [ex off. Chriſt. Plant.?] 8. Arnobii — libri ſeptem cum *Godeſcalci Stewechij* Electis.

ctis. — Hanc primam Stewechii editionem ipſe non vidi, neque memoratam in Catalogo aliquo inveni, ſed ſponſore Fabricio*) cito, cui praefationes Stewechii, editioni a. 1604. inſertae, quodammodo fidem facere videntur. Nam duplex ibi comparet epiſtola nuncupatoria, et ad lectorem admonitio. Ac illis quidem, quae Electis praemiſſae ſunt, annus ſubſcriptus eſt 1586.; epiſtola autem dedicatoria, textui praefixa, data eſt 1587., praefatio ad lectorem anni nota caret, ſed dicit ibi, „parum abfuiſſe, quin Electa ex ingeniolo ſuo tantummodo nata, iuuando Arnobio, *ante biennium* ſeorſum publicaſſet, verum Franciſcum Modium diſſuaſiſſe, eiusque adeo opera effectum eſſe, vt textum quoque corrigere et reſtituere ſibi licuerit." Quae quorſum referenda ſint, non ſatis capio. Contra plerique, quibus de editionibus Arnobii ſermo fuit, inter quos diligentiſſimus *Nurrius,***) de ea prorſus ſilent, et repugnare videtur, quae editioni Antverpienſi a. 1604. praefixa eſt approbatio, qua non denuo typis tradi, ſed iam demum mandari Arnobius dicitur.***) Quocirca quamquam definire nihil iam auſim, fateor tamen, me in eam ſententiam magis procliuem, vt ante annum 1604. Stewechii Arnobium non impreſſum eſſe dicam.

*) In Delectu argg. et Syllabo SS. pro veritate Rel. Chriſt. p. 226. hinc vero *Lipenius* Bibl. Theol. I. 734. et *M. Bibl. Eccleſ. Colon.* p. 623. laudant.

**) Appar. ad Bibl. PP. l. infra l.

***) Quo magis viros doctos excitem, vt de prima, quae dicitur Stewechii, curioſius diſpiciant, addita hic eſto: *Haec Arnobii reſtitutio, auctore Godeſc. Stewechio, multum vtilitatis ſtudioſo lectori adferre poteſt. Dignam igitur,* quae typis mandetur, *indico.* Antverpiae, 24 Ianuarij, 1604. EGBERTVS SPITHOLDVS *Canonicus et Plebanus Antverpienſis.*

eam. Cui etiam *Auberti Miraei* auctoritas accedit, qui pro explorato ſcribit,*) Arnobii libros VII. cum notis Theodori Canteri Plantinum et cum notis Godeſc. Stewechii Trognaeſium 1604. Antwerpiae excudiſſe.

1597.

Geneuae editionem Heraldi laudat *Magna Bibl. Eccleſiaſtica Colonienſis*, ſed fidem haud praeſiare auſim.

1598.

Lugd. Bat. ex off. Io. Balduini. Io. Meurſii Criticus Arnobianus tributus in libros ſeptem. item Hypocriticus Minutianus et Excerpta MS. Regii Pariſienſis. In quis Arnobius aduerſus Gentes et Minucius 1ↃC. amplius locis, alii Scriptores varie caſtigantur.

Quamquam negari ſine inuidia nequit, praeclarum ingenii acumen, et quod ex omnimoda doctrinae copia effloruit et quaſi redundauit, hoc ſchediaſmate Meurſium oſtendiſſe, ad Arnobium tamen et Minucium non magis illud quam ad omnem antiquitatem et ſcriptores valde multos pertinere recte cenſebitur. Quotiescunque enim illos attigit, mirifice callidum detegendis et perſanandis vulneribus ſe praebuit, multa acute vidit, ad quae ſuperiores editores omnino caecutie-

*) In notis ad Hieronymum de Eccleſ. SS. ed. Fabric. a. 1718. p. 165. nec aliter eodem loco ipſe Fabricius. Similiter *Franciſc. Sweertius* in *Athenis Belgicis* (Antwerp. 1628. f. p. 294.), vbi dum ſcripta Stewechii recenſet, ſimpliciter poſuit: *Electa in Arnobium, typis Trognaeſii.* Adde quod *Caſp. Scioppius* in Arte critica, vbi Stewechii Scripta laudat, Arnobium et Electa in eum prorſus ignoret. Ex quibus omnibus non ſine aliqua fiducia dixerim, praefationes illas annis 1586. et 1587. inſignitas Fabricio fraudem feciſſe.

cutiebant, multa menda leuiſſima medela ſuſtulit; ſed multo largius haec quibuscunque aliis ſcriptoribus quam Arnobio et Minucio ab eo ſunt praeſtita. Ac *initio*, inquit, *nihil annotare erat decretum ſoli Auctoris valetudini curandae intento, non potui tamen mihi temperare, quin aliquoties, loci potiſſimum alterius emendandi occaſione inuitatus, excurrerem;* in quibus omnibus vt nihil alieni ſibi vendicaret nec aliorum emendationibus adducendis vel erratis refellendis tempus tereret, ſed ſua ſimpliciter proponeret; caute ac grauiter ſtuduit. Porro, quidquid in Arnobio praeſtitit, id omne ab ingenio neque a libris veteribus profectum eſſe vel non affirmanti puto tribuiſſes, ſed miraberis fortaſſe, tam raram in iis regionibus fuiſſe editionem primam, vt ſe optare Meurſius dicat, vt plures Canterus Romani codicis variantes repraeſentaſſet, quod plura inueſtigandi occaſionem praebiturum fuiſſet. Quod ſupereſt, acceſſerunt operi huic appendicis loco *excerpta exemplaris Regii MS.* ex libro *Ioſephi Scaligeri,* quem olim Lutetiae cum Regio exemplari MS. contulerat. Singulis iudicium ſuum, ſubinde etiam animaduerſiones prolixiores appoſuit. Vniuerſe *vidi*, inquit, *hac collatione pluria loca vtiliter augeri, meas coniecturas aliquot probari, non paucas item nouas inueniendi anſam dari: quamuis re vera ſaepenumero pro theſauro, quem ſperaram, carbones offenderim, et merum ſterquilinium: e quo tamen, niſi me egregie iudicium fallit, aliquas, vt ita dicam, gemmulas elicui.* Caeterum haec excerpta inſcripta ſunt Petro Scriuerio amico, vt ipſe declarat, dilectiſſimo, de cuius Anticritico, quae Hadrianus *Bailletus* *) memoriae prodidit, fabulis accenſere nemo dubitet.

*) De antiſcriptoribus T. II. p. 299.

Saec. XVII.

1603.

Hanouiae. 8. Arnobius — cum notis *Geverhardi Elmenhorſtii* ad illuſtrem virum Ioſephum Scaligerum, eruditorum ſuae aetatis facile principem.

Ita *Fabricius* (in Delectu p. 226.) et ex eo *M. Bibl. Eccleſ.* proferunt primam Elmenhorſtii. *Nurrius* eam manibus verſauit.

✣ ✣

Pariſ. 8. Arnobius — cum obſeruationibus *Deſ. Heraldi.* Citat Fabricius l. l. an recte, dubito.

1604.

Antverpiae. apud Ioach. Trognaeſium. 8. Arnobius — cum *Godeſcalci Stewechii Electis.* Confer quae ſupra ad a. 1586. dicta ſunt. Iteratam Stewechius operam Arnobio ſuo impendit, Electis primum conſcribendis, in quo negotio ſolo ingenio ſe conſiſum eſſe fatetur; deinde cum codicis MS. variantes lectiones a Franciſco Modio ipſi eſſent ſuppeditatae, quibus denuo laborem iam abſolutum aggreſſus, non ſolum Electa meliora fecit, ſed ipſum quoque Arnobii textum infinitis locis ſe interpolaſſe, correxiſſe, et ſaepenumero lacunis magni momenti ſuppletis, auxiſſe affirmat. De Codice hoc ſententiam noſtram ſuo loco proferemus. Quod *Electa* attinet, (nam de his audiamus oportet, antequam de ipſa textus recenſione dicendi locus erit,) ideo hoc nomine appellare viſum eſſe inquit, *quod e plurimis, quae deprauata, quae obſcura hic reperiret, elegerit ſibi ex ingenio et membraneis codicibus vel emendanda vel illuſtranda;* id quod plerumque et tantum non vbique ex antiqui Romanorum ſermonis vſu ac proprietate, nec non ritibus

bus apud priſcos ſolemnibus haud ſiniſtre profecto ipſi ceſſit. Ac quemadmodum plurimum in Varrone ad Arnobium illuſtrandum eſt praeſidii, ita haec Stewechii Electa egregium, meo iudicio, Varroni atque omni ſermonis priſci doctrinae adiumentum afferunt. Quam in rem non parum etiam ſyllabus contentorum praemiſſus conducit. Sed neque ex his, neque ex ipſa, quam manibus teneo, editione ſatis mihi liquere fateor, quo pacto textum ad ſuas aliorumue coniecturas refinxerit. Is certe, quem ed. Trognaeſiana (1604.) ſiſtit, ab Vrſiniano haud magnopere differt; eo ſaepius autem Stewechii lectiones in margine laudat, ita nonnunquam, vt neſcias, an diuerſa aliqua a Stewechii recenſione per hos typographos data ſit. Quod ſi praecipitantius paulo a nobis diuinatum fuerit vereque editio Antwerpiana a. 1604. ad ipſius Stewechii deſcriptionem expreſſa ſit; laudabis fortaſſe hominis verecundiam, qui margines libri emendationibus et coniecturis opplere maluerit, quam vel certiſſimam in ſeriem recipere. Num vero is ipſum textum interpolauiſſe, correxiſſe et integriorem dediſſe dici poſſit, videant alii. Quamquam enim in eadem, vnde praecedentia adduximus, praefatione de ſua in textu adornando opera prae ſe ferat, ſe ſummo candore, ſuis vbique locis, *atque adeo, ipſi quoque margini* nomina eorum adſcripſiſſe, qui ante ipſum manus auxiliatrices Arnobio porrexiſſent, idemque ſe facturum fuiſſe in iis, quae Vrſiniana profert, niſi hic omnia, ſua, aliena miſcuiſſet; hac tamen circa lectionis varietatem ſedulitate non ipſius textus ſoſpitator ſibi videri poterat.

1605.

Pariſiis. apud Marcum Orry via Iacobaea ad inſigne Leonis ſalientis. 8. — Arnobii — libri ſeptem, M.Mi-

M. Minucii Felicis Octauius. Editio noua, ad editionem Romanam expreſſa, quibusdam tamen in locis e MS. Reg. aucta et emendata. DESIDERII HERALDI ad Arnobii libros VII. animaduerſiones et caſtigationes.

Romanam intellige nouiſſimam, quae, quanto plures veteres lectiones reſtituit, tanto praeſtantior ipſi viſa eſt ac ſaepius laudata. Quo factum eſt, vt nonnullis etiam in locis, vbi illa Gelenium ſecuta eſſet, eam deſereret et vel Canteri ſententiam amplecteretur vel de ſuo quaedam inſerret. De ſingulis in animaduerſionibus, ſed pauciſſimis verbis, iudicium tulit, reliquae vel ſenſu declarando vel rebus omnigenis illuſtrandis ſeruiunt. In quibus vt varia ſunt ex omni antiquitatis doctrina depromta nequaquam vero quod deceret, quodue alienum eſſet vel tritum, oblitus eſt. Egregio quoque inſtituto factum eſt, vt textus Arnobii ſeorſim cum indice rerum peculiari, deinde animaduerſiones Heraldi et ipſae cum indicibus et auctorum, qui varie illuſtrantur vel emendantur, et rerum exhiberentur. Denique notari meretur et hoc, quod animi cauſa opera haec inſtituta ſit et intra duorum menſium ſpatium ad finem perducta; item quod Epiſtola dedicatoria, quae omnino praefationis locum ſuſtinet, data ſit Lutetiae Pariſ. KaL Mart CIϽIϽCV. vt adeo vix probabile videatur, ante hunc annum Heraldi operam eſſe euulgatam.

1610.

Hamburgi. f. Arnobii — l. VII. *Gebhart, Elmenhorſtius* Collatis diuerſis codicibus recenſuit et *Obſeruationibus* (ſic) illuſtrauit. —

Elmenhorſtius Lectori: „Vt inſtituti noſtri ratio tibi conſtare poſſit, ſcito me in hac noua Arnobii editione recenſenda praecipue vſum codice vetuſto

Franciſci

Franciſci Sabaei Brixiani Romae a. 1542. impreſſo, Vbi is corruptus aut mendoſus, ad excerpta MSS. et doctorum Virorum emendationes confugi, optimasque ex illis deſumpſi, et textui Arnobiano, *quamquam raro,* inſerui; ratione nempe ipſa iubente. Adieci quoque variarum lectionum Collectanea, in quibus eos, quorum emendationes probo et ſequor, nomino. In obſeruationibus meis id potiſſimum egi, vt ſenſum auctoris, quem edendum ſuſcepi, ediſſererem, breuiterque et aperte, vbi is obſcurus, dilucidarem. Certe eruditiſſimum ſcriptorem innumeris foediſſimorum mendorum naeuis liberaui, et infinitis eius locis male affectis, ſalubriter, vt confido, medicinam adhibui. Nec tamen diſſimulo, plurima etiam nunc reſidere falſa et corrupta, quae nullo modo intelligi, aut absque ope melioris codicis ſanari queant. Ea ego de induſtria intacta praeterii et felicioribus ingeniis corrigenda reliqui. Rel." Noſti iam Codices, quorum ſpecioſa oſtentatione titulus ſuperbit. Si de Elmenhorſtio interroges, ſi non ingenium, certe maturitas et ſtudium illi defuit. Textus ad verbum paene ad Romanam alteram deſcriptus eſt. Hinc etiam coniecturas et emendationes, quas ſine auctorum nominibus in margine poſuerat Vrſinus, omnes Fuluii nomine laudatas deſumſit, et intermixtis aliis ad calcem obſeruationum ſubiecit, ſuo iudicio raro interpoſito. Neque vero animaduerſiones ita comparatae ſunt, vt viris doctis, quales eius aetas ferebat, admodum placere poterant. Nam praeter loca cumulate ex omnibus veterum ſcriptis ad verba vel res ſingulas congeſta fruſtra aliquid expectes. Caeterum ſatis apte haec editio exſcripta eſt typis nitidis ac luculentis, et quamquam capitum deſcriptio deſit, numerus tamen lineis denis vniuscunque paginae in margine interiori commode adſcriptus eſt. Indices etiam acceſſerunt

ceſſerunt textui tres, autorum, rerum ac verborum et locutionum, animaduerſionibus item duo, autorum (quorum loca adducta ſunt) et rerum vocumque. Huius editionis exemplari, quod Bibl. Regio-Acad. ſeruat, a Heumanno, quem poſſeſſorem olim habuit, notulae quaedam, item emendationes appictae ſunt.

Toloſae. 1612. 8. Iulii Caeſaris Bulengeri Iuliodunenſis Eclogarum ad Arnobium liber Primus. — Ineptum Opus.

1634.

Duaci. 8. Stewechii Electa cum Paratitlis ſeu Summariis *Leandri de S. Martino.*

1651.

Lugduni Batauorum. ex officina Io. Maire. 4. Arnobii — libri VII. *Cum Recenſione Viri Celeberrimi et integris omnium commentariis. Editio nouiſſima atque omnium accuratiſſima.* „Quod ad hanc Arnobii noſtri editionem, quam accuratiſſimam hic exhibemus, attinet, typographus inquit, exemplar ante aliquot annos nacti fuimus manu viri celeberrimi emendatum, cuius eruditio et fama in his artibus, quae ab humanitate nomen habent, veluti Principatum tenet. Curam poſtmodum itidem Viro erudito commiſimus, vt quicquid ad gloriam huius editionis colligi poſſet, in medium produceret. Itaque omnes et quidem integros commentatores, nulla parte truncata, in vnum corpus redegimus, vt editionis ratio ex iis peti poſſit — ita vt nihil ei deſit, quod vel votis exoptari poſſit.“ — Recenſionis huius auctorem fuiſſe putant Salmaſium, cuius etiam commentarius morte interceptus ſit. Ac quantum quidem comparando didicimus, nam mutationum indicium prorſus

prorſus nullum apparet, credo, ne decor typographicus interciperetur, hoc viro certe non indigna eſt. Igitur a ſuperioribus toto coelo quidem differt, plurimas tamen ex iis lectionibus ſuſcepit, quas Vrſinus ad marginem ſuae editionis propoſuiſſe indicauimus adeoque fortaſſe Chiaconii ingenio praecipue Salmaſius litauit. De reliquis huius editionis dotibus non eſt, quod pluribus lectores doceamus. Inuenias Canteri, Stewechii, Elmenhorſtii et Heraldi commentaria ad verbum deſcripta. Commodis Doctorum hoc ſaltem conſulere potuiſſent, ſi indicem vniverſalem ſubieciſſent. Quod reliquum eſt, procuraſſe hanc editionem ex parte (nempe vt ſingulorum animaduerſiones rite deſcriberentur) dictus eſt *Antonius Thyſius*, I. C. cuius etiam in Arnobium epigramma pagina poſt dedicationem proxima oſtendit. Typothetarum erroribus iisque admodum foedis hanc editionem nitidiſſimam ſcatere, *Nurrius* imprimis conqueſtus eſt.

1666.

Pariſiis, apud Ioann. Dupuis. f. cum Cypriani operibus ex editione *Rigaltii* per *Priorium.* Ex Ephemeridibus Pariſienſibus huius anni*) intelleximus, variorum notis excerptis, Priorii more inſtructos eſſe, quotquot praeter Cyprianum Rigaltianum hic auctores euulgati ſunt. Textus ex Lugduno Bataua vna cum omnibus, auctis itidem, vitiis eſt repetitus.

1677.

Lugduni, apud Aniſſonios. f. in Bibl. PP. T. III. a p. 430-514. Recuſa Priorii. Notae maximam partem

*) *Journal des Scavans, Fevrier,* p. 41. „le tout avec des remarques de differens Autheurs.“

partem Elmenhorſtii ſunt, raro Heraldi, Stewechii etc. quibus ſuas Priorius interſperſit.

Saec. XVIII.

1715.

Pariſiis. apud Io. Bapt. Deleſpine. f. in *Nicolai le Nourry* Adparatu ad Biblioth. Max. PP. — Lugduni editam T. II. p. 257-570. *Diſſertatio in Arnobium,* in qua poſt analyſes ſingulorum librorum, de auctore, operis aetate, conſilio, argumento et tractatione, ſtylo, eruditione et reliquis dotibus, de opere diſtribuendo, librorum integritate, ac textus corruptione — de erroribus quibusdam Arnobii, de variis horum librorum Codd. MSS. editionibus et in eos notis et obſeruationibus, fuſe pro more ſuo, ſed praeclare diſſerit, a pag. 257-296. denique a p. 296-570. nouas in Arnobium obſeruationes profert, in quibus vel argumenta ſingula, quibus ille cum in aſſerenda veritate, tum refutandis aduerſariorum erroribus vtitur, examinantur, vel potiora antiquitatis monumenta illuſtrantur.

1768.

Venetiis, ex typogr. Io. Bapt. Albritii. f. in *Gallandi* Bibl. Vet. PP. etc. T. IV. a p. 133-224. Siſtitur textus editionis Lugduno Batauae emaculatus et adhibitis iis, quae Nurrius attulerat, perpolitus. Simul conſtitutum erat, notas addere ſelectiores, quaeque imprimis ad emendandum textum ſpectarent, ſed hic induſtriam aeque ac iudicium deſideramus. Cui bono, quaeſo, Priorii notae, quas omnibus paginis inculcatas videbis. Singularis autem qua praecedentes editiones Arnobii haec antecellit, eaque neſcio an ſumma virtus eſt textus, quem praeter Cante-

rum

rum ad vnam omnes continua ſerie exhibebant, in capita deſcriptio, quorum analyſis in calce ſubiecta compendium quaſi totius ſcriptoris praebet.

1783.

Wirceburgi, in off. libr. Staheliana. 8. Arnobii Afri aduerſus gentes libri VII. et Iulii Firmici Materni V. C. de Errore prof. Rel. etc.

Iidem ſub titulo:

Opera SS. Patrum Latinorum Volumen V.

Qualis hic Arnobius ſit, ipſius editoris Cl. *Oberthürii* verbis accipe: „Textum habes Canteri, ſed ad editionem Leidenſem anni MDCLI. ita quidem correctum et emendatum, vt veterem lectionem a Gelenio et Cantero temere olim expunctam poſtliminio a me reſtitutam videas, iis ſaltem locis, vbi meo partim ſenſu, partim Stewechii ac Heraldi iudicio id ſine ſcrupulo facere me poſſe, immo debere certus eram: monui tamen in ſubiecto ipſi textui *variarum lectionum indice,* vbi id fecerim, quaeque ſint expunctae vel correctae a me ſententiae, vt ſic adhuc liberum relinquerem lectori, velitne meo ſtare, vel alio ſuo in eligenda lectione iudicio."

* *

Verſiones Arnobii nusquam me commemoratas inuenire memini praeter *Belgicam* interprete *Ioachimo Oudaen* Harling. 1677. 8. apud Fabricium Bibl. Lat. lib. IV. c. 3. p. 291. ed. Venet.

* *

Codex tantummodo vnicus hactenus repertus eſt, ex quo primum fluxit, et iterum iterumque Arnobius emendatus eſt, qui iam in Bibliotheca Regia Pariſienſi

ſienſi extat. Optandum vero eſſet, vt Doctus aliquis, cui aditus ad Cod. hunc Regium patet, eum accurate deſcriberet, quo ſaeculo ſcriptus eſſe videatur, rationibus iuſtis probaret, imprimis vero num foedis adeo characteribus aut ſcripturae compendiis exaratus ſit, vt toties a viris inſigniter eruditis, quos ſuo loco nominamus, nec vnquam ſine noua variarum Lectionum meſſi exerceri potuerit. Nam licet Gelenii iudicium de editoribus primae Romanae nequaquam contemnamus, nec hi tamen fucum nobis facere voluiſſe putandi ſunt; immo verum ſit, quod vniuerſim de hoc libro MS. teſtati ſunt: „*Scatebat A. antea tot mendis, quot literae inſunt. Innumera ſuſtulimus, quaedam de induſtria praeteriimus, quae vel nullo modo intelligerentur vel omnino deſiderarentur: arrogantis enim ingenii eſſet, ea reſtituere velle, quae omnino ignores.*“

De *Flacii Illyrici* poſtea *Petraei Codice*, quem in Stewechii vſum Franciſcus Modius contulit, neſcio vtrum ſcriptum alicubi legerim, an ipſe primus animaduerterim, eum nihil aliud quam apographum Regii fuiſſe. Certe plane iam perſuaſum illud habeo, poſtquam curioſius Cod. huius lectiones, quas diſerte in margine ed. ſuae Stewechius exhibuit, cum excerptis a Scaligero Cod. Pariſini lectionibus ad calcem Meurſii Critici Arnobiani contulimus; quo miram quandam inter vtrumque conuenientiam deprehendimus; quamquam non eadem prorſus, ſed pro diuerſo arbitrio diuerſa loca Modium et Meurſium, et illum quidem multo parcius elegiſſe et excerpſiſſe ſimul apparuit.

2. LACTAN-

2.

Lactantius.

Plenius: *Lucius Coelius* ſeu *Caecilius Firmianus Lactantius.* Annus, quo natus ſit, ignoratur, nec patria certa eſt. Equidem fateor, me, qui totus antea in eorum conceſſeram ſententiam, qui Afrum putant, hac vna fere de cauſa, quod ibi Arnobio operam dederit, iam lubenter alteram amplecti, qua Firmo ſ. Firmio oppido Piceni ad oram maris Adriatici oriundus creditur. Arnobii, dum Siccae rhetoricam doceret, diſcipulum fuiſſe Hieronymus tradit. Ex Africa igitur eloquentiae eius, qua longe poſt ſe praeceptorem reliquit, fama percrebeſcere debuit et ad Diocletianum perferri, quippe qui eum circa a. 301. Nicomediam Bithyniae, in qua vrbe exornanda totus ille erat, ad rhetoricam latinam docendam arceſſiuit. Sed ob auditorum penuriam in Graeca ciuitate ſcilicet ad ſcribendum ſe contulit. Videtur autem Nicomediae demum Chriſtiani nomen induiſſe; certe per Arnobium Chriſtiano dogmate imbui non potuit, qui, vt ſupra probabiliter demonſtratum eſt, longe ſerius in Chriſtianorum caſtra tranſiit. Nicomediae vero inter ipſas rerum Chriſtianarum per Diocletianum perturbationes inſtitutionum libros exarare coepit, quamquam longe poſt tempore demum in lucem editi videantur. Prouectior iam aetate Nicomedia in Gallias accitus, vt Criſpum filium ad eloquentiam latinam informaret, quod vitae reliquum fuit, ibi tranſegit crediturque eodem paene tempore, quo Criſpus Caeſar, a. 325. diem, Treuiris, vbi aula regia erat, obiiſſe, ſeuerioris vitae exemplo in re lautiſſima etiam commendatus. Sed quae de ſumma eius rerum neceſſariarum indigentia ex Hieronymo tradi ſolent, praepoſtere ad vitam, quam cum Criſpo agebat, reuocata et ſpecioſe nimis traducta ſunt. §. 1. Vita.

§. 2. Scripta. Eorum, quae ſuperſunt, primum fere cenſeri ſolet

1) *De opiſicio Dei*, quem anno tribuunt 303. cum perſecutio Diocletiani in Bithynia iam coepiſſet. Alii a. 310. adſcribere potiori ſibi iure videntur, quoniam in libris inſtitutionum (l. 21. c. 10. n. 15.), quos annis a 316. ſequentibus vindicant, de prouidentia inquit, *proprium nuper librum* ad Demetrianum auditorem meum ſcripſi. Neque equidem errare eos dicam, qui rudimentum quaſi quoddam doctrinae recens perceptae in eo deprehendere ſibi videntur.

2) Secundo loco ponunt librum *de mortibus perſecutorum*, quem a Baluzio e tenebris erutum et Lactantio reſtitutum, Nourrius auctori ſuo iterum eripere et *Lucio* neſcio cui Coecilio deferre fruſtra anniſus eſt. Videtur ſcriptus eſſe a. 314. decem fere annos poſtquam Diocletianus et Maximus imperio ſe abdicauerant. (a. 305.) Donatus autem confeſſor, ad quem iſte liber dirigitur, a. 311. pridie Cal. Maj. Nicomediae e carcere, in quo ſex annos delituerat, erat liberatus.

3) *Inſtitutionum Diuinarum libros VII.*, in quibus componendis ICtorum exemplum ſecutus eſt, non multo poſtquam fide nomen dederat, auſpicatus eſſe videtur. Eosdem tamen in Gallia demum perfectos Conſtantino Imp. dedicavit circa a. 320. aut 321. Niſi cum Baluzio (Miſc. T. 2. p. 348.) placeat duas operis editiones, in Bithynia alteram, alteram in Galliis, eſſe factas. Certe multis in Codd. deſunt quae l. II. IV. V. ab initio et VII. ante epilogum cp. XXVI. §. 11. fin. ad Conſtantinum M. diriguntur, de quibus, quin a Lactantio ſcripta ſint,

ſint, dubitari vix poteſt. Nec tamen continuo affirmauerim, horum codd. exempla ex tantae vetuſtatis apographis manaſſe, cum, quanta licentia librarii in PP. deſcribendis graſſati ſint, vnicuique conſtet.

4) *Epitome Inſtitutionum ad Pentadium.* Hic liber olim a Capite demum 16. libri V. legebatur iam Hieronymo acephalos dictus. Tandem vero a. 1712. 55. prioribus capitibus auctus et integer prodiit ſoſpitatore Pfaffio ex Cod. Bibl. Turinenſis peruetuſto.

5) Vltimum eorum quae ſuperſunt operum, fortaſſe omnium etiam, eſt *de ira Dei*, poſt inſtitutiones et epitomen earum elaboratum ad Donatum aliquem diuerſum a confeſſore perſcriptum.

Tribui ſolent Lactantio: Carmina de *Phoenice*, de *Reſurrectione Domini*, de *Paſſione Domini*, de *extremo iudicio*. Quibus nuper ab Heumanno additus eſt *Sympoſii* nomine aenigmatum hexametris compoſitorum farrago, quae Symphoſii poetae nomine eo vſque proſtabant. Commentaria Lactantii Grammatici ſeu Luctatii Placidi potius in Statii Thebaid. et Ouidii Metam. vel memorare piget.

Inter deperdita numerantur: *Epiſtolae Lactantii*, de quibus Hieronymus*) loquitur, quarum duos libros in Bibliotheca Egmondani coenobii in Belgio extitiſſe et ignorantia negligentia ſua demum aetate periiſſe Hadrianus Iunius in Hiſtoria Batauiae**) ſcriptum reliquit.

Liber de ſpectaculis, qui in Memoriis Treuoltinis a 1705. p. 1992. et in Novellis Reip. litt. eiusd. anni

*) De Script. Eccleſ. cp. 80. ed. Fabric. 165.

**) Lugd. Bat. 1588. 4. p. 311.

anni T. 2. p. 117. e MS. editus dicitur Venetiis. Sed ſabulam eſſe oſtendit Bunemannus in Miſcellan. Lipſ. T. 3. p. 136.

Hodoeporicon hexametris verſibus, eodem Hieronymo teſte.

§. 3. Editiones. Inſigniter in eo fortuna Lactantio prae aliis SS. eccleſiaſticis gratificata eſt, quod primis ſtatim editoribus tam integrum typis tradere licuit, vt perpauca tantummodo deinceps reperta ſint, quibus librorum numerus augeri poſſet, opuſcula; vnde recte ſane colligas, frequenter et a multis olim lectum eſſe et deſcriptum Lactantium. Sed hoc ingens etiam Codd. MSS. qui in omnibus fere antiquioribus bibliothecis deprehenduntur, oſtendit, ex quibus, quanta bonarum lectionum ſeges ei ſuccreuerit, vix dici poteſt. Videamus ergo, per quos et quales Viros, quibus ſubſidiis et quo ſucceſſu in eo laboratum fuerit.

Princeps ed. facta eſt Sublaci a. 1465. per typographos Germanos Sweynheym et Pannartz. De Codice, vnde expreſſerunt, non conſtat. Repetita eſt per eosdem Romae. Tertiae vero apud eosdem factae praefuit Io. Andr. Aleriensis, cuius emendationem omnes deinceps hoc ſaeculo plerumque Venetiis, vnae etiam Roſtochii factae edd. ſecutae ſunt, praeter Romanam Vdalrici Han. 1474. quam *Cneus Sabinus* recenſuit ad Edd. omnes fere praecedentes Rom. et Venetas. Sed ſectatores non inuenit.

Saec. XVI. initium multorum ſimul virorum doctorum in Italia circa Lactantium ſtudia vidit. Prodiit enim a. 1502. Veneta X. per *Io. Petr. Valerianum* et apud eundem typographum, qui etiam ſuperiori ſaeculo iam aliquoties Lactantium exſcripſit Io. de Tridino cognom. Tacuini a. 1509. Ven. XI. per Ianum

ianum Parrhaſium. Dehinc 1513. apud Iuntas ſecuta eſt recognitio *Tucciana*. Aldinae tandem ſucceſſerunt, prima per *Io. Bapt. Egnatium* 1515. altera paulo ſerius abhinc per *Hon. Faſitelium* 1535. His nituntur, qui vel tunc ſtatim aliis locis prodierunt, vt Pariſinae a. 1509. 1513. Io. Valeriani recognitione, Baſileenſis *Cratandri* imprimis Egnatiana; vel inſecutis annis exſcriptae ſunt. Sed principatum tenent PARRHASIVS et FASITELIVS. Tuccius enim, quantumuis a ſe praeſtitum iactitet, nil niſi ex prioribus edd. diuerſa collegiſſe deprehenditur. Atque horum virorum continua in Lactantium induſtria ſolidum quaſi quoddam textus Lactantiani fundamentum iactum eſt. FASITELII recognitio imprimis per *Gryphianas* et *Tornaeſianas* operas ſaepius, nec non Pariſiis per *Hieron. de Marnef* repetita eſt.

Poſtremo huius ſaeculi dimidio iterum manus emendatrices *Betuleji*, *Thomaſii*, *Tornaeſii* et *Cujacii* expertus eſt; quorum primus in ed. Baſ. 1563. f. codicis cuiusdam vetuſti, quem non indicat, et editionum quarundam ope, ſed magis ingenio, cui plurimum eum indulſiſſe Bunemannus iudicat, nouas multas lectiones inuenit; primus etiam Commentario ſed adoleſcentibus, quales tunc informari ſolebant, ſcripto illuſtrauit; quod item in ſingulis libellis velut in libro de Op. Dei *Eraſmus*, ſed breuiter 1529. et *Willichius* 1542. fecerunt. *Thomaſius* rarius ex Cod. Bononienſi Lactantium emendauit, ſed itidem notas ſat bonas adiecit. Quam plurimas autem et optimas lectiones *Tornaeſius* in Lugdunenſi 1587. protulit, quam ed. et ipſe aliquoties iterum prelo ſubiecit, et alii repetierunt.

Tandem medio fere ſaeculo XVII. ISAEVS Caeſenas, Cambettolae et Buſchi Comes ad Lactantium priſtino nitori plane vindicandum exortus eſt

 tanto

tanto codicum MSS. et impreſſorum apparatu inſtructus, quanto ante eum nemo, cuius laboris fructus a. 1646. in lucem produxit affinis eius Sigism. Iſaeus, *Caeſenae fol.* quam titulo tantum nonnihil mutato aliaque dedicatione praefixa recuderunt typogr. Romani Blaſ. Diuerſinus et Zenob. Maſottus. Sed praeclaram Iſaei operam ſequiores huius ſaeculi editores deſeruerunt et Thomaſium maxime ſecuti ſunt. Ita *Thyſius,* cuius etiam notae nullius fere momenti ſunt, *Gallaeus,* qui inepta prorſus notarum colluuie Lactantium inquinauit, *Sparkius,* qui in textum Betuleji et Iſaei lectiones recepit, rarius MSS. codd., quorum quinque praeſto erant, in vſum vocauit et notulas perbreues adſcripſit, et *Cellarius* denique, qui, quamquam codicibus MSS. non careret et edd. quamplures conſuluiſſet, ex quibus nonnulla paſſim deſumſit pro baſi tamen Thyſianam ſubſtrauit. *Iſaei* adnotationes doctas, ſed maxime theologicas, integras ſuae editioni adiiciendas curauit Lengletius.

Verus Lactantii honos noſtro demum ſaec. reſtitutus eſt, quo, poſt inſignia *Walchii* et *Heumanni* ſpecimina, BVNEMANNVS cum ſubſidiis priorum editorum ſimul copias numero longe exſuperantibus et per induſtriam eius multo accuratioribus tantum lectionis accuratae et iudicii et vſus critici ad Lactantium exornandum contulit, vt, ſi modo aeque illuſtrandi quam emendandi prouinciam ſuſtinuiſſet, nihil fuiſſet, quod in ed. a. 1739. exhibita deſiderares.

Vtrumque praeſtare tandem ſibi viſus eſt tum nouo adparatu imprimis Codd. Pariſienſium et Belgii MSS. et ſubſidiis tum ſelectis ex diuerſorum ſuperiorum omnium, iudicio adhibito, adnotationibus et ſuis additis LENGLETIVS, Theol. Pariſinus profligando opere, quod a ſaeculi fere dimidio inchoa-

verat

verat et in quo ad diem vſque ſupremum elaborauerat Io. B. le BRVN Paulini Nolani ſaeculo ſuperiori editione illuſtris. Sed, quod diffiteri nequeas, bona pars doctrinae non ſatis digeſta eſt et vt ſolet multa de triuio petita inſunt, quae vix talis editionis emtor deſiderabit. Repraeſentauit huius editionis textum Cl. Oberthür. Bünemannianam expreſſerunt Halenſes et Bipontini. Romana nouiſſima propter molem eſt admirabilis.

SAEC. XV. 1465-1500.

1465.

Princeps hoc anno Lactantii editio prodiit *e monaſterio Sublacenſi* excudentibus *Conrado Sweynheim* et *Arnoldo Pannarz*. Inſcripta eſt ab initio: *Lactantii Inſtitutiones.* In fine legitur: *Lactantii Firmiani de diuinis inſtitutionibus aduerſus gentes libri ſeptem. nec nō ejuſdem ad Donatū de ira dei liber vnus. vnacū libro de opificio hoīs ad Demetrianū finiunt. Sub año dñ. MCCCCLXV. Pontificatus Pauli pape. II. año ejus ſecūdo. Indictioē. XIII. die vero añpenultiā menſis Octobris. In venerabili monaſterio Sublacenſi. Deo gratias.* — fol. Hanc editionem a vetuſtate et auctoribus ſuis, Germanis, primis artis ſuae in Italia fundatoribus celebratiſſimam nouiſſime et accuratiſſime deſcripſit *Io. Bapt. Audifredi* in Catalogo Hiſtorico Critico Romanarum Editionum Saec. XV. Romae 1783. 4. ex quo pauca in eorum, quibus hunc adire non licet, vſum repetere placet. Volumen hoc eſt folio ordinario. Forma latini characteris Romana, iuxta alios media inter Romanam et Gothicam characteres graeci nitidiſſimi, vti iam Maettarius cenſuerat. Sed idem vir laudatus vtriusque characteris ſpecimen protulit in tabula

bula ad calcem libri adiecta fig. I. quemadmodum antea ſpeciminis loco ſubſcriptionem aere excudendam curauerat. P. *Franc. Xauer. Laire* in ſpecimine hiſt. Typogr. Rom. XV. ſaec. Romae 1778. 8. p. 123. Plerumque tamen lacunas reperias, vbi graeca typis fuiſſent exaranda. Totum opus ſumma artis pompa ad amuſſim exactum eſſe, iam Maettarius dixerat, quocum plane Audiffredus conſentit. Foliorum numeri, ſignaturae et cuſtodes, vt in editionibus multo etiam ſerioribus deſunt. Continet autem haec editio 1) IX. folia, quae Rubricas, ſiue argumenta Capitulorum totius voluminis exhibent; 2) poſt Rubricas, interpoſito ſolio albo, in nonnullis exemplis ſequitur tabula Erratorum in Lactantii Inſtitutionibus ab *Antonio Raudenſi* animaduerſorum, quae tres paginas cum dimidia fere occupant, et de quibus curioſius plura Vir laud. a nemine ante animaduerſa, diſputauit.*) Plura h. ed. exemplaria Audiffredus manu verſauit. Aliorum poſſeſſores Bipontini indicant. Nouiſſime extabat in Bibliotheca iam deuendita Creuennae. Lectiones vero huius editionis diligenter

*) „Primam hanc, inquit, *Summa Erratorum* Lactantii, a Raudenſi annotatorum, editionem, ab aliquo, ex tam multis, qui hodie in ſtudioſorum manibus verſantur, Bibliographiae ſcriptoribus, memoratam iam fuiſſe, intelligere hactenus non potui. Nam eorum, quos conſului, (multos enumerat, quorum tamen numerus valde augeri poſſet) pars maxima editionem Lactantii anni 1468. veluti omnium primam, in qua eiusmodi errata recenſeantur, referunt.“ Attamen ab Abbate *Gheſquierio* iam pridem anno 1780. (in Eſprit des Journaux. Juillet) factum refert *Deburius* in Catalogue des Livres de la Bibliotheque de Feu M. le Duc de la Valiere, Additions, T. I. p. 18. qui ſimul fatetur, hinc demum ſe cognouiſſe, quod mancum illud Bibliothecae Ducalis exemplum Lactantii fuerit.

genter adhibuit praeſtantiſſimus edit. Bunemannus. Vtebatur enim Collatione exempli Gymn. Zwickavienſis accuratiſſime ad verbum facta, et cum iſta inde a libro V. Inſt. eſſet intercepta, ex variantibus ſic dicti MS. Cantabrigienſis, quod ex hac Sublacenſi deſcriptus fuit, redintegrauit. Excerpta eſt etiam varia huius editionis lectio in ed. Pariſienſi nouiſſima.

1468.

Romae. f. L. C. Lactantii Firmiani Diuinarum Inſtitutionum libri VII. etc. In calce: *Hoc Conraduſ opuſ ſuueynheym ordine miro Arnolduſque ſimul Pannartſ una ede colendi Gente theotonica: rome expediere ſodaleſ. In domo Petri de Maximo: M. CCCC. LXVIII.* — Altera haec eſt Lactantii editio ab iisdem Typographis Germanis facta. Character litterarum latinarum a Sublacenſi eſt diuerſus, quoque Conradus et Arnoldus, quamdiu ſimul impreſſoriae operam dedere, perpetuo vſi ſunt. Omnino Romanus eſt, et arte non inelegans. Speciale hoc habet, quod litera I punctulo ſuperne poſito perpetuo deſtituitur, ac litera S ſemper eſt oblonga. AVDIFFREDI l. l. p. 7. vbi Epiſtolar. Ciceronis editionem ab iisdem typographis factam recenſet. Acceſſere in hac editione *ἀποσπασμάτια* graeca, quae variis in locis editionis Sublacenſis deſunt. Incipit praecedente folio albo ab Indice capitum IX folia complectente. Tunc ſequitur tabula *Erratorum Lactantii* iuxta ordinem librorum Diuinarum Inſtitutionum digeſta, indicato etiam capitulo, in quo vnumquodque occurrit, duobus foliis; horum ad calcem legitur Epigramma *Adami,* Eremitae Auguſtiniani, in Antonium Raudenſem:

Hiſ carminibuſ: frater Adam Genuenſiſ ̄icre-
pat frēm Anthoniū
Hic male corripuit ſtolidiſ Antoniuſ auſiſ etc.

Ex hac P. Adami Montaldi in Antonium Raudenſem cenſura, quae primum typis vulgata fuit in hac editione, fuere, qui eundem curam illius geſſiſſe opinarentur. Sed recte Cl. Audiffredi aliorum etiam in his litteris ſpectatorum Virorum exemplo conſultius cenſet, de nullo in praeſentia editorum mentionem facere. Caeterum eadem complectitur haec editio, quae ſuperior, Inſtitutionum ſcilicet libros VII. et de ira dei et opificio hominis opuſcula. Addita vero ſunt in fine poëmatia de Phoenice ſubiectis Ouidii ex metamorphoſibus et Dantis de eodem Phoenice carminibus, quae ſequitur carmen de Paſchate. Neutrum carmen Lactantii nomen vel titulum vllum praefert, neque adſcribendis iis calligrapho vllum relictum eſt ſpatium. Ad calcem ſubſcriptio ſupra laudata. Necdum in hac editione foliorum numeris, nec ſignaturis et cuſtodibus locus. Tituli capitum impreſſi, excepto primo cuiuslibet libri. Nitet marginibus latis, pagina XXXVIII. lineas comprehendente. Exemplum Bibliothecae Acad. litteris librorum initialibus ſplendidiſſime pictis et deauratis ornatum eſt; reliquis capitum, itemque rubricis color de rubrica et caeruleus egregie ſeruatus. — Textus eſt deſcriptus ex ed. principe.

1470.

Romae. f. L. C. Lact. F. Opera. *Ex recognitione* Io. Andreae, *et cum eius Praefatione* ad Paulum II. *Ed. III.* Romana. In calce:

Aſpiciſ illuſtriſ lector quicunq; libelloſ
Si cupiſ artificum nomina noſſe: lege.

Aſpera

Aſpera ridebiſ congnomina (ſic) *Teutona: forſan*
Mitiget arſ muſiſ inſcia uerba uirum.
Cōraduſ ſuueynheym: Arnolduſ pan̄artzq; magiſtri
Rome impreſſerunt talia multa ſimul.
Petruſ cum fratre Franciſco Maximuſ ambo
Huic operi aptatam contribuere domum.
M. CCCC. LXX.

Tertiam hanc eſſe Lactantii editionem Romanam ex litteris decantatis ſupplicibus typographorum Germanorum nomine a Io. Andrea Epiſc. Alerienſi, qui correctoris apud eos munere fungebatur, ad Sixtum IV. Papam datis*) conſtat, eandem diuerſam eſſe aliamque plane ab editione a. 1468. idem Alerienſis in epiſtola ad Paulum II. hic praefixa profitetur**) et comparatio oſtendit vel leuiſſima.***) Continet eadem ac ſuperior; habitus quoque externus idem. Nec litterarum character differt; in notis vero ſ. abbreuiaturis vocum typotheta priori non inhaeſit, ſed pro arbitrio vel caſu modo parcius, modo ſaepius illis vſus eſt. Quoad paginas a II. Romana longiſſime rece-

*) In editione Bibliorum c. gloſſ. Nic. de Lyra. Romae 1472. f. typis exſcriptis, indeque a Maettario Ann. Typ. T. I. p. 48. et Fabric. Bibl. Lat. ed. Ern. T. III. p. 563 ſq. repetitis.

**) *Sumant igitur*, inquit Alerienſis, *ſtudioſi abs te hoc tempore per noſtros ingenuos opifices, Lactantium Firmianum ſemel ab iis, iterumque impreſſum prius, nonnullis in locis profecto veriorem.* Ad quae verba omnino videndus eſt Cl. Audiffredi, eodemque monitore ex iis corrigendus eſt Maittaire, qui in h. ed. commemoratione voce *prius* poſt verba: *iterumque impreſſum*, omiſſa aliorum indicia conturbauit.

***) Eiusmodi ſpecimen praebuit Cl. Audiffredi p. 60. l. l.

recedit, itemque metrica Graeca verſibus diſpoſita habet. Praeuio folio albo initium facit Alerienſis epiſtola ad Paulum II. Sequitur auerſa folii eiusdem parte Index capitum ſ. Elenchus argumentorum capitum per proxima octo folia cum dimidio continuatus. Hinc alterum folii latus itemque folium proximum cum dimidio tertii complet Erratorum Lactantii per Anton. Raudenſem tabula, cum Epigrammate Adami Montaldi. Auerſa folii pars alba. Exhibet porro haec editio titulos librorum etiam typis exſcriptos eademque primum carminibus ſubiunctis inſcriptiones praefixas: „*Lactantii Firmiani de Phoenice Carmina.*" et: „*Lactantii Firmiani de reſurrectioniſ dominice die.*" et quidem ita, vt poſt finem capitis vltimi libelli de opificio hominis vnius lineae ſpatio interiecto ſtatim carminis prioris inſcriptio ſequatur. Poſt paginam vltimam, dimidia altera cum folio inſuper toto vacuo relicta. Hinc vero patet lucidiſſime, perperam eſſe proditum,*) *ad calcem huius editionis legi Nephytomon, hoc eſt Epitomen Diuinarum Inſtitutionum.* Neque eam in quatuor nitidiſſimis Romae a ſe viſis et diligentiſſime excuſſis exemplis reperiſſe teſtatur Audiffredi: quae mutila omnia, vna cum noſtro, credere vix licet. Duo h. ed. exemplaria ſeruat Bibl. Reg. Acad. Gott. in quibus litterae initiales colore

*) A Fabricio in Bibl. Med. et Inf. Lat. Ed. Manſi T. IV. p. 229. et ibidem ad editionem a. 1472. vbi ad Schellhornii Amoenit. litt. T. 2. p. 124. prouocat. Repetiere candem cantilenam Bipontini Socii, Maettario T. I. p. 285. et qui hunc laudauerat Hambergero, neſcio quem in finem? laudatis; Fabricium vero adductis Schellhornii (Amoenit. T. 3. ed. 1730. p. 124.) verbis de editione Lactantii Vindelini 1472: „huic primum inſerta eſt Epitome Lact. etc." erroris conuincit ſaepius nobis laudatus praeſtantiſſimae vir diligentiae Audiffredi.

colore et auro nitidiſſime appictae ſunt. Ex hac ed. deſcripta eſt ed. Veneta a. 1497. quam Bunemannus contulit.

1471.

Venet. f. L. C. Lactantii Firm. de diuinis Inſtitutionibus aduerſus gentes — liber de ira Dei, de opificio Dei ſ. formatione hominis, carmen de Phoenice (ſubiunctis Ouidii et Dantis) carmen de Paſcha. —

(*In calce*): M. CCCC. LXXI. Adam.

Arguit hic hominum ſectas Lactantius omnes
Septeno falſas codice vera docens.
Siue deum tangat: turbato lumine cernens
Ira furor: gemina pernotat inde libro.
Et volucrum verſu phoenix cõprehendit una
Quae noſtro nũq̃ paſcitur alma ſolo.
Hinq; redemtoris noſtri non carmina deſunt:
Quae poſitum e tumulo dulce canendo vocant.
Preſſerat hunc primo mundi caput inclyta roma:
Poſt regina premit quippe colenda maris.

Prima Veneta, nitida editio, marginibus latis charactere romano pereleganti exſcripta, Graeca etiam belle exarata, literis editionis Romanae II. 1468. propiora. Omnino hanc Romanam editionem ad paginam paene refert titulisque librorum impreſſis ſimiliter caret. numeris paginarum foliorumque pro more huius temporis editionum omnium deſtituitur. Incipit ab Indice Capitum, qui praeuio folio vacuo IX folia complectitur, tum ſequuntur duobus aliis Errata Lactantii per Raudenſem cum Epigrammate laudato prorſus eodem modo ac in Romana II. Nec haec editio habet Nephythomon, quod duo Bibl. Acad.

Acad. exemplaria completiſſima oſtendunt. Ex his vero cognoſcere licuit, quod obſeruatum adhuc a nemine memini, duabus vicibus hoc anno prelo eſſe Lactantium ſubiectum. Nam primum in altero exemplo Annus cum nomine: *Adam* poſt verſus ſupra laudatos, in altero ante ipſos conſpicitur; tum vero alterum ab altero ſphalmatibus propriis differt, vt adeo neceſſe ſit hoc anno eandem editionem eſſe iteratam. In vtroque exemplo tituli librorum ſatis eleganter adſcripti, in altero etiam literae initiales librorum multo cum calligraphi artificio exarati, tituli vero aliquot omiſſi ſunt. Extat etiam huius ed deſcriptio apud *Schellhornium* in Amoen. litt. T. I. p. 311-17. Primus autem ſtudioſe contulit Bunemannus.

Romanam huius anni editionem, quam Catalogi quidem bibliothecar. praeferunt, fictam eſſe oſtendit iam dudum Bunemannus. Nempe fraudi fuit iſtorum Catalogorum fabris in Veneta h. a. ed. vox Roma in verſibus: *Arguit* etc. etſi ex verſu poſtremo facile intellectu erat Venetias deſcribi.

1472.

L. C. Lactantii Inſt. libri VII. de ira et opificio Dei libri, carmina de Phoenice et feſto Paſchatis Die. — *(In calce:)* Verſus, qui in priori: *Arguit hic hominum* etc. cum diſticho:

> *Impreſſum formis juſtoque nitore coruſcans*
> *Hoc Vindelinus condidit artis opus.*

fol. Accedit *Nephitomon Lactantii.* Eſt haec altera Veneta per Vindelinum de Spira exhibita, et ipſa ſatis elegans, nec tamen typorum, vt mihi quidem videtur, ἀκριβείᾳ prioribus, imprimis Romanis aequiparanda. Character Romanus eſt, notae modo rarae,

rae, modo nimis cumulatae, inter quas praecipue lectorem offendere debet imperfectum coniunctiui per compendium & v. c. *vider&* ſatis frequenter exaratum. Loco Diphthongi *ae* frequens maxime *e* peniculatum. In Graecis characteres quidam comparent in prioribus editionibus nondum viſi; *) itemque accentus, cum ſpiritu leni, qui conſtanter etiam pro aſpero adhibitur, notandi. Incipit ab Indice Rubricarum ſ. argumentorum capitum, quem folio nono Erratorum tabula excipit cum noto Epigrammate finiens folio vndecimo. Tum ſequuntur folio XII. proximo ante ipſum Inſtitutionum initium iudicia variorum de Lactantio. Ac primum quidem Anonymi: *Quomodo legendi ſint libri Lactantii.* Deinde *Hieronymi* et poſtremo *Leonardi Aretini.* ad dominam Conſtantiam vxorem Illuſtris d. Alexandri Sphortiae. Carminibus Lactantii nomen praefixum non eſt; nec adſcribendo locus relictus, ſiquidem et tituli vbicunque impreſſi. Denique hac editione acceſſiſſe primum *Nephithomon* ſ. Inſtitutionum Lactantii Epitomen, tot Virorum Clariſſ. teſtimonio euincitur, vt defectus illius in exemplaribus non paucis obiici nullo iure poteſt. Quanquam enim illa in Bibl. Acad. exemplo non conſpicitur, inſpicienti tamen dubium nullum relinquitur, quin illud cum aliis pluribus mancum ſit. Nec in longinquo quaerenda cauſa erit, cur toties exciderit haec Epitome, quippe quae a reliquo

*) In editionibus Auctorum Graecorum inſecutis temporibus factis tamen ſatis obuii, quod contra *Engelium* moneo, qui (in Bibliotheca Selectiſſima p. 87.) de hac noſtra editione verba faciens, *quam* plurima dicta Graeca, characteribus Graecis, maxime ab illis, qui poſtea in vſu fuerunt, expreſſa eſſe, refert. Nam quod H et N ſubinde pro minuſculis adhibentur, huc omnino non facit.

liquo opere, quod diſticho ſupra laudato media nedum pagina vltima concluditur, reliqua parte vacua ita ſeiuncta eſſe debuit, vt vix et ne vix quidem eo pertinere videretur et absque vllo huius damno reſcindi poſſet; id quod vel propter vſum expeditiorem vel puerorum inſtitutionem ſaepe factum videtur.

1474.

Romae, ap. Vdalr. Gallum. f. Lactantii Firmiani de Diuinis Inſtitutionibus libri VII. etc. *ex emendat.* A. Cnei Sabini *et cum eiusdem Epiſtola* ad Dominicum Epiſcopum Brixienſem. *In calce:*

> Prę̨ſens Lactantii Firmiani prę̨clarū opus: Alma in Roma totius mundi regina et digniſſīa imperatrice: quę̨ ſicut cę̨teris urbibus dignitate prę̨eſt: ita ingenioſis viris eſt referta: nō attramento plumali calamo neq̄ ſtilo ę̨reo: ſed artificioſa quadam adinuentione imprimendi ſeu caracterizandi ſic effigiatum ad dei laudem induſtrię̨q̄ eſt conſumatum. per Vdalricū Gallum Alamanū et Symonē Nicolai de Luca. Anno domini MCCCCLXXIIII. Die uero XII. menſis Februarii. Pontificatu uero Sixti IV. prouidentia Papę̨ quarti anno eius tertio.

Editio ſatis nitida, charactere Romano maiori, Graecis vero litteris rudioribus excuſa. Exordium ducit ab Epiſtola Io. Andreae Epiſc. Alerienſis ad Paulum II. praemiſſa editioni 1470. per typographos Sueynheym et Pannarz. Dein ſequitur argumentorum ſingulorum capitum cuiusque libri tabula, cum erratis Lactantii per Ant. Raudenſem collectis et epigrammate Fr. Adam in eundem: quae omnia 13. occupant folia. Poſt folium deinde album habetur Cnei Epiſtola vnius fere folii, in qua de ſua ille opera pollice-

pollicetur, *ſe collatis, quae hactenus tam Romae quam Venetiis comparuiſſent, Lactantii editionibus veriſſimum conatum eſſe.* Praeter Inſtitutionum, itemque de ira et opificio Dei libros, continet Carmina de Phoenice et die reſurrectionis Dominicae, praefixo hic quidem Lactantii nomine. Finit ſubſcriptione laudata. Quam interiecto folio albo, chartarum regiſtrum excipit totumque opus claudit. Ad hanc aliquoties Iſaeus et Gallaeus prouocant, ſed diligentius ea e Bibl. Fr. Ben. Carpzouii vſus eſt Cellarius.

1476.

Roſtoch. fol. min. Lactantii Firmiani Inſtitutionum libri VII. etc. In Calce: *Firmiani Lactantii* viri praecellentis ingenii, qui vel ſolus inter chriſtianae profeſſionis ſcriptores ſupereminet nitore quodam et copia: vel nullum eorum ſequitur facundia ſimul et lenitate ſermonum. Diuinarum inſtitutionum aduerſus gentes. De ira quoque Dei ad Donatum. Nec non et de opificio Dei vel formatione hominis ad Demetrianum finiunt libri *Per fratres presbiteros et clericos congregationis domus viridis horti ad ſanctum Michaelem in opido Roſtockcen* partium inferioris Sclavie. prout facultas et induſtria tulit emendate ſatis et accurate conſummati. Anno incarnationis dominicae. Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto. Quinto Idus Aprilis. Deo Gratias. Charactere Gothico hic Lactantius exſcriptus. Praemittuntur ſolemnia omnibus huc vſque Lactantii editionibus, argumentorum cuiusque capitis index cum erratorum tabula, ſubnexo itidem epigrammate in Antonium Raudenſem, quae omnia, praecedente folio albo, occupant folia XII. Caeterum habet haec editio ſingulare quidem hoc, quod non modo Epitomen, ſed etiam carmina de Phoenice, in ſuperioribus vulgata paene

paene ſingulis, praetermiſerit, ſolo carmine de Reſurrectionis Dominicae Die inſtructa. Loco Graecorum citatorum itemque titulorum cuiusque libri eiusdemque primi capitis vbique vacuum ſpatium eſt relictum; ſubſcriptio rubrica impreſſa conſpicitur; denique chartarum regiſtrum non habet haec editio, ſed folium in fine album eſt relictum. Hanc editionem Gallaeus perperam MS. Roſtoch. appellat, eaque ſatis perfunctorie eum vſum eſſe Bun. iudicat. Hic autem poſt Heumannum diligentiſſime excuſſit.

1478.

Venetiis. f. Lactantii Firmiani Inſtitutionum libros VII. etc. *Veneta III.* In calce haec leguntur: *Hoc opus impreſſeerunt* (ſic) *Veneciis Magiſter Andreas de Paltaſichis Catarenſis et Boninus de Boninis ſociis: Regnante inclito ac ſereniſſimo principe domino Ioanne Mocenigo dei gratia Venetiarum duce.* M. CCCC. LXXVIII. XII *marcii. Arguit hic hominum ſectas* etc. — *Poſt regina premit quippe colenda maris.* Exhibet libros VII Inſt. de Ira: Opif. Phoen. Reſurr. et poſtremo loco*) Epitomen, quam vocat initio *Nephythomon*, in fine *Ephythomon.* **) Praemiſſa eſt tabula argumentorum capitis cuiusque et erratorum Lactantii per Raudenſem collectorum, ſubiecto, vt equidem opinor, epigrammate ſaepius laudato; ***) quae omnia IX folia occupant, quibus a fronte

*) Non ſeparatim, vt in ſuperioribus editionibus cernitur, ſed caeteris opuſculis ita adhaeret, vt ſeiungi ſine voluminis damno nequeat.

**) Ita res ſe habet et ſic editiones ſqq. omnes. Inuerſo ordine commemorauit eadem Bunemannus et ex eo Bipontini Socii perperam.

***) Quod Bibl. Regio-Acad. Gott. ſeruat exemplum, hoc quidem folio caret bibliopegae culpa, qui primum folium

fronte folium album accedit. Habet regiſtrum chartarum poſt Epitomen in fine operis plagularumque ſignaturas et numeros. Typi ſunt nitidi, ſed haud raro vitioſi. Graeca citata exhibet typis rudibus, et tam literis quam accentibus ſaepe prauis, iisque verſionem Latinam annectit. Hanc editionem a prioribus editoribus nondum conſultam diligentiſſime compoſuit Bunemannus, eamque ad differentiam ſequentis Venetam primam 1478. appellat. Caeterum non ſilentio praetereundum eſt, quod idem ille Vir diligentiſſimus (ad ſequ. ed. Ven. a. 1483.) notauit, huic editioni Ven. 1478. per *Bonin. de Boninis* originem debere editionem Bononienſem 1488. a Catalogi Bibl. Gudianae confectore procuſam.

* *

Veneta IV. fol. altera a 1478. Hoc fine ante Epitomen: Impreſſum eſt hoc opus Venetiis impendio prouidorum virorum Iohannis de Colonia: Iohannisque Mauthen de Gheretzem ſociorum Anno ſalutis dominicae. M. CCCC. LXXVIII. XXVII Auguſti.

Laus Deo.

Arguit hic etc.

Continet eadem prorſus ac ſuperior. Habet tamen regiſtrum chartarum ante Epitomen, vt videantur conſilium addendi Epitomen ex priori Ven. 1478. poſt abſolutum opus demum ſuſcepiſſe.*) Commendatur vero, vti plerique libri a Io. de Colonia exſcripti, typorum nitore et accurata ſcriptura. *Bunem.*

N 2 In

folium album, quod eiusdem cum decimo plagulae fuerat, tegumento voluminis alleuit.

*) Hinc facilis pereundi cauſa; et in vno tantum ex duobus exemplis, quae in Bibl. Regia extant, deprehenditur.

In Graecis tamen ſuperiori vix praeſtat. Falſo quibusdam memoratur Coloniae impreſſa, deceptis nomine patriae typographi. Heumannus hanc ante Bunemannum conſuluerat; hic vero prae multis aliis antiquis accuratam eam eſſe cenſet.

1483.

Veneta V. fol. per *Bernhardinum de Benaliis, Bergomenſem*, memoratur Fabricio, aliisque; dubitat vero de ea Bunemannus, ſuſpicans, eam confuſione numerorum LXXXIII. et LXXXXIII, lectoribus et Catalogorum confectoribus frequenti, ex illa Vincentii Benalii 1493. male natam eſſe. Illam certe nemo ſibi ipſi viſam dicit, tametſi nec ad eam tollendam haec vna ratio ſuffecerit. Sed confer omnino Bunemannum.

1490.

Veneta VI. fol. *In calce:* (poſt Ephytomon) Impreſſum Venetiis per magiſtrum Theodorum de Ragazonibus de Aſula. Anno incarnationis domini. Vigeſimo primo menſis Aprilis. Continet eadem ac ſuperiores. Argumentorum ac Erratorum tabulam excipiens folium exhibet epiſtolam Io. Andreae Alerienſis, vnde ex Romana a 1470. repetitam eſſe intelligimus. Hanc contulerunt Iſaeus, Gallaeus, Cellarius. Bunem. eam cum edd. proxime ſequentibus conuenire obſeruat.

1493.

Veneta VII. f. impreſſ. per *Vincentium Benalium* a. M. CCCC. LXXXXIII. vigeſimo ſecundo menſis marcii. Repetitionem Romanae a. 1470. cenſet Bunemannus, qui accuratius illam poſt Iſaeum comparauit, propter ſimilitudinem, quae illi lectione foliisque cum Veneta a. 1497. intercedat. Epiſtolam

lam tamen Andreae Alerienſis non habet; contra Hieronymi et Leonh. Aretini quaedam de Lactantio teſtimonia. Quae ſi iuſtum ſuſpicioni locum darent, ad exemplar editionis II. Venetae per Vindelinum de Spira 1472. expreſſam eſſe hanc editionem dicendum eſſet.

1494.

Veneta VIII. fol. Lactantii Firmiani de diuinis Inſtitutionibus Libri ſeptem. Eiusdem de ira Dei ad Donatum. De Opificio Dei et formatione hominis ad Demetrianum. Carmina eiusdem de Phoenice et de Die reſurrectionis Dominicae. Nephitomon eiusdem. Item Tertulliani apologeticus aduerſus gentes perquam diligentiſſime caſtigati ac nuper impreſſi *Venetiis* cura et expenſis Nobilis viri Domini *Octauiani Scoti* Modoetienſis M.CCCC.LXXXXIV. quinto Idus Octobris per *Bonctum Locatellum.* — Sic eſt in Catal. Bibl. Vffenbach. T. II. App. I. Incunab. typogr. n. CL. p. 55. VI. thalerorum pretio aeſtimatum. Typographi tamen nomen mendoſe videtur exſcriptum, quem alias nouimus *Bonetum Locatellum.* Editio haec neque a Fabricio neque a Bunemanno laudata eſt. BIPONTINI.

1497.

Veneta IX. fol. *per Simonem Bevilaquam Papienſem Anno Inc. Dom.* M. CCCC. LXXXXVII. *die quarto Aprilis.* cum Io. Andreae Epiſc. Alerienſis Epiſtola, quam iam VI. Veneta a. 1490. repetierat. Folia, lectiones, itemque regiſtrum chartarum in fine eadem eſſe ac in editione a. 1493.*) Bunemannus notauit.

S. l.

*) Non item in ed. Romana a. 1470. Nam quod ille, *viderint*, inquit, *qui Rom. 1470. in Bibl. Gerana inſpi-* *cere*

* *

S. l. et a. quatuor ſoliis formae quartae: L. Coelii Lactantii Firmiani poetae et oratoris facundiſſimi de Phoenice vnica aue Arabiae Carmen. Cui additur P. Ouidii Naſonis ex Metamorph. verſus de eadem. — Eius exemplum poſſidet Cl. Io. Chriſt. Wernsdorf, in cuius fronte viri docti manus notavit, impreſſum eſt *Swollis* apud *Petr. Offenſem.* BIPONT.

1500.

Pariſina I. L. Coelii Lactantii Firmiani diuinarum Inſtitutionum aduerſus Gentes etc. Libb. cum *Egidii Delphi* annotamentis, aliaque pro *Ioanne Petit* bibliopola a calcographo Nicolao *de pratis* impreſſi. 1500. Ad hoc exemplum repetitas eſſe editiones a. 1509. et 1513. Bunemannus, qui idem olim poſſederat, teſtatur, et quantum ego quidem ex Bipontinorum diuinare poſſum notitiis, ex amuſſi illi habitu externo etiam reſpondent. Tum vero Aegidii Maſerienſis praefatio, quam demum ad ed. a. 1509. commemorant, huic etiam primae Pariſinae ineſſe debet

cere poſſunt, num forte in fine ſit ſimile regiſtrum; num eodem verbo cum noſtris folia incipiant," in eo oblitus eſt Vir in hoc literarum genere eximie verſatus, quique ignorare illud non poterat regiſtrum in antiquiſſimis, quales Romanae iſtae ſunt, editionibus omnino nullum eſſe. Neque ſuſpicari debebat, repetitam a. 1497. editionem ex editione a. 1470. paginas pariter ac lineas eius referre. Nam ne dicam typographos artis progreſſu in dies magis chartae parcendae ſtuduiſſe, ita vt iam folio minori lineas XXXXVI. imprimerent, cum priores niſi XXXVI. ſ. VIII folio magno inſcripſiſſent, vix vnam vel alteram ex antiquiſſimis vel vno eodemque anno ex altera repetitis editionibus paginas lineasque easdem ſeruaſſe conſtat.

bet et reliqua ſingula, quae ed. a. 1513. repetita exhibet, vt vberius ibi declarandi erit locus.*)

Saec. XVI. 1502-1600.

1502.

Veneta X. Titulus (in cunei figuram gothico charactere maiori exaratus) ſic ſe habet: *Habes* in hoc volumine lector optime diuina Lactantii Firmiani opera perquam accurate caſtigata: graeco integro adiuncto: quod in aliis cum mancum, tum corruptum inuenitur. Eiuſdem Neophytomon. Carmen de Phoenice. Carmen de Reſur. Dñi. Habes etiam Io. Chriſ. de Eucha. quandam expoſitionem et in eandem materiam Lau. Vall. ſermonem. habes Phi. adhortationem ad Theodo. & adverſus gentes Tertulliani apologeticon. †. Cum gratia et priuilegio. Subiecta figura ligno inciſa agnum Dei monſtrat. Pagina auerſa praebet Epiſtolam Ioannis Tacuini ad Cardinalem Cornelium dat. Venetiis a. M.CCCCC.II. quinto decimo Kalen. Ianuarias, ſubnexo Io. Petri Valeriani Epigrammate:

Lacteus in lucem quoties Lactantius almam
Prodiit excuſſis dentibus ora tulit.

 Eſt

*) Mirum tamen qui factum ſit, vt nemo huc vsque primae iſtius editionis accuratam notitiam dederit. Maittairius vt Bunemannus iam obſeruauit, ne vnius quidem editionum Pariſinarum apud Io. Paruum meminit. Bunemannus dum ipſe deſcripturus eſſet eam accuratius, ea carebat. Neminem dehinc inueni, qui de ea verba feciſſet. Fuit, Bipontinis teſtibus, in Collectione quorundam librorum etc. (Ioach. Chph. Nemeiz, conſ. quondam aulici Bipont.) Argentorati in aedibus Rappolſtunenſibus venalium an. 1745. et in Bibl. C. G. Schwarzii, Prof. Altorf.

Eſt itaque explicito nunquam ſermone locutus:
Nec bene Romano: nec bene Cecropio.
Vir bonus vt doluit ſortem Tacuinus iniquam:
Qui bene ſanarent: appoſuit medicos.
Authoris praeſtans igitur facundia tanti
Integra compoſitis dentibus ora feret.

Haec vt totum volumen exſcripta ſunt literis Romanis. Ipſi operi VII. foliis praemiſſa eſt Argumentorum cuiusque capitis librorum Lactantii tabula reliquis libellis tantum ſummatim indicatis, tum Erratorum per Raud. coll. index, et in calce huius pauca in Graecis emendanda notata, quae finiunt his verbis: In reliquis, quod vel ſpiritu: vel accentu: (in quibus haec editio ſuperioribus profecto eſt longe praeſtantior) vel vnius literae mutatione fuerit omiſſum Valerianus te rogat, ſtudioſe lector: vt id penuriae typorum aſcribas: et quicquid illuderit, per te, quod minimo labore fiet, emacules.“ Ab Ephytomo (ſic in fine ſcribitur, vt in ſuperioribus edd.) inde reliqua hoc ordine ſe excipiunt: Carmina in titulo promiſſa, duobus columnis exarata; Ex priori epiſtola Pauli ad Corinthios Cap. XI. et in hoc Io. Chryſoſtomi enarratio interprete Hieronymo Donato patritio Veneto. Laurentii Vallae de myſterio Euchariſtiae ſermo. Adhortatio Philippi ad quendam Theodoſium judaeum, vt Chriſti religionem relicta judaeorum ſuperſtitione coleret. Iam in calce: *Io. Petrus Valerianus Bellunenſis piis Lectoribus S. Nequid chriſtianae pietatis amatori deſit, impreſſo iam elegantiſſimo Lactantii Firmiani opere — viſum eſt cum iis Tertulliani diſſertationem — et aliqua de Euchariſtia ſubiungere: — Quare praeclaram Io. Chry. — addere collibuit, neque non Lau. Vallenſis* etc., Sequitur ſubſcriptio: *Diuina opera Lactantii Firmiani et aliorum ſupra dictorum Impreſſa Venetiis*

netiis mira arte et diligentia Ioannis de tridino cognominati Tacuinus finiunt. M. CCCCC. II. *die III. Ianuarii dominante inclyto principe Leonardo Lauredano.* Subiectum eſt Regiſtrum chartarum A-V. Omnes Quaterni. Foliis ſingulis in hac editione numerus adſcriptus, quorum ſumma ab Inſtitt. initio exit CLX. A Tertulliani vero, qui dehinc ſequitur, libello de nouo chartae numerantur, ita vt cum Sermone de vita aeterna XXII. folia occupet. In fine adiecta argumentorum cuiusque capitis tabula; denique ſubſcriptio: *Quinti Sep. Tertuliani apologeticus adverſus gentes cum ſermone pulcherrimo de aeterna vita explicit. Quod opus arte et impenſis Ioannis Tacuini fuit impreſſum Venetiis anno domini 152.* (ſic) *die nono Ianuarii: dominante Leonardo Lauredano principe illuſtriſ.*

> Regiſtrum huius operis a b c ſunt terni, d eſt duernus.

Exarata eſt haec editio typis nitidis, Graecis tamen adhuc rudioribus. Literae initiales omnes figuris quadratis ligno inciſis ſunt impreſſae; inter quas maiores, quae librum aliquem auſpicantur, egregium produnt artificium. Prima item litera primi Libri Inſtit. minio eſt impreſſa formae maximae itemque titulus initio Inſtitutionum literis capitalibus impreſſus minio fulget. Accuratiorem hanc editionem eſſe quam multae prius impreſſae Bunemannus cenſuit.

* *

Pariſiis in Bellouiſu, apud *Io. Petit.* 4. Carmina de paſſione et reſurrectione Dominica in *Beroaldi opuſculis* a fol. 93 - 96. cum breui expoſitione Aſcenſii.

1506.

Coloniae. apud Quentell. L. Celii Lactantii Firmiani christianorum eloquentiſſimi de opiſicio dei vel formatione hominis liber per viginti vnum capita distributis: cum eloquentia: tum eruditione praeclarus. In fine: *L. Firmiani viri juxta docti et eloquentis Liber de formatione hominis ad Demetrianum auditorem ſuum felici atque caſtigatiſſimo componitur exitu Colonie in officina Quentell Anno ſupra ſeſquimilleſimum ſexto ad feſtum Gregorii pape eruditiſſimi diem.* Litteris gothicis exſcriptis plagulis IV. cf. quoque Bipont.

1509.

Veneta XI. ſ. titulus vt in Veneta X., prima tamen linea literis gothicis quadratis exſcriptus paulo etiam verboſior ſic ſe habet: Habes in hoc volumine lector optime diu L. F. op. nuper per *Ianum Parrhaſium* accuratiſſime caſtigata: graeco — inuenitur. In hoc vero emendatiſſimum inuenies. Eiusdem Epitome. — Apologeticon: habesque tabulam nouiter impreſſam. Auerſa pagina eādem continet Tacuini epiſtolam et Valeriani Epigrāma ac ſuperior Veneta. Sequitur VII foliis ſub titulo: Elenchos huius operis, praefixo de Lactantio teſtimonio ex Hieronymo de Viris illuſtribus, Argumentorum, ſecundum capita ſingula, it. aliquorum libellorum et Erratorum L. per Raud. tabula. Hanc excipit quatuor foliis Index rerum ac vocum ſ. *Index vocabulorum notabilium ex vnoquoque capite per abecedarium ordine ſuo recte comparatus.* Reliqua omnia habet cum praecedente Veneta communia, eundem chartarum numerum ac regiſtrum (ad paginas enim illi cum ſuperiori conuenit), eundem circa literas initiales ornatum, idem in fine ante Tertulliani apologeticum Io.

P. Val.

P. Val. Bell. ad Lect. alloquium etc. Excellit vero longiſſime graecorum typorum elegantia, aequalitate, nitore, tandem ſcriptura emendata, quae in accentibus et ſpiritibus etiam rariſſime peccat, ita vt hac demum Lactantii editione Graeca graece exſcripta iure optimo dicas. Quod ſupereſt, in marginibus habet ſcholia breuia, ab Aegidii Delphi Scholiis in ed. a. 1513. 4. diuerſa. — Veneta Parrhaſiana, a. 1510. f. quam Catalog. Bibl. Bernenſ. Libr. Impreſſ. (Bernae 1764.) T. I. p. 137. laudat, eadem ſine dubio eſt cum noſtra. vide Bunemannum.

* *

Pariſina ſecunda. Lepida Lactantii Firmiani opera accurate graeco adiuncto caſtigata: Eiusdem Nephytomon: Carmen de Phoenice et Chriſti Reſurrectione. Io. Chry. de Euchariſtia Sermo. Lau. Vall. ſermo. Phil. ad theo. adhortatio. *Sub inſigni Bibliopolae ligno impreſſo:* Venumdantur in vico Diui Iacobi ſub Leone Argenteo. *In fine*; poſt enumerata, quae volumen continet, argumenta: *Pro Iohañe Petit fideliſſimo bibliopola In Bellouiſu Impreſſi: Anno domini M. CCCCCIX. Die vero XII. menſis Septembris feliciter finiunt.*

Cum plurimorum ſit opinio hanc editionem ex Pariſienſi a. 1500. ſimpliciter deſcriptam, dein transfuſam eſſe in ed. 1513., indicare ſatis ſit, quibus vtraque differat modis. Atque titulum et ſubſcriptionem appoſuimus. Continet porro X. primis foliis eadem omnia ac ſingula, quam illa. Hoc differt, quod pagina altera folii Xmi effigiem ſiſtit ligno impreſſam, qua Lactantium innui, non vana coniectura fuerit. Porro folium vltimum poſt ſubſcriptionem pagina altera praebet Egidii Maſerienſis ad maledicum Elegiacum Carmen, altera imaginem ligno impreſſam,

impreſſam, quae quo pertineat, neſcio. Egidii Delphi Scholia non habet, ſed rara in margine auctorum paſſim laudatorum nomina vel de rebus plerumque non memorabilibus notata. Poſt carmina F. CXCI. pag. alt. ante Tertuliani exordium legitur Epigramma: *Arguit hic hominum* etc. Caeterum nitidior multo et correctior haec eſt editio, quam tertia Pariſienſis, vſu tamen critico illi cedit.

* *

Baſileae. 4. Carmina de paſſione et reſurrectione Dominica. in *Beroaldi opuſculis* a fol. 93-96.

1511.

Veneta XII. f. Repetitio XImae apud eundem *Io. de Tridino* facta.

1513.

Pariſina III. 4. *ap. Io. Petit.* Titulus inſigni Bibliopolae ligno expreſſo ornatus ſic ſe habet: „Lepida Lactantii Firmiani opera accurate graeco adiuncto caſtigata: Eiusdem Nephytomon: Carmina de Phoenice et Chriſti reſurrectione. Io. Chry. de Eucharistia Sermo. Lau. Vall. ſermo. Phil. ad theo. adhortatio. *Venundantur Pariſiis in vico ſancti Iacobi ſub interſigno Lilii aurei.*" — Pagina auerſa ſtatim incipit Egidii Maſerienſis ad ſpectate Indolis adoleſcentes Ioannem Poncet et Iacobum Maſerienſem praefatio, ex ſecunda Pariſina repetita, cui ſubiuncta ſunt *Eiusdem ad diſcipulos in libri commendationem* diſticha et *Eiusdem* ad bone indolis adoleſcentem Guillermum Baterel Ode. Sequitur *Tabula Alphabetica* ſ. *Indices rerum iſtis in libris contentarum ſecundum litterarum ſeriem* quinque foliis. Hunc excipiunt *Guillermi Baterel Pariſienſis ad Egidium Maſerien-*

Maſerienſem Parrhiſianum Ode et *Iohannis Poncet Pariſienſis ad eundem tetraſtichon*, dein erratorum Lactantii per Io. Raudenſem coll. tabula vt in ſuperioribus editionibus, cui quaſi praef. loco excuſatio vitiorum typographicorum praemittitur. Adduntur Erratorum index et in fine eius *Egidii Maſerienſis Ad Lectorem* diſtichon erratorum veniam deprecans, totum ampullis et ſeſquipedalibus verbis conſtans. Praeter ea, quae in titulo profitetur haec editio, exhibet etiam *Tertulliani apologeticum* carminibus ſtatim ſubiectum, praemiſſis ſimul Lactantii et Hieronymi de eo teſtimoniis ſubiectoque capitum indice. Sequuntur reliqua, expoſitio Io. Chryſoſtomi et Laur. Vallae ſ. de Euch. Phil. adhort. ad Theodo. — Nec hic tamen finitur volumen, ſed in calce demum proſtat *Io. Petri Valeriani Bellunenſis ad Lectores Epiſtola* in ſuperiori editione indicatá; hunc vero excipit *Sermo de vita aeterna,* poſt quem in fine ſubſcriptio: *Pro Ioanne Petit fideliſſimo bibliopola apud magnum ortum ab optimo chalcographo Nicolao de Pratis Impreſſi. Annn dñi M. CCCCC. decío tertio. Kalendas januarias nono finiuntur feliciter.* Tandem nec vltimum quidem folium album totum reliquere typographi, quippe quod *Egidii Delphi ad Borbonicos* adoleſcentes diſcipulos de Lactantio et de libris (eius) extantibus epigrammata tria offert. Haec editio praeter breues illas, quas in Veneta XI. f. iam laudauimus notationes, habet etiam Eg. Delphi ſcholia partim margini appoſita, partim, vbi prolixiora eſſent, ipſi textui ſubiuncta, non ſine magno vtilitatis et concinnitatis damno. Sic Fol. CLIII. errore typogr. exaratum eſt Fol. LIII. In fine libri VII. Inſt. additum eſt tale adnotamentum, ad cap. XXIIII. huius libri (quod Fol. CL. ſecus ac in aliis editionibus de verbis: *Verum ille cum deleuerit iniuſticiam* etc.

incipit

incipit*) ſpectans, propter prolixitatem (ſic ibi legitur) a typographis in finem vsque reſeruatum. Item poſt librum de Ira Dei Fol. CLXXI. pag. altera extat ſcholion ad cap. XIIII. libri VII. Inſtitutionum. Denique Fol. LXXII. ſub rubrica: *Sequitur Epitome Diuinarum Inſt. Lactantii Firmiani*, non Epitome ipſa, quae multo inferius poſt librum de opificio hominis Fol. CLXXXI. initium habet, ſed capitum illius argumenta, locis ſimul Inſtitutionum, ad quae vnumquodque pertinet, indicatis exhibentur et annexa ſunt *peccata in Epitome* ſ. emendationes verius textus impreſſi, quibus adſcriptum in fine: *Haec notauit Egidius Delphus Socius Sorbonicus ac Theologus Doctor.* Deinde incipit liber de opificio rel. Satis, puto, ex iis, quae dicta ſunt de hac editione, iudicari poterit. Diſpoſitionis laude omni caret, praeterea nec typorum elegantia commendatur (Graeca exſcripta ſunt literis putidiſſimis) nec in textum cura. Quippe inſunt abbreuiaturae crebrae inconcinnae, diſtinctiones ineptiſſimae, errores operarum in textu et foliorum numeris permulti; de accentibus graecis omnino ſileo; porro in literarum ae, e, et e peniculati itemque literarum initialium maiorum ſeu minorum ligno impreſſarum vel ſimplicium vſu, nulla conſtantia. Hac tanta deformitate offenſus eſſe videtur *Sandius*, qui in *Nucleo Hiſt. Eccleſ.* ex peſſimis et corruptiſſimis hanc editionem eſſe cenſuit, quo nomine tamen a Bunemanno reprehenditur, qui ſecus eius ſententiam ad verborum proprietatem acceperat. Nam lectiones optimas frequentes habet, quas magnis laudibus eximius iſte cenſor effert, quibusque tantum abeſt, vt cum ed. Pariſ. a. 1509. conueniat, vt toto potius coelo diſcordet. Quod eo magis impulit, vt in deſcribenda

*) Nimirum omnes hoc caput a verbis: *Nunc reliqua ſubnectam*, exordiuntur.

benda hac editione eſſemus prolixiores, cum praeterea Maettarius de Pariſinis edd. omnibus prorſus ſileat et prima, ſi modo extet, ſit rariſſima.*)

* *

Florentiae. 8., apud *Phil. Iuntam*, ex Mariani Tuccii recognitione: Quae in hoc opere contineantur. L. Coelii Lactantii Firmiani diuinarum inſtitutionum libri ſeptem. Eiusdem de ira Dei Liber vnus. Item de opificio Dei Liber vnus. Eiuſdem Epitome in libris ſuis. De diuinis inſtitutionibus. In calce carmen de Phoenice et de Dominica reſurrectione. In fine: Hoc opus praecipua diligentia caſtigatum et cura ſumma excuſum eſt Florentia ſumptibus Philippi de Giunta Florentini A. D. M. D. XIII. menſe Octobri.

M. Tuccius in praef. ad Cardinal. Innocentium *Cibo „ſe per triennium nihil aliud pene legiſſe aut elaborauiſſe*, inquit, *et patrocinio literatorum hominum vſum et cura atque labore ſuo, quam vt huic auctori ſua puritas, integritas et majeſtas reſtitueretur.* An libris vſus ſit MS. et quibus non nominauit. Illud etiam ex nimia moroſitate dictum ab eo exiſtimes: *Lactantium ad ſuam aetatem vsque corruptum, lacerum*

*) Vereor equidem, ne mancum aliquod annorum 1509. ſ. 1513. exemplum, cui annus 1500. male eſſet adſcriptus Bunemanno parum tunc de iſtis minutiis curioſo et dum accuratius inſpecturus erat, illud deſideranti impoſuerit, quod aliis etiam accidiſſe aliquot harum ipſarum editionum exempla Bibl. Acad. docent. In quo ſi fallar, doceri velim ab eo, cui editionis a. 1500. ſit copia, quantum illa cum ſqq. concordet. Vix enim Valeriani Bellunenſis epiſtola huic ineſſe poteſt, quae primum, vt demonſtratum eſt, editioni Venetae a. 1502. acceſſit, niſi forte Venetam aliquam penitus ignoremus.

lacerum et ſordidum eſſe lectum. Textum praecedunt Hieronymi de L. iudicium, Argumenti capitis cuiusque index et Errata L. Additur denique huic editioni, ita tamen vt per ſe ſtare poſſit, Tertulliani Apologet. adu. Gentes. In fine eadem leguntur ac ſupra. Contulerunt hanc ed. Iſaeus, Gallaeus et Heumannus.

Baſileae. 4. Carmen de reſurrectione et Carmen de Paſſione — inter *Beroaldi Opuſcula.* Bip.

1515.

Veneta XIII. f. Aldina I. 8. L. Coelii Lactantii Firmiani diuinarum inſtitutionum Libri ſeptem. De ira Dei, Liber I. De opificio Dei, Liber I. Epitome in libros ſuos acephalos. Phoenix. Carmen de Dominica Reſurrectione. *In fine:* Venetiis in Aedibus Aldi et Andreae Soceri. Menſe Aprili. M. D. XV. Curam huius editionis geſſit ab Aldo ſibi demandatam *Io. Bapt. Egnatius.* Praemittuntur more ſupp. edd. teſtimonium Hieronymi de Lactantio, et Capitum argumenta. Sed abeſt ab h. ed. primum Erratorum Lactantii tabula. In Calce ſubiicitur interpretatio *Dictionum Graecarum, quae in Lactantio reperiuntur, de verbo ad verbum facta, recenſente, emendanteque Marco Muſuro,* item Lactantii Carmen de Paſſione Domini, quod in vetuſtis exemplaribus ſe deprehendiſſe editor affirmat, denique lectiones variae inſigniores et textus impreſſi correctiones. Egnatius qui in praefixa ad Antonium Triuultium Regis Francorum ad Senat. Venet. Oratorem *tanto hoſce libros caſtigatiores eſſe contendit caeteris Lactantii libris, qui ad hanc diem impreſſi leguntur, quanto Aldus ipſe in hoc genere laudis omnes alios facile praeſtet.*

praeſtet. Aeſtimanda vero eſt haec editio non ex ſola textus impreſſi lectione, ſed correctionum quoque in calce additarum ratio haberi debet, *in quibus*, vt Egnatius inquit, *et diverſa lectio addita eſt, et quaedam diſtinctius ſunt notata.* Quod Bunemannus plane non animaduertit, qui conſtanter Aldinae primae lectiones ex textu impreſſo laudat et ſequentibus paſſim edd. lectiones tribuit, quae dudum in his Egnatii correctionibus proditae erant. Hinc denique recte ſe habere didicimus, quod ſupra ad Tertullianum dubitanter et ſuſpenſo veſtigio erat a nobis poſitum, Tertulliani Apologeticum vna cum Lactantio, ſeorſim tamen eſſe excuſum. Nam textus Lactantiani correctionibus laudatis ſubiiciuntur duo menda typographica in Apologetico emendanda, quae paginis lineisque indicatis in peculiari illa Apologetici editione omnino extant.

1520.

Lipſiae, ex off. Melch. Lotteri. 4. Coelii Lact. F. de opificio Dei, vel formatione hominis ad Demetrianum liber, editore *Herm. Tulichio.*

* *

Baſileae, 4. Carmen de Reſurrectione et Carmen de paſſione cum breui Aſcenſii expoſitione in *Beroaldi opuſculis* a fol. 86 - 89. cuius editionis exemplo Bibliothecae Acad. varia, vt equidem ex literarum ductibus iudico Heumanni manu, ſunt adſcripta.

1521.

Veneta XIV. fol. ad Parrhaſianam 1509. conformata. Adhibita ab Iſaeo et Gallaeo.

* *

Baſileenſis I. 4. oblongo, ap. *Andr. Cratandrum*, L. Coelii Lactantii Firmiani Diuinarum Inſtitutionum Libri VII. De ira Dei, Liber I. De opificio Dei, Liber I. Epitome in libros ſuos liber acephalos. Phoenix. Carmen de Dominica reſurrectione. Carmen de paſſione Domini. In fine: Baſileae apud Andream Cratandrum menſe Februario. Anno MDXXI. In fine praefationis ad *omnes Solidioris Theologiae* ſtudioſos Dat. Baſ. In officina literaria. Idibus Februar. A. 1521. Cratander doctus typographus, „*Huius*, ait, *diſertiſſimi uiri egregia opera*, — *a nobis uenuſtioribus transſcripta typis*, *et quanta potuimus diligentia*, *ad plurium exemplariorum fidem recognita in manus ueſtras damus. In quibus nonnunquam*, *uarietate codicum oblata* (impreſſos puta), *aliam lectionem apponi curauimus:* vt ſi vnum iſtum libellum ſemel nacti fueritis, multa et diuerſa Lactantii exemplaria uos adeptos affirmare poſſitis.“ Si vera vis, ſequitur Cratander omnino Egnatium, i. e. Aldinam primam ex correctionibus Egnatii textui Aldinae poſtpoſitis, bono tamen cum iudicio et, de quo viri grauitas dubitare nos non ſinit, fide earum, ex aliis editionibus explorata. Singula etiam capitum argumenta, Graecorum interpretamenta etc. eodem ordine ac Aldina exhibet. Excellit vero haec editio chartae et typorum nitore, paginas numerat, et cuſtodes per folia ſingula oſtendit; nec minor in operarum recognitione adhibita eſt diligentia.

1524.

Baſileenſis II. Cratandri, 4. apud *Andr. Cratandrum.* Repetitio Imae teſte Bunemanno. Idem a Gallaeo hanc a. 1523. citari monet.

1529.

1529.

Baſileae in off. Frob. per Hieronymum Frobenium et Io. Heruagium. 8. Liber Lact. Firm. de Opificio Dei per Deſid. Eraſmum Roterod. accurate recognitus et ſcholiis illuſtratus. Eraſmus in epiſt. ad Tielmannum Grauium ſiue a Foſſa: „*Tibi lacteum mitto munuſculum Firm. Lactantii Opuſculum de Opificio Dei ſ. Formatione hominis. — Id aliquot dierum opella partim* ex vetuſtiſſimo Codice *repurgaui mendis, in quibus reperias aliquot, quae nulla diuinatione poterant reſtitui. Adiecimus ſingulis capitibus adnotatiunculas.*" Quae licet vna cum lectionis varietate vltra cap. XI. non progrediantur, meliores tamen lectiones per integrum librum in textu continuantur, ad quas multos editores non attendiſſe, Bunemannus accuratiori comparatione oſtendit. Heumannus vitioſe in praefatione citat Eraſmi editionem Baſil. 1519. quod ortum ex praua ſcriptura editionis Antwerp. 1532. nam idem vitium in anno occurrit in edit. Antwerp. Gymnici 1539. finita dedicatione; vbi rectius ed. Frobeniana i. e. prima Baſil. 1529. 10. Cal. Mart. Nec aliter habet T. III. Operum Eraſmi in parte poſteriori ſiue Epiſtolarum Parte Secunda ed. nouiſſ. Lugd. Bat. f. 1658. epiſt. 1015. In ed. Frobeniana liber de Opificio eſt adiunctus Eraſmi ſcripto, cui titulus eſt *Viduae Chriſtianae.* BVNEM.

Eodem anno Pariſ. 8. typis Simonis Colinaei. Idem liber de Opificio cum Eraſmi ſcholiis repetitus eſt. *Maitt. T. II. p. 2. p.* 716.

1532.

Baſileenſis III. Cratandri. fol. Conr. Geſnerus in Bibl. f. 486. dicit excuſam apud *Cratandrum* in

fol. chartis 180. cum indice. Maittairio non innotuit. Ex Bipp. notitiis diſcimus in Bibl. Frcf. ad M. exemplum aſſeruari. Repetitio priorum cenſeri ſolet; quod veriſimillimum. Attamen ſcire velim, num liber de opificio ex Eraſmi recenſione ſit exſcriptus, nec ne.

* *

Antwerpiae ex officin. Ioan. Graphei (Anno M. D. XXXII. menſe Martio). „L. Coelii Lactantii Firmiani Diu. Inſt. Libri VII. De ira Dei Liber I. de Opificio Dei Liber I. per De. Eraſmum Rot. recognitus et ſcholiis illuſtratus. Epitome in libros ſuos Acephalos. Phoenix. Carmen de Paſſione Domini. Carmen de Dominica reſurrectione. Praeterea eorum, quae in toto hoc opere notatu digniora uiſa ſunt indicem praepoſuimus." Expreſſa eſt Cratandriana, variasque lectiones, quae in margine illius (primae) leguntur, et haec refert, inconcinne tamen in ipſo textu verbis ſtatim ſubiunctas. Librum de opificio, vt titulus profitetur, ex recenſione Eraſmi praebet. Hinc magis etiam ſuſpicor, idem iam in M. Cratandri editione eſſe factum. Dedicatio Eraſmi ad Tielmannum libro de Opificio H. praefixa, perperam a. 1519. eſt ſignata, vt Bunemannus iam obſeruauit.

* *

Lugduni. 12. Ex fide Bipontinor. Soc. laudo. Alibi memoratam hactenus non vidimus.

1535.

Veneta XV. Aldina II. Faſitelii. „L. Coelii Lact. Firm. Diu. Inſt. Libri VII. proxime Caſtigati et aucti. Eiuſdem de ira Dei Lib. I. Epitome in libros ſuos,

ſuos, liber acephalos. Phoenix. Carmen de dominica reſurrectione. Item Index in eundem rerum omnium. Tertulliani liber apologeticus c. indice. ALDVS. M. D. XXXV. *In fine.* Venetiis in Aed. Haeredum Aldi, et Andreae Soceri, menſe Martio, M. D. XXXV. Curauit hanc ed. Honoratus Faſitelius de literis antiquis per conſilia, quibus Paulo Manutio iuueni, qui patrem vix triennis amiſerat, ſtudiorum primus moderator, deinde ad edendos graecos romanosque optimos ſcriptores auctor et hortator extitit, optime meritus. Extollit quidem Paulus in epiſtola nuncupatoria ad *Germanum Minadoum Monachum Caſinatem* Faſitelii amicum humanitatis et vrbanitatis pleniſſima et ex animo viri amantiſſimo profecta ingentibus laudibus eius in ſe beneuolentiam, de futuris ſimul auctorum editionibus ſpes laetiſſimas excitans, quas irritas non fuiſſe, euentus docuit. De praeſenti vero eius in Lactantium cura, *detulit,* inquit, *ad me quos nunc impreſſimus Lactantii libros, tam multis illos quidem in locis emendatos et auctos, vt cum omnibus, qui ante exierant, collati, propemodum alii viderentur. Ego autem, vt initium libenter a Lactantio facerem, duabus praecipue cauſis mouebar: Et quod ab eo flagitioſas ueterum ſuperſtitiones tanto eloquentiae flumine confutari uidebam, quantum in alio nemine, qui eandem materiam tractauerit, reperias. Et quod authorem confirmandis bonis moribus et literis tam vtilem, in hominum manibus tam lacerum diutius haberi, non facile pati poteram. Itaque ſecum ipſi cogitent ſacrarum literarum ſtudioſi, quidnam in reliquis, qui propediem edendi ſunt, habenturque deprauatiſſimi, ſperandum ſit: quando hic, qui caſtigatiſſimus credebatur, corruptiſſimus inuentus eſt. In quo ne uoluiſſe lectori fucum facere uideamur: additiones eas, de quibus ſu-* pra

pra diximus; quo poſſent commodius inueniri, ſtellae nota vtrinque appoſita incluſimus. Caetera loca, quae prope infinita ſunt, nemo non per ſe facile paſſim animaduertat. Sunt quaedam in his, quae inſigni iuuenis in amicum ſtudio dabis, nonnulla etiam rhetorice dicta, quod pariter de Gryphii ſententia valet, *Lactantii libros non plus Firmiano, ex quo nati ſunt, debere, quam Faſitelio, ex quo renati.*" Contra Iſaei de hac editione iudicium eſt iniquiſſimum: *textum ubique corruptum ac ſoede maculoſum eſſe, adeo ut non excuſſa quam pluribus in locis beata iſta uideretur ſuauitas orationis, majeſtas ac pulcritudo, qua ſupparem Ciceronis Lactantium, ceteris etiam longe ſuperiorem proclament; ſed et vix ejus ſenſus ullus alicubi deprehendi poſſit;* quae porro ſequuntur, ſunt etiam inepta. Verum ſane hoc quod Bunemannus iam profeſſus eſt, *multas lectiones plane nouas Faſitelii correctionem inuexiſſe,* ſed quod leui comparatione cognoſcas, plurimam partem bonas et vel poſthac MSS. Codd. confirmatas, vel propter orationis leges a Bunemanno comprobatas. Vſus praeterea eſt, vt idem profitetur Manutius, Codd. vetuſtiſſimis Coenobii Caſinatis; multas etiam ex ſuperioribus edd. cum iudicio depromſit, multa tamen ſequentibus Lactantii edd. reliquit. Reuocauit autem Faſitelius multa Lactantii loca, Manichaeiſmum ſeu aliam haereſin redolentia, quae partem maximam quidem a MSS. Codd. et edd. vetuſtiſſimis ſiue plus iuſto quorundam lectorum pietatis ardore, ſiue librariorum indoctorum culpa, metuentium ne Firmianum tanquam haereſis reum agere viderentur, exulauerant, quaeque poſtea demum Thomaſius rurſus reſecuit ſuffragantibus editoribus inſecutis omnibus, qui ab haereticis ea inſerta exiſtimarent. Caeterum repetit etiam haec editio Egnatii ex ſuperiori epiſtolam, additumque

ditumque carmen de Dominica paſſione. Reliqua vt in priore. Sed, quod mireris, habet haec editio neque textum in capita deſcriptum, neque numeros paginis, vt Aldina ſuperior, ſed foliis tantum adpoſitos, nec cuſtodes adeo, ſed in prima cuiusque plagulae pagina infra textum nomen: Lactantius, legitur. Faſiteliana a. 1538. ap. Fabric. Bibl. Lat. Vol. III. p. 398. nulla alia eſt, quam haec noſtra. Impoſuit Fabricio haud dubie Gryphii error, qui in ed. a. 1541. parum attente ſcripſerat, *Faſitelium quatuor abhinc annis* Lact. reſtituiſſe, ex quo computo efficeretur vtique a. 1538. vid. Bunem. ad Ed. Gryphian.

1539.

Antverpiae, ap. Io. Gymnicum. 8. Lactantii — cum Eraſmis ſchol. in libr. de opificio. — Plerumque ei cum Aldina 1515. et Cratandro; at in libro de Opif. Dei cum Eraſmi editione Frobeniana convenit. Comparauit eam Bunemannus diligentiſſime.

1541.

Lugduni, apud Sebaſt. Gryphium. 8. Editio haec nitida et rara non innotuit Maittario. Eſt ea integra ex Faſiteliana expreſſa, vt locum eius optime explere poſſit. Gryphii de Faſitelio iudicium ſupra protulimus.

1542.

Francof. ad Viadr. et *Argent.* 8. — Liber de opificio Dei cum obſeruationibus *Io. Willichii.* Addito Hippocratis libello de Genitura, Willichio interprete. *Bipp.* Commemorat eam Cat. Bibl. Barber.

1543.

Lugd. Bipp.

 1544.

1544.

Colon. apud Petrum Quentel. fol. L. Coel. Lact. Firm. Diu. Inſt. Libri ſeptem iam nouiſſime ad vetuſta exemplaria manuſcripta ſedulo collati, ſummaque cura a mendis compluribus, hactenus nunquam animaduerſis, nunc primum vindicati. Eiusd. de Ira Dei Lib. I. rell. Cum adnotatiunculis aliquot Deſ. Eraſmi Roterodami, ſeorſum ad librum de opificio Dei ſpectantibus: Et aſſignatione locorum aliquot minus catholicorum, aut alioqui ſcrupuloſiorum: Atque indice nouo ac rerum locupletiſſimo iam recens opera Bartholomaei Laurentis adiecto. — Coloniae ex officina typ. Petri Quentel, menſe Auguſto anni poſt Chriſtum natum M. D. XLIIII. Quid in hac editione a typographis praeſtitum ſit, in breui ad Lectorem admonitione, indici vocum et rerum inſigniorum ſubiecta declaratur hoc modo. „Ne mirum tibi videatur, candide lector, cur in hac editione, nunc dictiones, nunc ſyllabas, aut literas, nonnunquam integras ſententias, diuerſo a communi contextu charactere deſcripſimus: conſilii noſtri hanc accipe rationem: Contulimus diligenter ſuperiores editiones ferme omnes, adhibitis etiam exemplaribus vetuſtiſſimis manuſcriptis, vt veram et germanam lectionem daremus in medium. Et reſtituimus quidem plura, quam crediturus ſis, niſi contuleris, loca. Vbi vero, diſſentientibus exemplaribus lectio occurreret aut literae, aut ſyllabae, aut dictionis mutatione diuerſa, vtrobique tamen tolerabilis: diuerſis eam literarum typis ſignauimus, tuo arbitrio relinquentes, vt, vtram malis, ſequare. Caeterum vbi hac commoditate vti non licuit, lectionem diuerſam margini adſcripſimus, diligentiam noſtram ſic volentes eſſe teſtatum, nec dubitantes, eam tibi probatum iri, dummodo hanc editionem cum aliis conferre non graueris.

graueris. Rel." Sequuntur proxime ante textum loca aliquot, quae aut veritate minus conſentanea, aut aliis ſcrupuloſa videri queant. — et Deſ. Eraſmi adnotatiunculae quaedam ad libr. de op. Dei: — Editio nitore typographico et correctione valde commendabilis, neque non propter optimas aut diuerſas lectiones plurimi facienda ac Bünemanno optima et emendatiſſima dicta.

1548.

Lugduni. 8. *ap. Io. Tornaeſium* et *Gulielmum Gazejum.* L. C. Lact. Firm. Diu. Inſt. rel. Omnia ex caſtigatione Honorati Faſitelii Veneti priſtinae integritati reſtituta. Praemiſſa eſt Lact. vita ex Hieronymo pagina tituli auerſa. Subiuncta Graecar. interpretatio diction. recenſente emendanteque *Marco Maſuro* (ſic). Errata Lactantii per Ant. Raudenſem collecta et Index verborum ac rerum. *Bipp.*

1553.

Lugd. 8. ſ. 12. *ap. Io. Tornaeſ.* et *Gulielm. Gazejum.* Repetitio praecedentis.

1555.

Antverp. 8. min. L. C. Lact. Firm. Opera memorantur in Cat. Bibl. Ludewig. Halae 1745. T. I. patres. p. 36. n. 411. *Bipp.* c. Scholiis Eraſmi laudat *Cat. Bibl. Muſei Britt.* T. II.

1556.

Baſileae f. in Haereſiologia Io. Heroldi. p. 301.

1560.

Pariſiis. 12. *ap. Hieron. de Marneſ.* Ex caſtigatione Honorati *Faſitelii.* cf. ad a. 1565. *Bipp.*

1563.

Baſileenſis, *Betuleji* I. per *Henricum Petri*. *fol.* „L. Coelii Lact. F. opera, quae quidem extant, omnia: uidelicet Inſt. Diu. l. VII. de ira Dei l. I. de opificio dei l. I. Epitome Libror. D. Inſtitution. Phoenix. Carmen de Dominica Reſurrectione. Acceſſerunt *Xyſti Betuleji* Auguſtani pia ac erudita Commentaria, nunc primum in lucem edita. Baſ. p. Henr. Petri M. D. LXIII. Menſe Martio. vid. ap. Bunemann. Hic Xyſtus Betulejus Auguſtanus, Scholae patriae ad D. Annae templum recens tum inſtitutae rector, vir doctus et laborioſus, Xylandri praeceptor, Lactantium, quem adeo in deliciis habebat, vt filio etiam Lactantii nomen imponeret, diſcipulis ſuis enarrandum ſuſceperat, et in carmina primum, deinde inſtitutionum etiam libros hoſce commentarios dictauerat. Finitis vero his quum a magiſtratu ſcholae*) Lactantii lectione ipſi eſſet interdictum, annotationibus extra ordinem in libros de Ira et Opificio Dei continuatis quam primum publicare conſtituerat, ſed belli interuentu preſſa iſta manſerunt; et cum ipſe interim 1554. XIII. Cal. Iul. diem ſupremum obiiſſet filio *Emmanueli Betulejo* relicta, qui hoc anno tandem in lucem eos edidit praemiſſa ad fratres *Hein-*

*) *A Viris*, *ſi diis placet*, *Ciceronianis* — ipſe indignabundus inquit; contra quos etiam praefatio eius, *qua diſputatur*, *vtrum Lactantiana ſcripta recte in Schola praelegi et enarrari conueniat*, *contra Lactantiomaſtigas inſtituta* ſpectat. Fuiſſe vero homines ſuperſtitioſe Ciceronem colentes in Lactantium etiam iniquos Eraſmi Ciceronianus teſtatur; neque his aliam Lactantii e ſcholis eiiciendi cauſam fuiſſe, ex laudata eius diſputatione tum filii et Io. Nyſaci, Xyſti Biographi teſtimonio manifeſtum fit.

Heinzellios dedicatione, in qua de Lactantii vita, ſcriptis cum deperditis tum reliquis eorumque argumento deque huius editionis occaſione fuſius expoſuit. Praeter Xyſti praefationem de Lactantio in Scholis praelegendo ſcriptam Aug. Vind. 1545. menſe Aug. addita eſt quoque Io. Nyſaei Xyſti B. vita et ſuper ea carmen ad Em. fil. Carmen de Phoenice ſeorſim iterum inſcriptum eſt filiis Io. Bapt. Heinzelii Conſ. Aug. Carmen de Paſſione Domini vero absque commentario acceſſit. Denique ſubiecta ſunt *loca aliquot in Lactantio deprehenſa, quae aut ueritati minus conſentanea aut alias ſcrupuloſa uideri queant*, in praecedenti editione iam propoſita. Poſtremo index rerum memorabilium. Commentario Betuleji apud eos, quorum in gratiam ſcriptus eſt, laus ſua et pretium ſtet, neceſſe eſt, quibus profecto opera eius plurimum profuit. Horum igitur reſpectu tot loci communes Theologici et Philoſophici generis ferendi ſunt. Multa tamen vtiliſſime ad Lactantium illuſtrandum eum attuliſſe, Bunemannus cenſuit. Prouocat aliquoties ad *Vetuſtum Codicem;* nec vero indicat, quis et qualis ille fuerit. Prouocat quoque ad editionem antiquam Romanam nec non Iuntinam, Ald. et Gryphianam, ſed Romanam anno addito non indicauit. In nonnullis locis habet lectiones plane ſingulares, in quibus eum non tam codicem MS. quam ingenium ſequi arbitratur Bunemannus, qui ſimul oſtendit, Mich. Thomaſium ſaepe Betulejum in textu eſſe ſecutum, vt tamen eum non nominaret, niſi vno loco (ad L. 6. not. 157.), vbi in Betulejum acerrime inuehitur.

* *

Pariſ. 4. ab *Oleario* indicatur. Bibp.

Ad

Ad hunc a. *Riccardi Olzenengi* Vercellenſis Commentaria in VII. Libros Inſt. memorari Celſo Roſino in Lyceo Lateranenſi T. II. p. 214. obſeruat Fabricius.

1564.

Baſil. 4. de Chriſti beneficiis. in Geo. Fabric. poett. vett. Chriſtian. Opp.

1565.

Pariſ. ap. *Hier. de Marnef.* 12. Lact. Inſt. lib. VII. etc. Omnia ex caſt. Hon. *Faſitelii* Ven. priſtinae integritati reſtituta, cum Indice locupletiſſima. Deſcripta videtur ad Lugdunenſem 1548. quam vide.

1567.

Lugd. ex off. *Tornaeſii.* 12. Repetita ex edd. annor. 1548. et 1553.

1568.

Antuerp. 12. Bipp.

1570.

Antuerpiae, ex officina *Chph. Plantini.* 8. „L. Coelii Lact. Firm. Diuin. Inſt. libri VII. De ira Dei — rel. Carmina aſſcripta Lactantio. Phoenix incerti auctoris. Venantii Honorii Clementiani Fortunati presbyteri Italici ad Felicem Epiſcopum carmen de Paſcha. Incerti auctoris carmen de paſſione. Omnia ſtudio *Michaelis Thomaſii* emendata, cum Notis eiuſdem. Graecarum vocum Latina interpretatio. Index in Lactantium ampliſſimus." — Titulus iam deſcriptus omnes ac ſingulas, quibus emineat, haec editio virtutes declarat. Vſus eſt Thomaſius

maſius duobus Codd. MSS. Bonon. et ſeptem Vaticanis. In textu plerumque ſecutus eſt Ed. Aldi ex recenſ. Faſitelii, et Betuleji, niſi quod loca quaedam, de quibus ad Faſitelianam a. 1535. nobis mentio eſt illata, reſecuit; rarius lectiones MSS. Bonon. in textum recepit, ſaepius in margine eas poſuit et in notis praecipuas defendit. Chartarum ac typorum nitore admodum commendatur haec editio. Haec in Bibl. Leidenſi ext. collata c. Cod. Lipſienſi D. Pauli et Palatino.

❊ ❊

Antuerp. typis Stelſii 12. Cat. Bibl. Muſ. Britt. Habuit etiam Gallaeus.

1578.

Venet. f. L. Inſtitutiones aduerſus Gentes. *Bibl. Muſ. Britt.* T. II.

1579.

Lugdun. 12. Memoratur in *Cat. Bibl. Schwarz.* P. I. p. 132. auct. lat. n. 2342. Bipp.

1587.

Antwerpiae, ex officina *Plantini Archetypogr. Regii.* 8. Repetitio ed. prioris 1570.

❊ ❊

Lugdun. ap. *Io. Tornaeſium.* 8. min.*) (Tornaeſii II.) „L. Coel. Lact. — Omnia ex fide et autoritate librorum manuſcriptorum emendata. Praemiſſa

*) Nempe hac forma omnes omnino edd. Tornaeſianas conſtare ſcias, neque falli te patiaris, vbi plerumque duodenis laudatas inueneris.

miſſa ex Hieronymo Lactantii vita habet haec ed. poſt textum Graecorum locorum interpretationem latinam, dein quaedam Auguſtini et Hieronymi loca in libro Manuſcripto Lactantii libris ſubiuncta, tandem Tornaeſii ad Lect. de editione admonitionem et rer. ac verbor. indicem. Dotes huius editionis vix bene paucioribus quam ipſius Tornaeſii verbis indicari poterunt. En iſta: „*Cum mihi denuo Lactantius eſſet excudendus, opportune oblati ſunt et a me empti libri ſeptem diu. Inſt. manuſcripti. Quid ex iis mea opera huic editioni et praecedentibus acceſſerit, malo te ſcire* conferendo illas cum *ante editis, quam ſi id in hoc epiſtolio indicarem. Hoc ingenue fatebor, malui timidi quam temerarii nomen incurrere. Ea de cauſa quando vtraque lectio mihi viſa eſt defendi poſſe, alteram margini adſcripſi: In eoque tantum mihi detraxi, vt etiam, quae nuſquam alibi legeram, non dubitauerim adſcribere. Quae deſiderabantur in manuſcriptis, ea nolui delere, ſed vt dignoſci poſſint, has notas* †, †† *adhibui. Quae illis includuntur, non habentur in codice manuſcr. Aliquando integras et longas periodos, ſaepiſſime vnicum verbum incluſum reperies. Non parum item me iuuit Vir eruditiſſimus Iacobus Cujacius, qui nonnullos locos huiuſce noſtri auctoris ex fide veterum librorum a ſe emendatos ad me miſit. Quae ex Auguſtino et Hieronymo addita ſunt, in ipſis auctoribus nec omnia nec eadem ſerie reperi. Attamen quoniam ita ſe habebant in manuſcripto, intacta reliqui. Haec ſunt, quae te volui ſcire, non tantum vt quam operam nauauerim, ſed quam methodum ſecutus ſim, aperirem. — non priuati honoris aut emolumenti, ſed publicae vtilitatis gratia laborem hunc ſuſcepi.*“ Melius vtique codicem deſcripſiſſet Tornaeſius, neque tamen propterea, quod hoc neglexerit, fraus illi imputari debet cum

Heu-

Heumanno, qui grauiter criminatus eſt, cum iactatione MS. vendibiliorem ſuam mercem facere voluiſſe, et neque aetatem neque bonitatem codicis deſcripſiſſe, immo adponere codicem fuiſſe notae peſſimae, et de Cuiacio ſubiecta fraudem olere mercatoriam, ideoque nec opus ſibi fuiſſe huius editionis collatione putat. Aequior Bunemannus affirmat plane eximia ineſſe in hac Tornaeſiana et ea quae cancellis incluſa ſint aut in margine adnotata, ad quae ſolus Heumannus attenderit, ne centeſimam quidem partem emendati per ſeptem iſtos Inſtit. libros in hac ed. 1587. conficere profeſſus eſt. Nolim vero propter Cuiacii quasdam emendationes cum Bipp. ſpecioſum nomen recenſionis *Tornaeſio-Cuiacianae* procudere.

* *

Lugd. 16. memoratur inter libros rariores Manhemii 1779, venales ap. Matth. Fontaine bibliopolam. Bipp. Vereor, ne eadem Tornaeſii fuerit negligentius indicata. Occurrit tamen eius mentio quoque in Cat. Bibl. Bodl.

1589.

Pariſ. f. in *Bibl. PP.* Vol. IX. col. 1.

* *

Pariſ. 8. Bipp.

1593.

Lipſiae. Lactantii dictum vel vaticinium de delendo nomine Romano in terris, et imperio Occidentalis in Orientem transferendo explicauit, *Matthias Dreſſerus* ac Rudolpho II. dedicauit. Bipp.

1594.

1594.

Lugduni 8. repetita Tornaeſiana; in 12. laudat *Cat. Muſ. Britt.*

ſ. l. et a.

Lactantii firmiani hymnus paſchalis cum nouo nec incurioſo commentario. 4. Auctor huius commentarii *Hermannus Buſchius ſtudio iuuandi imperitiores ſcripti,* nomen in praefatione Ioanni Gymnico Aeſſindienſi auditori Domeſtico inſcripta profeſſus eſt. Conſtat tribus plagulis, quarum tertiae folia tantum ſunt numerata. Literae ſunt Gothicae. Titulo in ipſa fronte ſubiiciuntur verſus elegiaci in hymnum ab H. Buſchio compoſiti.

SAEC. XVI. a. 1601.

1613.

Geneuae. 12. (8.) Repetita Tornaeſiana a. 1587. pariterque h. a. *Coloniae* 12. (8.) BIPP.

1616.

Lugd. 16.

— 4. *Phoenix* in choro poetarum luſtrato et illuſtrato, curante *Alex. Ficheto.* BIPP.

1618.

Coloniae fol. Opera omnia in *Bibliotheca Magna Patrum,* T. II. n. 10. Vol. III. p. 206. ſic in *Cat. Bibl. Leid.*

* *

Ienae: Phoenix poetarum carminibus celebratus et commentariolo illuſtratus a *Io. Gryphiandro.* — Praeter Lactantii carmen continet Ouidii verſus de Phoenice, Metamorph. XV. Claudiani Idyllium et

Bapt.

Bapt. Mantuani fragm. carminis de phoenice. Sequitur diſſ. de Phoenice e veterum teſtimoniis ducta, qua eius veritas aſſeritur, deinde commentariis in ſingulos verſus carminis Lactantiani. Bipp.

1627.

Vitebergae, 8. Carmen de reſurrectione, cum notis *Aug. Buchneri.*

1630.

Geneuae, ap. *Io. de Tournes* (Tornaeſium). 8. „L. Coelii Lact. Firm. Inſt. libri VII. etc. Editio nouiſſima ac omnium emendatiſſima. Repetitio Lugdunenſis 1587. In titulo effigies Lactantii ligno impreſſa numi figura c. epigraphe.

1646.

Caeſenae, ex typogr. Nerii. f. „Lactantii opera quae extant omnia, videlicet Diu. Inſt. adu. Gentes Libri ſeptem etc. (carminibus tanquam falſo Lactantio adſcriptis omiſſis) a Iosepho Isaeo, *Caeſenate* olim Diui Petri de Vrbe Canonico, Cambettolae, Buſchi etc. Comite, ſumma diligentia recognita et non modo ex antiquiſſimis MSS. Codicibus ac probatioribus impreſſis, ſed etiam ex Doctiſſimis Scriptoribus emendata et notis illuſtrata etc. — Praemiſit Iſaeus operibus 1) Elenchum MSS. et Edd. 2) Vitam Lactantii ex ſcriptis eius et aliis. 3) Iudicia ex Hieronymo, Honorio, Auguſt. Trithemio, Volaterrano, Petrarcha, Io. Franc. Pico, L. Aretino, Rhodigino, I. L. Vive, Io. Bapt. Pio, Giraldo, Fr. Florido, Gul. Cantero. 4) Propoſitiones in Lact. a Catholicis caute legendas in Notis vel explicatas vel confutatas. 5) S. Scripturae loca citata. 6) Dictionum Graecarum Latinam interpretationem. 7) Varias

rias lectiones. 8) Summaria capitum. Sigismundus Iſaeus patrui ſui opus inſcripſit (en titulum!) *Sacri Senatus Apoſtolici iubari praefulgido, Lumini inocciduo Hieronymo Veroſpio Vere Pio, Vero Hoſpiti Virtutum, Vero Hoſti Vitiorum.* Scribit in praefatione Iſaeus: *Thomaſium nonnullis quidem Firmiani vulneribus opem tuliſſe: verum pleraque intacta, ac prope innumera remanſiſſe; — ſe vero ſublatis mendis plus minus terceutis meliores lectiones ex optimis exemplaribus et doctiſſimis ſcriptoribus reſtituiſſe.* Praecipuum ſtudium in eo poſuit, vt, quae Lactantio fraude allita eſſent vel putarentur, ſaltem et a Thomaſio iam reiici coepta eſſent, penitus eliminaret. Hinc quoque fluxit acre ac iniquum de Faſitelio iudicium, quod ſupra attulimus, quippe qui ſedulo omnia illa loca ſuſpecta et iam alibi omiſſa quaſi poſtliminio reſtituerat. Adhibuit codices *duos Bononienſes, duodecim Vaticanos, Codicem Mich. Thomae* Taxaquetii *), Codicem Franc. Peniae, Hiſpani et Edd. Rom. 1474. Venetas 1472. 1493. 1511. 1521. et 1535. Flor. Iunt. 1513. et Antwerp. c. not. Thomaſii apud Plant. 1587.

1650.

Romae, ex typographia Maſcardi, Anno Iubilei Sumptibus Blaſii Diverſini et Zenobii Maſotti. fol. „Lactantii opera — a Ioſepho Iſaeo — recognita etc." Ad verbum et menda adeo typographica repetita Caeſenatenſis. Fraudem bibliopolae editionem auctiorem titulo nonnihil mutato, appoſitaque alia dedicatione ad Theodorum Principem Triuultium, Cath. Regis ad Innocentium X. P. M. extra Ordinem Oratorem, mentientis odoratus eſt et collatione accurata

*) Vide *Lengletium* in *notitia Codicum.*

rata detexit Bunemannus. Frequentius vero haec occurrit editio et nobis quoque fuit ad manum; non item prior a. 1646. quae admodum rara eſt.

1652.

Lugd. Bat. ex off. Petri Leffen. 8. Lact. op. quae extant omnia. Accedunt Carmina vulgo adſcripta Lactantio. cum notis *Antonii Thyſii.* Notae ſunt parui momenti et partim, vt et textus et variae lectiones ex Thomaſii ed. repetitae. Nec opus ſibi duxit, vt hoc Lectorem doceret editor. Habet praeter capitum ſingulorum argumenta Loca aliquot in Lactantio deprehenſa aut veritati minus conſentanea etc. et indicem.

1660.

Lugd. Bat. ap. Franc. Hackium et Petrum Leffen. 8. *Lactantii opera — cum ſelectis Variorum* commentariis, *opera et ſtudio Seruati* GALLAEI (Eccleſiae Gallo-Belgicae apud Zirizaeos eccleſiaſtis) Accedunt carmina Lactantio aſcripta, licet in titulo non indicata. Nitida editio. Praeter Betuleii, Thomaſii, Iſaei et Thyſii notas excerptas quoque Salmaſii, Bocharti, I. G. Voſſii, Riueti, Gronouii aliorumque dedit, ſubleſto plurimum quidem ſtudio, et iudicio fere nullo, multis tamen et commode allatis. Quae de ſuo ille addidit, partim ſpectant, vt ipſe inquit, ad dogmatum religionis reformatae cum antiquiſſimis Patribus conſonantiam declarandam Iſaeique aduerſus reformatos maledicentiam retundendam, partim, quae profecto potior opera fuit, ad loca ſingula ex editis, quarum magnam copiam adhibuit, (indocte tamen ed. 1472. Venetam principem arbitratus) vel MSS. emendanda. Imprimis vero magnum rei criticae gnaris vſum afferunt.

Variae lectiones modo in notis modo poſt opus abſolutum in ordinem ex variis MSS. redactae, in quibus ſunt nouem antea nondum collatorum Codicum lectiones recens ab ipſo prolatae. *) Denique vſum etiam inſignem praeſtant argumenta enucleata (Analyſes) libro cuique praemiſſa.

1672.

Lugduni, fol. — Lact. opera ex rec. Thomaſii et cum eius ſcholiis. *In Bibl. PP. T. III. p. 515ſq.*

1677.

Lugduni, apud Aniſſonios. f. L. C. Lact. F. Opera c. not. MICH. THOMASII in Bibl. Max. PP. T. III. p. 514-672.

1679.

Pariſiis. 8. Lucii Caec. Firm. Lact. liber ad Donatum Confeſſorem de perſecutione ſiue mortibus perſecutorum ex Codice 1297. Bibliothecae Colbertinae. Eiusdem fragmentum de extremo iudicio ex Cod. 1095. Bibliothecae Colbertinae: in *Baluzii Miſcellaneorum libro II.* ille p. 1-46, hoc p. 46. Stephani Baluzii Tutelenſis notae ad Lactantium, ibid. p. 345-463.

Pariſiis excudente Franciſco Muguet. 8. Idem liber ſeparatim. In fine poſt priuilegium regium: Acheué d'inprimer pour la premiere fois le 15. jour du mois d'Avril 1679. Editio pernitida. Ipſius Biblio-

*) Fortaſſe ex ſchedis Salmaſianis, quae ei per haereditatem obtigerant; nam ipſi Gallaeo ſcurta erat ſupellex.

Bibliothecae Colbertinae exemplum iam in Bibliotheca Academica aſſeruatur.

1680.

Oxonii. 12. Idem liber, cum ſcholiis *Io. Felli,* Epiſc. Oxon. cum actis Perpetuae et Felicitatis.

1684.

Oxonii, e theatro Sheldoniano. 8. Lactantii opera quae extant, ad fidem MSS. recognita et Commentariis illuſtrata a *Tho. Spark,* A. M. ex Aede Chriſti. Nitida editio et correcta. Vſus eſt Sparkius quinque MSS. Collegii Bodleiani, Cottoniani, Balliolenſis, Mertoniani et Collegii Corp. Chriſti, et editione Rom. 1470. In textu Thomaſium maxime, interdum vero Betuleii et Iſaei edd. expreſſit. Notae ſunt breues. Libro cuique vt apud Gallaeum praemiſſa *Analyſis.* Primus operibus Lactantii adiecit librum de Mortibus Perſecutorum, ſed carmina omnia eiecit. Acceſſit etiam H. Dodwelli diſſ. de *ripa Striga* et Steph. Baluzii Chronologia Diocletiana.

* *

Aboae. 8. Liber de mortibus perſecutorum, c. notis *Io. Columbi* ad Girb. Cuperum. Magnae ſunt Cuperi in huius libri editione partes tum, quod conſilio iudicioque editorem rexerat, tum ſuis ipſius annotationibus communicatis, quae paſſim Columbi animaduerſionibus inſertae ſunt. Columbus huius libri phraſin maxime ex aliis Lactantii libris illuſtrauit, eoque ipſo Nurrii hariolationem tanquam praeiudicio retudit.

1685.

Cantabrigiae, ex off. Io. Hayes. Impenſis Hen. Dickinſon et *Rich. Green.* 8. „Lact. opera — ad

fidem *Codicum tam Impreſſorum, quam Manuſcriptorum* recenſita." — Edd. adhibuerunt tres, Baſil. 1532. Thomaſianam Antv. 1587. et Thyſ. L. B. 1652. MSS. duo Emanuelenſem et Cantabrigienſem. Ex Codic. vero MSS. quoniam ſerius ad manum erant Variae lectiones a primo capite Inſt. ad cap. XV. libri de *ira* excerptae textui praemittuntur, inde vero ad oram paginae ſtatim additae ſunt. Thomaſium fere ſequitur, variis lectionibus etiam ex eius editione vbique in margine adſcriptis. Libro de mortibus perſecutorum notae aliquot adſperſae additaque Baluzii Chronol. Diocletiana ex ſuperioribus editionibus.

1690.

Wittebergae, 4. L. C. Lact. de vero Dei cultu c. n. G. C. *Kirchmaieri.*

* *

Pariſ. 4. *Nic. Toinardi* notae in librum de Mort. perſecutorum.

1691.

Vitebergae. 4. L. C. Lact. de vero Dei cultu Diſſertatione illuſtratus a *Ge. Caſp. Kirchmaiero.*

1693.

Traiecti ad Rhen. ex offic. *Guil. Broedelet.* 8. „Lact. *de mortibus Perſecutorum* c. not. *Steph. Baluzii*, Tutelenſis, qui primus ex veteri codice MS. Bibl. Colbert. vulgauit: acc. Girb. Cuperi, Io. Columbi, Tho. Spark, Nic. Toinardi, Io. Ge. Graeuii, Tho. Gale, Eliae Boherelli, ceterorumque [Iac. Tollii et Abb. a S. Hilario Canonici Bellouacenſis], de quibus in praef. ad Lect., animaduerſiones tam hactenus editae quam ineditae. Recenſuit, ſuis auxit,

xit, cum verſionibus contulit *Paulus Bauldri*, Addita poſt reliqua Henr. Dodwelli diſſertatio de Ripa Striga: nec non Theod. Ruinarti Praefatio ad acta Martyrum; cum Indicibus neceſſariis. — Ex Tollii dedicatione ad Eman. a Schelſtrate (dat. Amſt. 1688. poſtrid. Kal. Dec.) poſt praefationem editoris ſubiecta paene colligas, ſeparatim, notas eius iam antea fuiſſe excuſas: tum vero miratio ſubit, quodnam Bauldrius ſecutus ſit conſilium, quo non integras poſt textum vt aliorum, qui ſeparatim antea extiterant, exhiberet, ſed ipſi textui paſſim apponeret ſuis et Graeuii animaduerſionibus intermixtas, nec in titulo illas indicaret, Cuperi notis, quae hic multo locupletiores iis, quas Aboenſis ed. exhibuerat, comparent et nouae paene videri debent. Acceſſit eiusdem epiſtola ad Paul. Voetium van Winſſen dat. Hag. Com. 1689. XV. Cal. Iul. Bauldrii opera vel in ſingulis phraſibus magno exemplorum ex omni ſcriptorum genere petitorum farragine illuſtrandis, vel aliorum notis refutandis vel denique verſione gallica Maucroixii et angl. Gilb. Burneti comparandis inutili fere ſtudio occupatur. In bibl. Salmantica auctore Ioſ. Ortiz (ed. Salmanticae 1777. 4.) T. I. p. 85. h. liber laudatur: L. opera c. not. Baluzii et animaduerſſ. varior. Vol. I. 8. Traj. ad Rhen. 1693.

1697.

Vitebergae. 4. L. C. Lactantius de falſa ſapientia philologica cenſura illuſtratus per *Ge. Caſp. Kirchmaierum.*

* *

Ibid. 4. Eiusdem ad Lactantii cap. III. de falſa ſapientia, difficiliora aliquot paralipomena, annotamentis illuſtrata.

1698.

Lipſiae, ap. Tho. Fritſch. 8. Lucii Coelii ſiue Caecilii Lact. op. omn. quae extant — *Chph. Cellarius* recenſuit et adnotationibus illuſtrauit. — VI. MSS. Codd. vſus eſt Cellarius pluribusque edd. tam antiquis quam recentioribus. Nimirum Codicum duorum in editione Cantabr. excerptorum varietate, Codice Gothano, membranaceo, et Britannicis antiquiore, cuius lectiones varias enotauit Guil. Ern. Tenzel. tribus Codd. Bibliothecae Paulinae Lipſ. Acad. chartaceis, ſed vno notae optimae, quos ipſe contulit. Editionibus autem Rom. 1474. Veneta 1490. et Parrhaſiana 1509. Aldina, Baſil. Betuleji, Thomaſii, Plantiniana, Thyſiana, quam baſin fecit, Gallaei denique et Sparkii; denique obſeruationibus Gronouii, in libro de mort. P., Baluzii, Columbi, Nic. Heinſii, Graeuii. In carminibus edendis vſus eſt ingenio N. Heinſii, Chph. Broweri, et Andr. Riuini.

Saec. XVIII.

1710.

Pariſ. ap. Io. Bapt. Deleſpine. 8. Lucii Cecilii Liber ad Donatum confeſſorem de Mortibus Perſecutorum hactenus Lucio Caecilio Firmiano Lactantio adſcriptus, ad Colbertinum codicem denuo emendatus. Acceſſit Diſſertatio, in qua de huius libri auctore diſputatur et omnia illius loca dubia, difficilia, obſcura, variaeque auctoris opiniones examinantur, explicantur, illuſtrantur. Studio et opera D. *Nicolai le Nourry*, Presb. et Monachi O. S. B. a Congr. S. Mauri. — Magna ab vtraque parte aduocatione ſuper hac, quam Nurrius hoc libello Lactantio intendit, lite certatum eſt. Nam initio ſtatim nactus eſt aduerſarium grauem et acutum, *Mathurinum Veiſe-*

rium

rium Lacroſium. *) Cui quamuis ille de ſuo haud cunctanter reponeret, **) neque deeſſent, qui poſtea cauſae eius fauerent Viri Docti, *Pfaffius*, *Walchius*, *Clericus* ***) et operum Henr. Numiſii editores; †) Lactantii cauſam tamen mox alii, ††) inter quos primas Heumannus †††) tenet, ſuſceperunt, qui, quo minus ille multis ſententiam ſuam perſuaderet, abunde effecerunt.

1712.

Pariſiis, ap. *Io. Bapt. Deleſpine.* 8. Firmiani Lactantii *epitome inſtitutionum diuinarum* ad Pentadium fratrem. Anonymi hiſtoria de haereſi Manichaeorum. Fragmentum de origine generis humani et Q. Iulii Hilariani expoſitum de ratione Paſchae et menſis. Ex antiquiſſimo Bibliothecae Regiae Taurinenſis Codice eruit, recenſuit, lucique publicae dedit,

 atque

*) *Mathurin Veyſſiere la Croze* in *Reflexions ſur la nouvelle Edition du Traité de la mort des Perſecuteurs, imprimée avec une Diſſertation de Nicolas le Nourry* v. *dans le Journal litteraire de la Haye*, T. VII. p. 1-29. conf. *Fabric. Bibl. lat. Vol. IV.* p. 687. et Hiſt. de la Vie de Mr. *la Croze.* Amſt. 1741. 12. p. 137.

**) *Extrait de la Lettre d'un Eccleſiaſtique touchant les Reflexions* cet. *dans le Journal des Sçavans, Juin.* 1716. *pag.* 698-703. *Ed.* d'Amſterd.

***) *Dans la Bibliotheque Anc. et Mod.* T. III. P. 2. n. 6.

†) T. IV. p. 35 ſqq.

††) Cf. *Cat. Bibl. Bünau.* T. I. Vol. II. p. 1374. et *Bipontinos* ad h. librum.

†††) In *Diſſertatiuncula contra Nic. Nurrium librum de Mortibus Perſecutorum Lactantio* abiudicantem — cum editione Sympoſii Lactant. Hanouerae 1722. p. 211-226. Cf. *eundem ſuper hoc argumento* in *Actis Erud.* Ann. 1711. p. 471 ſq.

atque etiam Diſſertatione praeliminari illuſtrauit *Chriſtophorus Matthaeus Pfaffius.* — Integra hic primum comparet Inſtitutionum Lactantii epitome. Specimen Codicis MS. ex quo luci tandem ea data eſt aere exaratum proponere non defugit editor Clariſſimus, quod etiam Bünemannus poſtea editioni ſuae inſerendum curauit.

-✧- -✧-

Venez. 12. Firm. L. Epitomes Inſtitutionum initium, ex MS. in *Giornale de Letterati d' Italia.* T. VI. p. 458-65.

-✧- -✧-

Lond. 4. *in the Memoirs of Litterature.* Vol. II. p. 339. 40. Sunt prima capita ex eodem codice Taurinenſi aliter paſſim deſcripta, in *Epiſtola ad Apoſtolum Zenum.*

1713.

Londini. fol. Lactantii Phoenix int. Opp. et fragm. vet. poetar. Latinor. a *Mich. Maittario* adornata Vol. II. p. 1599.

1715.

Lipſiae, ſumtt. *Io. Lud. Gleditſchii* et *Maur. Ge. Weidmanni.* 8. Luc. Coelii ſ. Caec. Lact. Firm. Opera omnia quae ſuperſunt. *Io. Geo. Walchius* recenſuit et criticis commentariis cum aliorum, tum ſuis illuſtrauit.

-✧- -✧-

Pariſ. fol. L. Caecilii liber de M. P. ex ed. *Nic. le Nourry* repetitus in eiusd. *Apparatu ad Bibl. max. Patrum Lugduni* editam a. 1677. T. II. Pariſiis 1715. *ap. Delespine.*

Gerae.

* *

Gerae. 8. Liber de Opificio Dei, ex emendatione *Ge. Lud. Goldneri*, cum vita Lactantii et iudiciis eruditorum.

* *

Pariſ. f. *Nic. le Nourry* Diſſ. in omnia L. Coel. Lact. opera in Ei. *App. ad Bibl. Max. PP. Lugd.* T. II. col. 571 - 1172.

1716.

Lipſ. 8. *Io. Lud. Bünemanni* ſpecimina Lactantii ex LX. amplius MSS. et editionibus illuſtrati. in *Miſc. Lipſ.* T. III. p. 115 - 178.

1718.

Cantabrigiae, ſumt. *Corn. Crownfield.* 8. Lactantii Epitome diuinarum inſtitutionum ad Pentadium fratrem. Eam ex vetuſtiſſimo MS. Taurinenſi nuper editam recenſuit et ſuis animaduerſionibus illuſtrauit ac emendauit *Io. Dauiſius.* Cf. Bibl. anc. et mod. T. XI. p. 160 ſq.

1722.

Hannouerae, *ap. Nic. Foerſter.* 8. Lactantii *Sympoſium* ſiue centum epigrammata triſticha aenigmatica, quae vero ſuo auctori poſt longiſſimi temporis decurſum reddidit, a librariorum mendis ope Codd. MSS. repurgauit, ſuisque et *Io. Caſtalionis*, *Caſp. Barthii*, *Frid. Beſſelii*, aliorumque notis illuſtrauit *Chph. Aug. Heumannus*, cuius et adiecta eſt diſſertatiuncula contra V. C. *Nic. Nurrium*, librum de mortibus perſecutorum Lactantio abiudicantem itemque ſymbola critica ad Lactantium. — Vereor, ne Heumannus felicior fuerit in Nurrii ſententia refutanda,

tanda, quam ſua de Sympoſio adſtruenda et ab omni impetu vindicanda. Equidem ſi ſententiam in aliena cauſa ferre decet, plane perſuaſum habeo, aenigmata haec, quibus Sympoſii nomen quocunque modo adhaeſit, a diuerſis auctoribus, iisdem non magni ingenii profecta et ab homine otio abundante nec valde curioſo eſſe collecta iisque pretium perexiguum eſſe ſtatuendum.

1734.

Amſtelodami. 8. Anonymi Obſeruationes in Lactantii epitomen diuin. inſtit. — in Miſc. Obſſ. in Auct. vet. et rec. Vol. IV. T. I. p. 20-28. T. III. p. 409-430.

Ibid. 8. Anonymi Obſeruationes in diſſertationem de mortibus perſecutorum. *ibid.* Vol. IV. T. I. p. 31-71.

1735.

Lipſiae. 8. Lact. op. c. not. Walchii Repetita ed. 1715.

1736.

Goettingae, ap. Chriſt. Henr. Cuno. 8. L. Caec. Lact. Firm. opera omnia emendata et illuſtrata a *Chph. Aug. Heumanno.* Adiectae ſunt annotationes criticae Mich. Thomaſii et Chph. Cellarii. Seruauit integrum fere textum a Cellario editum Heumannus, emendationes in annotationibus ſubſcribens, exceptis Epitome et libro de M. P. quorum illam partim ad editionem Thomaſii, partim ad Cod. Taurinenſem, hunc ex criticis, quas copioſe exhibuerat Bauldriana editio, annotationibus, denuo refinxit. Vſus eſt praeter Thomaſianam Antverp. a. 1570. maxime editionibus

nibus VI. antiquis, Veneta 1472. Roſtoch. 1476. Ven. 1478. Ven. 1497. Iunt. 1513. Ven. Ald. 1515. multas vero ex ingenio coniecturas protulit.

1739.

Lipſiae, impenſ. Sam. Benj. Waltheri. 8. Lucii Coelii ſ. Caecilii Lactantii Firm. op. omnia quae exſtant cum notis integris Chph. Cellarii et ſelectis aut excerptis Eraſmi, Betuleji, Mich. Thomaſii, Iſaei, Buchneri, Gallaei, Sparkii, Walchii, Heumanni, Baluzii, Nurrii, Nic. Heinſii, Graeuii, Miegii, Maſtrichtii. Accedunt nunc primum ad Epitomen integram denuo e. MS. Taurin. a Vir. Cel. Chr. Matth. Pfaffio collatam eiusdem auctiores Variae lectiones et notae, item variae lectiones libri de morte Perſec. omnia ex Max. MSS. et Edd. adparatu recenſuit et notis criticis vberrimoque nouo indice Latinitatis inſtruxit *Io. Ludolph. Bünemann.* — Erat Bunemannus inſtructiſſimus apparatu critico Codd. tam MSS. quam editorum, quippe qui LII. MSS. LXII. Edd. a ſe in conſilium vocatos enumerat. Ipſe autem de opera ſua retulit hoc modo: „Habes, Lector beneuole, prolixam enumerationem tam MSS. quam editorum librorum a me in Lactantii operibus emendandis atque illuſtrandis adhibitorum. Quomodo iis vſus ſim, inſpectio textus et notarum dabit. Sine vlla iactatione confirmare poſſem, neminem adhuc ante me tantum ſubſidiorum ad Lactantium reſtituendum aduocaſſe; ſed non minus me adiuuit diligentiſſima Lactantii lectio, quae, vbi non ſuffecit, Ciceronem, quem praeter ceteros exprimit, tum alios veteres, et ex ſacris ſcriptoribus Tertullianum, Cyprianum, Minucium Felicem, Arnobium legi relegique; atque hac ratione multa loca antea deſperata aut reſti-

tui, aut contra aliorum interpretum tentamina vindicaui. Omnia vero ſine ullo ſtudio partium, ſine amore, ſine odio conſcripſi, ſoli, quoad quidem potui, veritati litans. Cellarii textum fundamenti loco poſui, ſed eum ex MSS. et editionibus ubique indicatis ſaepiſſime emendaui, conjecturas vero etiam fere certiſſimas e textu abeſſe iuſſi. Cellarianas notas omnes ſervavi, ex reliquis editoribus, Bet. Thom. Iſaeo, Gallaeo, Sparkio, Walchio, Heumanno, Daviſio etc. elegi ſcopo meo critico inſervientes; Eraſmi vero ad Librum de Opificio Dei, quia paucae et rariores ſunt hodie, repetii omnes. Specimina Codd. Taurin. et Colbertin. aeri incidenda curaui. Varias quoque Lectiones Taurin. ad Epitomen duce Pfaffio et ex MS. Colbertino ad Librum de Mortibus Perſecutorum, duce Nurrio, hic reddidi omnes, cum nonnullis Cl. Miegii et Maſtrichtii notis. Sympoſium quoque ex Heumanniana Lact. editione, ne quid deſideraretur, adjeci. Indicem vero Latinitatis plane novum eumque longe uberrimum aliquot millia optimorum phraſium et verborum exhibentem compoſui; atque ita diligentis editoris munus pro virili me puto expleſſe." Id quod non vana gloriatione, ſed iure ſuo illum de ſe affirmaſſe conſenſus aequalium et intemerata hucusque omnium doctorum exiſtimatio comprobauit.

1748.

Lutetiae Pariſior. apud *Io. de Bure.* 4. Tomis II. Lucii Caecilii Firm. Lact. opera omnia: Editio nouiſſima, quae omnium inſtar eſſe poteſt: ad LXXX. et amplius MSS. codices, editoſque XL. collata et emendata, atque Notis vberioribus illuſtrata; cui manum primam adhibuit *Ioannes — Baptiſta le Brun*. Rothomagenſis, extremam impoſuit NICOLAVS

COLAVS LENGLET du FRESNOY, Presbyter ac Theologus Pariſienſis. Tomis duobus. — Voluerat Lactantii edendi conſilium iam inde ab anno huius ſaeculi ſeptimo Lengletius, congeſtis editionibus fere omnibus, nonnullis etiam MS. tum in Belgio, vbi circa illud tempus verſabatur, tum Pariſiis antea collatis, notis item plurimis aſſiduo labore confectis, et vndique conquiſitis. Iamque in eo erat, vt vltimam paene labori manum impoſiturus ſibi videretur, cum de Io. Bapt. le Brun Rothomagenſis, qui S. Paulini operum editione inclaruit, in Lactantio emendando ſtudio certior factus, extemplo ſuſceptum opus depoſuit, eique miſſis decem ex rarioribus editionibus operam ſuam vltro obtulit. At illo re infecta a. 1731. mortuo Lactantii cura iterum in Lengletium eſt deuoluta ipſique ſcrinia et annotationes defuncti ſunt commiſſa. Tum vero non ſine aliquo ſtupore intellexit, quam parum ad talem, qualem ipſe animo conceperat, L. editionem is contuliſſet. Improbo enim decem annorum labore in eo tantum deſudauerat, vt vndique coaceruaret, immo et corraderet varias Lectiones Manuſcriptorum Codicum et Lactantianar. editionum; omiſſis interim iis obſeruationibus, vel hiſtoricis, vel criticis, quae ad Autoris mentem tum aſſequendam tum explanandam eſſent neceſſariae. Qua in re nec Bunemannus omnino probatur Lengletio, quamquam debitam laudem inſigni animi candore impertiuit. Vt vero quantum fieri poſſet quam animo geſtaret, editionis Lactantii, quae omnium inſtar eſſe poſſet, imaginem aſſequeretur, hanc iniit rationem, vt, quas ipſe notas olim confecerat vel ex aliis ſelegerat, in vnum cum variis lectionibus a Io. le Brun collectis coniungeret. Iſaci notas, quoniam raro eius editio venum eat, integras, ad librum vero de mortibus perſecutorum omnem, quam Baul-

Bauldriana exhibet editio, farraginem adiunxit, itemque Bunemanni annotationes, cum ſerius demum et labore fere finito ipſi eius editio innotuiſſet, magnam partem excerptas in vtroque volumine textui Lactantiano praemiſit. Praeterea adhibuit et in recenſum MS. retulit quos Io. le Brun non viderat codices integros ſex Rohanneum, Sangermanenſem, duo Capituli Cameracenſis, vnum bibl. Patrum Capucinorum Conuentus S. Honorati Pariſienſis; librorum vero de ira et opificio Dei vnum Ioannis le Beuf R. Inſc. et Litt. Ac. Socii; tum collationes quorundam Italicorum MSS. a Latino Latinio factas, quae in eius Bibliotheca non leguntur, aliasque a Petro Ciacconio collectas ex Regalis Abbatiae Genoueſianae Bibliotheca, cum ed. Colonienſi a. 1544. ad Manuſcriptum quoddam Colonienſe emendata, tandem editiones Ioanni le Brun non viſas principem Sublacenſem, cuius variae lectiones ſigillatim hic eduntur, Pariſienſem a. 1513. Colon. a. 1544. et poſt mortem illius vulgatas Heumannianam et Bunemannianam; Epitomen item denuo ad apographum Pfaffii contulit. Iam quo loco praeterea in hoc opere et quo ordine inuenias addamus: Praefatio de ſingulis Lactantii ſcriptis inprimis de Inſtitutionibus exponit, et de ipſarum quidem fine ac indole, de fatis librorum ſuperſtitum per Cod. MSS. ac editiones, deque noua hac editione, quae ſcitu eſſent neceſſaria, breuiter tamen et egregio iudicio ediſſerit. Sequitur Vita Lact. a Lengletio pariter conſcripta, tum varia de Lact. teſtimonia, quae tamen vltra Canterum non progrediuntur. Haec excipit elenchus MSS. Codd. quibus cum ipſe tum Io. le Brun vſus eſt, tum notitia MSS. Codd. Lact. Bibl. Vaticanae curante eminentiſſimo Card. Paſſioneo per Io. Sim. Aſſemannum confecta; porro elenchus edd. collatarum, verſionum et variarum in Lactan-

Lactantium diſſertationum; pars prior notarum poſteriorum ex Bunemanniana excerptarum; variae Lectiones ed. Subl. vſque ad T. II. p. 166. lin. 4. vnde ſtatim textui ſubiici coeptae ſunt; *) index locorum S. Scripturae, quae ſingulari modo exprimuntur; Syntheſis Doctrinae Lactantii; Propoſitiones, quae in Lactantio reperiuntur, ad fidem pertinentes etc. ex Iſaei editione, denique Capitum ſummaria in libb. Inſtitutt. His praemiſſis textus Inſtitutionum incipit, analyſi cuiuis libro praemiſſa. Iſaei notae in vniuerſa Lact. op. cum indice rerum hoc Volumen claudunt. Tomo ſecundo praemiſſa etiam praefatiuncula inſunt: pars altera notarum poſteriorum Bun. diſquiſitio de Auctore libri (cui titulus Lucii Cecilii) de Morte Perſecut. qui Firmiano Lact. tribui ſolet, auctore Nic. de Leſtocq — contra Nic. le Nourry cum appendice de duobus locis Cod. MS. libri de M. P. quorum immutatae ſunt quaedam voces in textu ed. Nourrianae; Dodwelli Diſſ. de ripa Striga et Chronologia Diocletiana; tum, ſummariis cap. praemiſſis, Epitome Inſt., de opificio, ira Dei, de mortibus perſecutorum, Coel. Firm. Sympoſium et carmina; et haec quidem ad Cod. Sangermanenſen praeter illud de paſſione Domini, quod nude repetitur, collata; dehinc omnis ed. Bauldrianae apparatus excepta ſola Ruinarti ad acta Martyrum praefatione. Finitur volumen indicibus auctorum et rerum. Ne textus Lactantii, quem ſine errore typographico repraeſentatum eſſe Lengletius contendit, appictis, quae notas indicarent, literis vel ſignis perturbaretur, annotationes ad lineas et voces ſunt compoſitae. Bibliopola ſplendidum

*) Scil. eo vſque iam operae proceſſerant, cum copia huius editionis Lengletio fieret.

didum hoc opus dedicauit Armando Gaſtoni Card. de Rohan.

1754 — 1760.

Romae, typ. *Aug. Rotilii.* 8. XI. Voll. Lactantii opera, quorum ſinguli libri ſingulis voluminibus comprehenduntur hoc modo: 1) *L. Coelii Lactantii Firmiani de Opificio Dei Liber Vnus, Variantibus Lectionibus, Annotationibus, Caſtigationibus* ac *Diſſertationibus illuſtrauit* F. Edvardvs A. S. Xaverio C. E. *Ad Sanctiſſimum D. Noſtrum Benedictum XIV. P. O. M. Romae* CIↃ. IↃCC. LIV. *Ex typ. Aug. Rotilii. In Aedibus de Maximis.* 2) *De Falſa Religione ſeu Diuinarum inſtitutionum aduerſus gentes L. Coelii Lact. Firm. liber I.* rel. vt ſupra. 1755. 3) *De Origine erroris* ſ. — *Liber II.* 1756. 4) *De Falſa Sapientia* ſ. — Liber III. 1757. 5) *De vera ſapientia* ſ. — Liber IV. eod. 6) *De Iuſtitia* ſ. — Lib. V. eod. — *apud Nic. Roiſechium Bibliop. in Foro Agonali.* — 7) *de Vero Cultu* ſ. — Lib. VI. — *eod. ex typ. Ioſephi, et Nic. Groſſi in aedib. de Maximis.* rel. 8) *De Vita Beata* ſ. — Lib. VII. — *eod.* — 9) *L. Coelii Lact. F. div. Inſt. Epitome Liber ſingularis.* — 1758. abeſt Bibliopolae profeſſio. 10) *L. C. Lact. F. De Ira Dei Liber ſingularis ad Donatum* — 1759. rel. vt proximae praecedentes. 11) *L. C. Lact. F. De Mortibus Perſecutorum Liber ſingularis ad Donatum Confeſſorem.* — *eod.* rel. Quibus praemittuntur duo Volumina: 12) in Omnia L. C. Lact. F. opera Diſſertationum praeuiarum Decas prima. Romae ex typ. Aug. Rotilii. 1754. 13) *Decas Secunda* — 1757.

Grande hoc opus XIII. Voluminum quod ſummorum virorum et nominum Sanctiſſimorum patrocinio

cinio geſtit, quippe ex XIII. dedicationibus XI. Cardinalibus Eminentiſſimis litant, duodecima Iſagoges nomine Benedicto XIII. offertur, vltima *vniuerſi Hum. generis reparatorem* adorat, quod *Adprobationibus* mactatur LII. habet tamen parum boni quodque laudare poſſis. Praecipuum illud, quod C. MS. vetuſtiſſimi Bononienſis ad apices ſingulos curioſe ſatis excuſſi varietates praebet, vnde textui interdum reſtituta meliora ſaltem probabilia; maxima tamen pars nihil aliud, quam deſcribentis errores oſtendit. Editoris annotationes, quatenus grammatici generis ſunt, vix aliis quam pueris ſcripſerit; quod reliquam doctrinam attinet, cuius vaſtitati coercendae diſſertationum compages ſ. ambages verius ſunt adhibitae nec Italis ipſis, quamuis taedioſae iſtius eruditionis ſint captatores, tam cruda placere poſſe arbitramur. Sunt vero *argumenta*, quibus occupantur, haec: Praemiſſo *prooemio, in quo ſuſcepti operis ratio atque neceſſitas oſtenditur*, Diſſ. I. exponit: *de F. Lactantii denominationibus, non uno, ſed pluribus, diverſisque modis hactenus in vulgum ſparſis, et tandem MSS. antiquiſſimorum ope ad veram germanamque expreſſionem redactis.* II. *De Ej. Patria, Parentibus, Conſanguineis, atque Gentilibus.* III. *De Saeculo, quo floruit.* IV. *De ej. adoleſcentia, juventute, ſenio, ſtudiis, atque muneribus.* V. *De operibus a Lactantio perſcriptis.* VI. *De ſingulis Lactantii opp. ac primum de Libro de Opificio Hom.* VII. *De VII. Inſtitutionum libris ac de tempore et loco, in quibus eos elucubravit.* VIII. *De Arianis, a Lact. Inſt. IV. inter haereticos ſui temporis recenſitis, ac de prima Arianae haereſeos origine.* IX. *De ratione, qua Ariani poterant anno reparatae ſalutis CCCXIII. inter haereticos recenſeri.* X. *Ioſ. Iſaei argumenta diſſolvuntur, quibus evincere conatur, non ſolum Aria-*

Arianorum nomen in Lactantii opp. eſſe delendum; verum etiam M. Conſtantini elogia, et Nuncupationes omnino eliminandas contendit. XI. *De Epit. Inſt. olim acephala, nunc autem minima in parte mutilata, ac in ſingulari Taurinenſi Cod. reperta.* XII. *De L. I. de ira Dei.* XIII. *De ſingulari libro, cui titulus Lucii aut Lycii Caecilii de Mortibus Perſecutorum ad Don. Confeſſ.* XIV. *De Sympoſio ab Heumanno edito et Lactantio reddito et jure optimo vindicato.* XV. *De aliis poematibus Lactantio tributis.* XVI. *De quibusdam Lactantii operibus jamdiu deperditis et fruſtra hactenus conquiſitis.* XVII. *De operibus a Lactantio pollicitis* (ſic), *falſo adſcriptis ſ. ſub ejus nomine circumlatis.* XVIII. *De Lact. ſtylo ac proprio orationis charactere.* XIX. *Clariſſ. Vir. de L. elogia.* XX. *Summorum Pontificum ac SS. PP. de L. doctrina cenſurae.* Haec decadibus duabus. Reliquae duae, quas minatus eſt et argumenta ſimul lectoribus propinauit, prodierint, nec ne, quibusue de cauſis ſint interceptae, iuxta cum ignariſſimis ſcio. Pollicebatur etiam *indices Rerum, Phraſium ac Verborum* ampliſſimos, opus abſolutum coronaturos. Sed *Di meliora bonis.* —

Geſtiebat aliquando huius tam oneroſae doctrinae baiulus Excalceatus ſarcinas ſuas tribus tomis formae maximae compactas et omni honore typographico per *Monaldinum* illum, qui Vaillantii numiſmata breui ante ſatis ſplendide excuderat, mactatas in lucem protrudere. Facile vero ſibi perſuaſerat promiſſione ſua prolixa*) ingens tantae editionis deſiderium excita-

*) En titulum: *Apparatus ad novam* L. Coelii Firmiani Lactantii *operum editionem una cum praefatione generali et duabus diſſertationibus praeviis in ſpecimen caeterarum. Accedit ad ſingulos eruditionis Amatores Monitum Bibliopolae,*

excitatum iri, iamque Monaldini etiam ſingulari alloquio pellectos certatim accurrentes cum aureis in anteceſſum exhibendis cernere ſibi viſus erat cum eheu! ſubito conſilium mutare cogitur, *non vno argumento* compulſus inquit, ſed bene intelligitur, aureum illud, quod Monaldino calcar addere debebat, fuiſſe grauiſſimum. Nam de eo ne verbum quidem amplius, quamquam, quin ſumptus praeſentis editionis tulerit, non dubitamus. Quam ob rem Eduardus tam egregia ſpe fruſtratus *ſaeculi ingenium*, nec libris formae magnae ferendis aptum amplius nec appetendis talis doctrinae cupediis alacre, ſale perfricandum ſibi ſumſit. Acta haec coram Sanctiſſimo Patre Benedicto XIV. in *Iſagoge ad ſaeculi genium emendandum* inſcripta, quam adeat, qui ſapere velit! Interea effectum eſt honeſtate bibliopolae, vt ne haec quidem editio nitore iuſto vtinam et operarum vitiis careret;

polae, *Romae* typis Angeli Politii et Phil. Bacchelii. ſumptibus *Venantii Monaldini*. 1751. 4. plagg. 12. Hoc ſpecimen typorum et chartae elegantia ſplendidiſſimum diſſ. II. de L. denominationibus et patria etc. in ſecuta editione recuſas praebet, in quarum altera, Lactantium Firmo oriundum (nec omnino ſiniſtre, vt nobis viſum) demonſtraturus, omnem Firmi et Firmanorum hiſtoriam ex remotiſſima antiquitate protulit, palmamque patriae ſuae non ſine ſudore partam *Firmanae Vrbis et Gloriae tutelaribus* Senatui populoque, doctis, indoctis, ſingulis pro loco et ordine ſolenni, formula compellatis conſecrauit. Acerbe haſce de futura Lactantii editione minas tum perſtrinxit cenſor Göttingenſis, quem Windhemium fuiſſe, neſcio, vnde Eduardus reſciuerit, in *Relationibus de libris nouis* a. 1752. p. 45-54; ſed pro chriſtiani animi moderatione caecum pectus, errorum tabe infectum et ad phraeneſim vſque laborans ipſi tribuit mitiſſimus Monachus.

reret; neque vero in omen vertere et verſibus extollere ceſſauit auctor, quod ex *aedibus de Maximis*, vnde Sweinhemii altera prodierat, iterum Lactantius exiret. Quod ne Monaldino ominoſum fuerit, ex animo optamus.

1760.

Amſtelod. 4. Lactantii Elegia de Phoenice, c. *Claudiano* curis ſecundis N. Heinſii et annotationibus *P. Burmanni ſecundi* edito.

1764-65.

Halae impenſis Orphanotrophei. 12. II. Voll. Lactantii Opera, quae extant, ad editionem limatiſſimam *Io. Ludolphi Bünemanni* curate adornata.

1768.

Venetiis ex typogr. Io. Bapt. Albritii. Lucii Caec. Firm. Lactantii Opera omnia in duas partes distributa in *Bibl. Vett. PP.* cur. *Andrea Gallandio. T.* IV. pagg. 229-436.

Nudus textus ad Lengletii exemplar deſcriptus. De auctore agitur Prolegg. c. IX. p. XIV ſqq.

1777.

Edinburgi, ap. Murray etc. 8. L. Coelii Firmiani Lactantii Diuinarum Inſtitutionum liber V. ſ. de iuſtitia. Accurante D. *Dalrymple de Hayles* Eſq. — Cum ſelectis ſuperiorum Editorum notis et obſeruationibus ſuis prolixioribus de Apollonio Tyaneo, Oraculis Sibyllinis, quae Chriſtiani ſcriptores adduxerunt vel a Iudaeis Helleniſtis vel a Gnoſticis confictis. Bipp.

1782.

1782.

Edinburgi. 8. Of the Manner, in which the perſecutors died. A Treatiſe by L. C. F. Lactantius. Eodem *Dalrymplio* auctore. Additae ſunt notae vberiores, etiam criticae. Bip.p.

* *

Altenburgi, ex off. Richter. 8. Firmiani Lact. carmen de Phoenice. cura *Io. Chriſt. Wernsdorfii* in *poetarum minorum* collectione, T. III. p. 281-322.

1783 - 84.

Wirceburgi, in off. libr. Stahel. 8. Tomi II. L. Caecilii Firmiani Lactantii Opera omnia ad editionem Pariſienſem *Io. Bapt. le Brun* et *Nic. Lenglet du Fresnoi* anni 1748. recuſa.

Primo huius editionis tomo praemittuntur: Vita Lactantii, operum tam deperditorum, quam extantium, genuinorum ac falſo adſcriptorum expoſitio, ſummaria criſis in ſcripta L. Syntheſis doctrinae Lactantianae ex Seruati Gallaei editione; Codd. MSS. ex quibus editus et emendatus eſt, nec non editionum elenchus maximam partem ex ed. Pariſienſi excerptus. Tomo ſecundo ſubiecta eſt Variantum lectionum ſylloge eiusdem editionis ope. Additurus erat etiam obſeruationes ſelectas, ſed conſilium mutaſſe videtur, ne libri moles excreſceret.

1786.

Biponti. ex typographia Societatis. 8. II. Voll. L. Coelii ſiue Caecilii Lactantii Firmiani Opera Omnia quae exſtant ad optimas editiones collata. Praemittitur notitia literaria ſtudiis Societatis Bipontinae.

Bunemannianam ſe prae aliis ſecutos eſſe, Bipontini profeſſi ſunt, ita tamen, vt eam denuo cum Aldina Faſitelii et Plantiniana Thomaſii conferrent. Quodſi tantummodo diligentiae Bunemanni explorandae cauſa factum, non magni opera pretii fuerit; ſin ad immutandum textum valuit, optandum fuiſſet et ab iſtorum virorum ſedulitate expectandum, vt indicare illud non praetermiſiſſent. Notitia literaria egregio ſtudio eſt confecta, vt ſolet, neque nos parum ea adiutos eſſe grata mente agnoſcimus.

VERSIONES. *Inſtitutionum* libros non niſi a Franco-Gallis traductos deprehendimus ſaeculo decimo ſexto. Cuiusmodi ſunt, quas exhibet Cat. Bibl. Reg. Par. l. l.

Paris chez Arnoul l'Anglier. 1547. 8. L. F. des divines inſtitutions contre les Gentilz et Idolatres, traduict de Latin en François par RENÉ FAME; iterumque

Paris chez Eſt. Groulleau. 1555. 16. eandem *Lugduni ap. Io. de Tourner.* 1563. 12. repetitam poſſedit. *Io. Albr. Fabricius* Del. SS. pro V. R. C. p. 236.

Primum Inſtitutionum librum vertit *Drouet de Maupertuis.* a Avignon 1712. 12.

Praeter inſtitutiones frequenter etiam liber de mortibus perſecutorum in varias linguas conuerſus eſt, ex quibus Gallicam tantum *Malacrucii* et Anglicam *Burneti* indicaſſe iuuabit.

Traité de Lactance de la mort des perſecuteurs, trad. en François par *François de Maucroix. Paris, chez Franc. Muguet* 1677. 12. ac ibidem 1680.

Lactance of the Death of the Perſecutors. transl. by *Gilb. Burnet*; in *His Tracts* Vol. II. Lond. 1689.

1689. 8. Fabricius l. l. editiones annorum 1686. et 1714. citat, nec non gallicam verſionem ex Burnetiana factam, Vltraiecti. 1687. 8.

CODICES. — Quantum ſtudii Lactantio ſuperioribus ante typographicam inuentam tributum fuerit, ex incredibili Codd. MSS. copia coniici poteſt: quorum ſubſidio ſi quis alius antiquus ſcriptor Lactantius emaculatus eſt et perpolitus; ita vt magni referat ad ſingulorum editorum de eo merita recte ponderanda, certam et expeditam eorum notitiam habere. Nobis igitur ab initio conſtitutum erat, Lectores harum rerum curioſos ad *Lengletium* ablegare; ſed ne quid deſit, quod in editionum recenſu nimis ſaepe deſideres, adiiciendam potius hic curauimus quam ille editioni Pariſinae praefixit deſcriptionem ordine alphabetico diligentiſſime confectam, ſed ita vt oratione, quantum fieri poſſet, contractiori vteremur.

Codex BALLIOLENSIS Oxonii, complectitur *Inſtit.* et de *I. D.* Eo vſus eſt Thom. Sparkius in ed. Ox. a. 1684.

Codex BALVZIANVS. Steph. Baluzii Tutelenſis bonae notae 400 annorum. Compl. librum de *I. D.* qui incipit a cap. 8. et de *Op. D.* Hic Cod. nunc eſt in Bibl. Reg. forma 8va, n. 2967. quem vide infra.

Codex MS. *Inſtit.* a BARTHIO viſus, cuius tamen pauciſſimae ſunt Var. Lect. a Barthio excerptae. Vid. n. ad c. 10. lib. 4. pag. 294. T. I. Pariſ. nouiſſimae.

Codex quo vſus eſt BETVLEJVS in ed. quae poſt mortem eius emiſſa eſt a. 1563., parce tamen.

Codex BODLEJANVS Oxonii, compl. *Inſtit.* cum *Epit.* et de *I. D.* ac de *Op. D.* Cod. optimus,

quo vſus eſt Th. Sparkius in ed. 1684. Incipiunt Var. Lectt. ſecundo demum libro Inſt.

Codices duo Coenobii S. SALVATORIS BONONIENSIS, quorum antiquior dicitur eſſe mille annorum, Lengletio vero ex ſpecimine 900 annorum aetatem ſuperare non videtur; non ſunt enim, inquit, literae quadratae nec capitales; ſed potius ſimiles MS. Regio 900 annorum, notato 3735. Eſt quidem bonae notae; et quandoque differt a caeteris, ac nonnullas habet interpolationes. Huius antiquiſſimi Cod. ſpecimina ediderunt Leo Allatius in Hetruſcis antiquitatibus; Bernardus de Montfaucon in Diario Ital. et in Palaeographia Graeca atque etiam Nic. le Nourry, T. II. Apparat. ad Bibl. SS. PP. p. 646.

Alterum exemplar BONONIENSE recentius eſt, ſed priori non impar. Vtrumque a Thomaſio, quem Iſaeus ſequitur, collatum ac ſaepius citatum. Multo plures horumce amborum MSS. Codd. Var. Lectt. a Latino Latinio in ora ſui Lactantii notatas habuit Io. le Brun, cura et ſtudio Petri Hemard, Stampenſis, in Senatu Pariſ. Aduocati. Simile exemplar, idque autographum Latini Latinii habuit Lengletius ex Bibl. Genovefae. Non ipſe quidem Latinius contulerat MSS. Bononienſia, ſed eorum Var. Lectt. acceperat a. 1558. a Mich. Thom. Taxaquetio, qui alius non eſt a Thomaſio Lactantii editore. De hoc infra in Taxaq. Multus eſt quoque in praedicando hoc codice Ed. a S. Xauerio.

Codex Io le BEUF, Reg. Acad. Inſcr. Socii, compl. de *I. D.* et de *Op. D.* Scriptus videtur ſaec. XIV.

Codex Io. BAPTISTAE le BRVN, Rotomagenſis, 400 annorum, compl. *Inſt.* de *I. D.* et de *Op. D.* In huius margine adſcriptae ſunt alterius MS. Cod. Var. Lectt. ad Inſt.

Codices

Codices Cameracenses duo in membrana, vnus IX. aut ſaltem X. ſaeculi, ſed ita mutilus, vt nonniſi ſummo ſtudio et cura legi poſſit. Compl. *Inſt.* habet fere vbique Graeca eximie literis quadratis ſcripta. Alter ſcriptus eſt ineunte ſaec. XV. et compl. *Inſt.* de *I. D.* et de *Op. D.* Adſunt Graeca, quandoque ſat bene ſcripta, quandoque charactere vulgari Latino.

Codex *Acad.* Cantabrigiensis a. 1465. in Monaſt. Sublacenſi, compl. *Inſt.* de *I. D.* et de *Op. D.* itaque ibi eo ipſo anno ſcriptus videri poſſit, quo prima ed. Sublaci excuſa eſt. Hunc vidit editor Cantabrigienſis. Sed non eſt deſcriptus ex prima Sublacenſi ed. a qua multum differt, vt patet ex Var. Lect. quas ex eo profert editor Cantabrigienſis.

Codex MS. optimae notae, vnde variae lectiones, a *Theod. Cantero* collectae, *Gallaeo* ſunt accommodatae.

Codex *Bibl.* PP. Capvcinorvm *conuentus S. Honorati Pariſiis*, in membrana medio Saec. XV. exaratus, et ſat concinne ſcriptus. Hunc habuit Lengletius. Graeca in eo eleganter ſcripta ſunt; non tamen adſunt omnibus in libris. Compl. de *I. D.* et de *Op. D.*

Codex Io. Cavci, antiquus et optimae notae, fere in omnibus antiquiſſimo Bononienſi ſimilis a Io. Cauci accuratiſſime collatus, compl. *Inſt.* de *I. D.* et de *Op. D.* Huius Var. Lect. Gallaeo vſu venerunt.

Codex Collegii Corporis Christi Ox., compl. *Inſt.* de *I. D.* et de *Op. D.* Eo vſus eſt, parce tamen, Thom. Sparkius.

Codices duo 400 et 300 annorum Gothofredi Clermont Amſtelodamenſis, apud Legatos Batauos in Gallia Oratoris Sacri, a. 1715. qui vbi audiuit Pariſiis a Steph. Baluzio, Ioannem B. le Brun

in

in eo eſſe, vt Lactantii ed. ad MSS. Codd. collatam et emendatam publici iuris faceret, reuerſus Amſtelodamum, duos ad vſum Io. B. le Brun miſit, cum editis duobus.

Codex MS. *Bibl.* COLBERTINAE 800 ann. n. 1297. ex quo in lucem prodiit Lactantii liber de Mortibus Perſecut. cura Steph. Baluzii; quem MS. denuo contulit Io. B. le Brun, ac ipſe in eo cum editis conferendo curam ſummam ac ſtudium ſuum poſuit Lengletius, qui animaduertit plura ab aliis praetermiſſa.

Alii codices COLBERTINI. Horum *vnus*, qui videtur eſſe annorum 700. n. 2679. ſcriptus eſt Venetiis; *alius* 500 annorum, n. 5173. ſcriptus in Dioeceſi Aniciensi; *tres alii* n. 3573., 300 annorum ſcripti Bononiae; *alii duo* n. 4095. et 4495. compl. *Inſt.* de *I. D.* et de *Op. D. vnus* item 300 annorum, ſcriptus Bononiae n. 1975. compl. *Inſt.* et *alius* n. 6210. pariter 300 annorum, ſcriptus Florentiae, compl. de *I. D.* et de *Op. D.* Eſt etiam alius, n. 1336. annorum 800, qui nihil habet ex Lact. ſed Carmen de Phoenice ſub nomine Lact. Atqui omnes iſti Codd. Colbertini hodie ſunt in Bibl. Regia Pariſienſi.

Codex *Inſt.* et libri de *Op. D.* COLOMESIO viſus: cuius paucae admodum ſunt Var. Lectt.

Codex COLONIENSIS, cuius Varias Lectt. ſaepiſſime profert editor Colonienſis a. 1544. qua ed. vſus eſt Lengletius.

Codex COTTONIENSIS Ox. compl. libros Inſt. primo (vt videtur) dempto, cuius nonnullas Var. Lectt. appoſuit Sparkius in Oxon. ed. a. 1684.

Codices duo, quorum Varias Lectt. ad *Tornaeſium* miſit IAC. CVJACIVS. His vſus eſt Torn. in edit. a. 1579.

Codex

Codex MS. *Bibl. Collegii* EMMANVELENSIS apud Cantabrigienſes a. 1424. deſcriptus, vt ex ſubſcriptione ad finem addita liquet, eſt altero Cantabrigienſi longe emendatior. Compl. *Inſt.* de *I. D.* et de *Op. D.* Hunc contulit editor Cantabrigienſis eiusque Varias Lećt. praemiſit ſuae editioni.

Codex vetuſtus, quo olim vſus fuit DES. ERASMVS. Illius Variae Lećt. pauciſſimae ſunt, praeterquam ad lib. de *Op. D.* quem pauculis quibusdam notis illuſtrauit Eraſmus in huius libelli ed. a. 1529.

Codex antiquiſſimus, quo GEO. ERHARDVS vſus eſt, ac cuius pauciſſimas Var. Lećt. decerpſit Gallaeus.

Codex Eccl. Metropolitanae S. GATIANI Turonenſis 300 annorum, cuius ac MS. Codicis Maioris-Monaſterii Var. Lećt. ad Io. B. le Brun miſit Iac. Chriſt. Garreau.

Codex GOTHANVS 400 circiter annorum, compl. *Inſt.* de *I. D.* et de *Op. D.* Eo vſi ſunt Cellarius, Heumannus et Bunemannus. Huc etiam pertinent: Variantes Lećtiones a *Io. Mich. Heuſinger* deſcriptae e Cod. MS. Gothano L. Accedunt animadverſiones et Heuſingeri et *Chr. Aug. Heumanni.* in Pareſg. Gottingenſ. T. I. lib. III. p. 189-203. Göttingae 1737. 8.

Codex CLAVDII MENARDI, de quo ſic Gronouius: *Naćtus ſum in Andibus* apud Claudium Menardum *membranas non valde vetuſtas, incoepi qualescunque eſſent conferre, et inueni quae vulgatis potiora ducerem.* Plures duntaxat locos duorum priorum librorum Inſt. emendauit ex hoc MS. in libro Obſſ. in Scriptores Eccleſ.

Codices GVELPHERBYTANI quinque nondum collati. Sunt partim ex Bibl. Gudiana. Eorum Var. Lećt. fruſtra ambiuit Bunemannus.

Codex

Codex MS. IANI GVILIELMI, aut ſaltem ab ipſo collatus, non infimae vetuſtatis. Compl. *Inſt.* de *I. D.* et de *Op. D.*: quasdam Var. Lect. eius habuit Gallaeus.

Codex papyraceus ADR. IVNII, Scholae Amſtelod. in noua vrbis regione Rectoris. Hic codex foeda admodum manu ex optimo archetypo exaratus, commodatus fuit Gallaeo ab Hadr. Iunio. At eum diligentius inſpexit Thom. Crenius.

Codices LIPSIENSES tres chartacei, 300 circiter annorum, quorum vnus eſt optimae notae et antiquiſſimis conſentiens. Compl. *Inſt.* de *I. D.* de *Op. D.* dempto vno, in quo deſunt duo poſtremi. His vſi ſunt Cellarius et Bunemannus.

Codex LONDINENSIS Reg. de *I. D.* cuius apographum habuit ex amico Bunemannus.

Codex 500 annorum MAIORIS-MONASTERII, Gallice *Marmoutier*, Ordinis S. Benedicti, S. Mauri Congregationis, prope Turones.

Codex MERTONIENSIS Ox. cuius Var. Lect., ſed nimis parce, refert Sparkius in Ox. ed. Inchoat a tertio demum lib. *Inſt.* vsque ad finem libri de *Op. D.*

Codex *Bibl. Collegii* NAVARRICI Pariſ. 300 annorum, compl. *Inſt.* de *I. D.* et de *Op. D.*

Codex PALATINVS membranaceus, compl. *Inſt.* cuius Var. Lect. Gallaeo ſuppeditauit Iſ. Voſſius.

Codex FRANC. PENIAE Hiſpani, Romanae Rotae Auditoris, non infimae notae, compl. *Inſt.* de *I. D.* et de *Op. D.* Hunc Iſaeus contulit: ſed cuius ſit aetatis, non indicauit.

Codices XII. *Bibl.* REGIS CHRISTIANISSIMI, quorum duo ſunt 900 annorum optimae notae, *primus* n. 3735. *alter* 3736. qui fuit olim in Bibl. Puteani: hunc Io. Opſopoeus contulit olim in non-

nonnullis Graecis Sibyllarum locis, et reliqua ſunt a Io. le Brun collata; *tertius* 400 ann. n. 3976; *quartus* 300 ann. n. 3739. optimae notae; *quintus* 300 ann. n. 3737; *ſextus* 300 ann. n. 3741. optimae notae; *ſeptimus* 300 ann. n. 3740. cum eximiis picturis, in quo eſt etiam Epit. Inſt.; *octauus* Mantuae deſcriptus a. 1428. n. 3977.; *nonus* 300 circiter ann. n. 3738. ex bono archetypo exſcriptus; *decimus* 200 aut 250 ann. n. 3742. *Alii duo* 300 circiter annor. n. 3978 et 3979. compl. libros de *I. D.* et de *Op. D.* Hos omnes Codd. aeque ac Colbertinos contulit Io. B. le Brun. Vtrorumque indicem, eo, quo nunc extent ordine; hunc ſubiicit Lengletius.

n. 1662. Cod. membranaceus olim Claud. Puteani. *Inſt.* — de *I. D.* — de *Op. D. Epit. Inſt.* Cod. in fol. ſaec. IX. exaratus.

n. 1663. Cod. membranaceus. De *Falſa Rel.* At *Inſt.* ſexti finis et ſeptimi pars maxima deſiderantur, ſaec. IX. ſcriptus, f.

n. 1664. Cod. in membrana. De *Falſa Rel. ad Demetrian. de Op. D.* partim XII. partim XIV. ſaec. exaratus, f.

n. 1665. Cod. membranaceus. *Inſt.* ſub finem ſaec. XIV. ſcriptus, f.

n. 1666. Cod. chartaceus. *Inſt.* de *Op. D.* a. 1428. Mantuae ſcriptus, f.

n. 1667. Cod. chartaceus olim Colbertinus. *Inſt.* a. 1463. exaratae, f.

n. 1668. Cod. partim membranaceus, partim chartaceus. *Inſt.* ſaec. XIV. exaratae, f.

n. 1669. Cod. membranaceus olim Colbertinus. *Inſt.* Subiicitur excerptum ex S. Auguſtini lib.

lib. 20. de Ciu. Dei de nouiſſ. Iudicio. — De *I. D.* de *Op. D.* ſaec. XV. exaratus, f.

n. 1670. Cod. membranaceus olim Colberti- nus. *Inſt.* Subiicitur fragmentum de extremo Iud- cio. De *I. D.* de *Op. D.* ſaec. XV. exaratus, f.

n. 1671. Codex membranaceus olim Putean *Inſt.* de *I. D.* de *Op. D.* de *Phoenice* Carm. de *R ſurr.* Carm. *Epit. Inſt.* ſaec. XV. exaratus, f.

n. 1672. Codex membranaceus. *Inſt.* Prae- mittuntur poemata duo; vnum de *extr. Iud. die,* ano- nymo auctore, alterum de *Reſurr. Dom. die,* La- ctantio tributum: ſubiicitur fragm. de extr. Iud. S. Auguſtini l. 20. de Ciu. Dei. — de *I. D.* de *Op. D.* ſaec. XV. exaratus, f.

n. 1673. Cod. membranaceus. *Inſt.* Paſſim ad marginem adiectae ſunt notae R. P. Io. Maria Braſichelli Sacri Palatii Apoſt. magiſtri: ſub finem ſaec. XV. ſcriptus, f. At notae Braſichelli, quae in- fra ſunt editae, ſcriptae fuerunt initio ſaec. XVII.

n. 1674. Cod. membranaceus. *Inſt.* de *I. D.* de *Op. D. Carm. de Phoen.* de *Reſurr. Dei.* ſub fi- nem ſaec. XV. exaratus, f.

n. 1675. Cod. chartaceus. *Inſt.* de *I. D.* de *Op. D. Epit.* de Ratione libri fragmentum recentius manu rudi ſcriptus, f.

n. 1676. Cod. chartaceus. De *I. D.* ſaec. XV exaratus, f.

n. 1677. Cod. membranaceus. De *I. D.* et de *Op. D.* ſaec. XV. ſcriptus, f.

n. 1678. Cod. chartaceus. *L. Errata* auctore *Ant. Raudenſi* Theologo. Scriptus ſaec. XV. f.

n. 1679. Cod. chartaceus olim Colbertinus. Idem lib. Ant. Raudenſis, f.

n. 1680. Cod. chartaceus, olim Colbertinus. Idem l. Ant. Raud. f.

n. 2623.

n. 2623. Cod. membranaceus olim Colbertinus. *Inſt.* de *I. D.* de *Op. D.* Scriptus Bononiae in Italia a. 1436. 4.

n. 2624. Cod. membranaceus. De *Falſa Rel.* de *I. D.* de *Op. D.* ſaec. XV. ſcriptus, 4.

n. 2625. Cod. partim membranaceus, partim chartaceus, olim Colbertinus. *Inſt.* de *I. D.* de *Op. D.* ſaec. XV. ſcriptus, 4.

n. 2626. Cod. membranaceus olim Colbertinus. *Inſt.* de *Op. D.* de *I. D.* ſcriptus ſaec. XV. 4.

n. 2627. Cod. membranaceus olim Colbertinus. Lycii Cecilii liber de Mortibus Perſecutorum, cum ſcriptis aliis: partim XI. partim XII. ſaec. ſcriptus, 4.

n. 2967. Codex membranaceus olim Baluzianus. De *I. D.* Deſiderantur VII. priora Capita. De *Op. D.* ſaec. XV. ſcriptus, 8.

n. 2968. Cod. membranaceus, olim Colbertinus. De *I. D.* de *Op. D.* ſcriptus a. 1439. 8. — Hactenus Codices *Regii.*

Codex REIMANNIANVS chartaceus, Bunemanno communicatus, ſaec. XV.

Codex vnus in membrana, ſaec. XIV. quem habet Bibl. CARD. de ROHAN. Compl. *Inſt.* in quibus Graecum non legitur, ſicut ea ferebant tempora.

Codex ROSTOCHIENSIS, cuius paucae ſunt Variae Lectt. ad Inſt. Has habuit Gallaeus ab Iſ. Voſſio.

Codex SANGERMANENSIS in membrana pariter, olim Seguierii Franciae Cancellarii, eleganter ſcriptus, 400 fere ann. cui deſunt duae priores paginae. Compl. *Inſt. Epit.* ſed imperfectum; de *I. D.* de *Op. D. Carm. de Phoen.* cum iſta admonitione, *Iſta Carmina dicuntur eſſe Lactantii.* Quandoque adſunt Graeca, eaque ſat eleganter ſcripta.

Codices duo SORBONICI 300 ann. n. 271 et 272. in quorum priore legitur ad calcem, *Scripſi ego Iohannes de Maguncia ... an. 1448.* Vterque compl. *Inſt.* de *I. D.* et de *Op. D.*

Codex TAVRINENSIS mille annorum, ex quo Chriſt. Matth. Pfaffii beneficio in lucem prodiit Pariſ. a. 1712. *Diuinarum Inſt. Epitome integra.*

Codex MICH. THOMAE TAXAQVETII diligenter excuſſus et examinatus ab Iſaeo, qui eius aetatem non indicauit. Continet *Inſt.* de *I. D.* et de *Op. D.* Hic addit Lengletius: „Miror ſaepiſſime a Doctis appellari codicem MS. TAXAQVETII, cum Taxaquetius non ſit alius a Mich. Thomaſio Lactantii editore, qui Balearo-Maioricanus erat. Is cum medio ſaec. XVI. Bononiae Iuri Pontificio ac Ciuili, vt ait ipſe, *) operam daret, vidit, non antiquiſſimum modo Cod. Lactantii ſaepius decantatum, ſed etiam aliud exemplar in eadem Bibl. S. Saluatoris Bononienſis, minus quidem antiquum, at non impar illi antiquiſſimo. Nic. Antonius Bibl. Hiſpanae novae, T. 2. f. Romae 1672. p. 117. hanc controuerſiunculam dirimit. Sic enim ait: *Mich. Thomaſius Taxaquet Balearis - Majoricenſis Caeſareo ac Pontificio Iuri operam navavit, cum Ilerdae apud Catalanos, tum Bononiae in Italia. Praeclaram ejus doctrinam eruditionemque ſcripta prae ſe ferunt; ſcilicet Lact. Firmiani opera emendavit, et notulas addidit, Antuerpiae ex officina Plantiniana. 1570.* Alia eius opera recenſet Nic. Antonius: ſed ſuſpicor, vnde natus ſit error. Lat. Latinius haec manu ſua notauit initio Lactantianae editionis Aldinae 1535. in qua Varias Lectt. Bononienſium MSS. deſcripſit. „*Emen-*

*) Epiſt. ad Granuellanum Card. Lactantio a. 1570. praefixa.

„*Emendare coepi* (inquit) *Libros hoſce Lactantii ex variis Lectionibus duorum codicum, quorum alter ex Bibl. S. Salvatoris Bononienſis litteris Longobardicis deſcriptus mirae vetuſtatis, alter itidem Bononiae ab erudito Viro Mich. Thoma Taxaquetio, ex Balearium Majore inſula orto, diligentiſſime excuſſus, atque examinatus eſt. Earum vero emendationum copiam fecit mihi Taxaquetius cum Romae eſſet, meque mirifice diligeret: quae eſt hominis humanitas.* Haec porro eadem Latinii manu ad calcem Lactantianae epitomes ſcripta ſunt. *Emendationi huic manum primam adhibui Romae 1558. tertio Cal. Iunii.* Hinc procul dubio anſam arripuerunt Iſaeus, aliique viri eruditi, ſecernendi Mich. Thom. Taxaquetium a Mich. Thomaſio, Lactantii editore. At error ab uno ſemel patratus facile ad plures dimanavit. Non igitur culpandus erat Heumannus, quod Mich. Thomaſium a Mich. Thoma Taxaquerio non diſtinxerit aut ſeparaverit. Si ergo doctis occaſio evenit eruditorum errata reprehendendi, id ſobrie, id modeſte fiat, velim, nec illos unquam iuveniliter exagitent.“

Codex *Inſit.* emptus a TORNAESIO, cum ſuam pararet ed. Lugd. a. 1567. cuius et ſubſequentium, in margine Var. Lectt. quasdam MS. codicis appoſuit; ſed aetatem non indicauit.

Codices duodecim VATICANI, qui Romae in Bibl. Vatic. aſſeruantur: eorum Lectt. paſſim allegantur. Horum Thomaſius VII. Iſaeus vero V. adhuc alios ſe cum ſuperioribus VII. MSS. Codd. diligenter contuliſſe teſtatur; ſed cuius fuerint aetatis, illis non placuit indicare nobis, ſicut nec indicauit Gallaeus eorum MSS. quorum Var. Lectt. collegit.

Codex Abbatiae Canonicorum Regularium S. VICTORIS *Pariſ.* 400 circiter annorum, compl. *Inſt. de I. D.* et de *Op. D.* quem cum Io. le Brun communi-

municauit Dominus Vion Herouallius, Canonicus Regularis, et Bibl. San-Victorinae Pariſ. tunc Praefectus.

Codex Canonicorum B. Mariae VLTRAIECTINAE MS. ex optimo deſcriptus archetypo, compl. *Inſt.* de *I. D.* et de *Op. D.* quo vſus eſt Gallaeus.

Sequitur apud Lengletium hunc codicum elenchum indiculus MSS. librorum Lactantii, qui Romae in Apoſtolica Bibl. Vaticana aſſeruantur, beneuolentia Cardinalis PASSIONEI cum eo communicatus, confectus ſtudio Aſſemanni.

1. Codices, quos *Ioſephus Iſaeus* contuliſſe ſe teſtatur, ſed deſcribere prorſus neglexit.

I. CODEX VATICANVS, ſignatus num. 215. in membrana, folia ſcripta continens 180: in eo continentur: *Inſt.* de *I. D.* de *Op. D.* Nulla temporis nota ſignatur, videtur autem ſcriptus circa a. 1480. quantum coniicere eſt ex pictura minio ornata codici praefixa.

II. COD. VAT. n. 216. in membrana, folia ſcripta continens 264. exaratus XXIV Auguſti 1484, quemadmodum notatur ab Amanuenſi extrema linea folii 264. Compl. *Inſt.* de *I. D.* de *Op. D. Inſt: Epit.* qualis tunc habebatur.

III. COD. VAT. n. 217. in membrana, folia ſcripta continens 146. Nulla temporis nota affixa eſt: ſed eiusdem aetatis ac duo praecedentes Codd. videtur. Sunt in eo: *Inſt.* de *I. D.* de *Op. D.*

IV. COD. VAT. n. 218. in membrana, folia ſcripta continens 165. exaratus ſub Sixto IV. pontifice, cuius inſignia Codici praefiguntur. Hic vero Apoſtolicam Rom. ſedem occupauit a 9 Aug. a. 1471. ad 12 eiusdem menſis a. 1484. Compl. *Inſt.* de *I. D.* de *Op. D.*

V. COD

V. Cod. Vat. n. 219. in membrana, continens folia ſcripta 180. exaratus ſub Iulio II. Pont. cuius imago aurea Codici praefigitur cum his Litteris *Iulii II. Pont. Max.* Hic porro ſedem Apoſtolicam obtinuit a die 1 Novemb. a. 1503. ad 21 Febr. 1513. Compl. *Inſt.* de *I. D.* de *Op. D.*

VI. Cod. Vat. n. 220. in membrana, folia ſcripta continens 171. exaratus ante a. 1447. Nam fol. 172. extat nota Valterii cuiusdam, qui teſtatur, recepiſſe ſe 12 ducatos in numerata pecunia pro pretio huius Cod. a. 1447. die 12 Decemb. Compl. *Inſt.* de *I. D.* de *Op. D.*

VII. Cod. Vat. n. 221. in membrana, folia ſcripta continens 281. exaratus circa a. 1450. vti ex praefixis picturis et imaginibus colligitur. Compl. *Inſt.* de *I. D.* Initium: *de Summis neceſſitatibus. Exhortatio* Demetrianum ad ſtudendum pietati diligentius, et ad mundi contemptum. Hanc *epiſtolam* Iſaeus non edidit. De *Op. D.* vti apud Iſaeum.

VIII. Cod. Vat. n. 222. in charta papyracea, folia continens 275. exaratus a. 1462. d. 21 Decemb. vti folio vlt. adnotatur. Compl. *Inſt.* de *I. D.* de *Op. D.*

IX. Cod. Vat. n. 223. folia continens 217. exaratus eſt in f. in membrana per manus Io. Hornſen, familiaris Domini Corradi de Monte Politiano, vti adnotatur fol. vlt. cuius Corradi inſignia praefiguntur cum his litteris: *A Corradi de Monte Politiano* (ſic) *Palatio Apoſtolico, temporibus Sereniſſimi Domini Petri Domini Nicolai Divina Providentia Papae quinti, a. 1454. Pontificatus ſui a. VII.* Compl. *Inſt.* de *I. D.*

X. Cod. Vat. n. 224. in membrana, folia continens 125. Fuit olim Monaſterii S. Crucis in Hieruſalem Romae. Compl. *Inſt.*

XI. Cod. Vat. n. 225. in membrana, ſolia continens 135. ſine nota temporis; ſed ex ſcriptura colligitur, fuiſſe ſcriptum a. circiter 1460. Compl. *Inſt.*

XII. Cod. Vat. n. 226. in charta papyracea, folia continens 187. Fuit Antonii de Pichetis Iuris Canonici peritiſſimi, vti adnotatur fol. vlt. Exaratus Papiae a. 1441. d. 4 Decemb.

2. Codices Vaticani, quos non viderunt nec Ioſephus, nec Sigismundus Iſaeus in ed. Lact.

1. Cod. Vat. 2876. chartaceus. 4. manu recentiori exaratus. *Fragmentum ex lib. VII. Inſt.*

2. Cod. Vat. 3152. chartaceus, 4. Carm. de *Reſurrect. Domini.* Carm. de *Phoenice.*

3. Cod. Vat. 5134. Carm. de *Phoenice.* In charta papyracea ſcriptus.

4. Cod. Vat. 5346. Carm. de *Phoenice.*

3. Codices olim Palatini, nunc in Vaticana Bibliotheca aſſeruati.

1. Cod. Palatinvs. 161. Membranaceus, ſaec. XIV. conſtat foliis 236. *Inſt.* Deeſt initium libri primi. De *Op. D.* Deeſt finis.

2. Cod. Pal. 162. Membran. fol. recent. conſtat foliis 213. *Inſt.* de *Op. D.* Carm. de *Phoenice.*

3. Cod. Pal. 163. Membran. recent. fol. 261. De *I. D. Inſt.* De *Op. D.* *Index Capitum Lactantii.*

4. Cod. Pal. 164. Ex Papyro. fol. 190. *Inſt.* De *Op. D.* de *I. D.*

4. Biblio-

4. Bibliothecae Vaticanae Vrbinatenſis.

CODEX 58. Membran. antiq. in fol. 282. *Inſt.* De *Op. D.* de *I. D.* Carm. de *Phoenice.* De *Reſurr. Chriſti.*

5. Codices Vaticani Bibliothecae Regiae Alexandrinae; id eſt ex Bibliotheca Chriſtinae Alexandrae, Reginae Suecorum.

1. COD. REGIO-ALEXANDRINVS 149. fol. Membran. exaratus d. 16 Ianuar. a. 1434. Boniae vti fol. vlt. adnotatur. Fuerat Bibl. Cardinalis et Principis a Dietrichſtain, Germani. Conſtat foliis 244. Compl. *Inſt.* De *I. D.* de *Op. D.* In fine haec ab Amanuenſi adnotantur: 1436. d. 3 Febr. correctum eſt hoc opus. D. 20 Febr. 1438. correctum eſt ſecunda vice. 1439. d. 8 Ian. hora 3. perfeci ſtudium eius. 1441. d. 6 Febr. perfeci iterum ſtudium eius corrigendo vſque ad Geographiam.

2. COD. REGIO-ALEXANDR. 217. Membran. 4. Fuerat Ger. Io. Voſſii, vti adnotatur fol. 1. deinde Alex. Petauii n. 71. a. 1656. vti ibidem legitur. Compl. de *Ira D.* de *Op. D.*

3. COD. REGIO-ALEXANDR. 265. Membran. conſtat foliis 189. Compl. *Inſt.* de *I. D.* de *Op. D.*

4. COD. REGIO-ALEX. 268. ex Papyro. Conſt. fol. 155. exaratus a Gotardo Stella, vti adnotatur fol. vlt. Fuit Nic. Heinſiii, poſtea Petauii a. 1656. vti obſeruatur fol. 1. Compl. *Inſt.* Deeſt initium. De *I. D.* de *Op. D.*

5. COD. REGIO-ALEX. 276. Membran. antiq. conſt. fol. 241. cont. *Inſt.*

6. COD. REGIO-ALEX. 1151. ex Papyro, exaratus a Philippo Scholari Pariſienſi, d. VI Octob.

 a. 1506.

a. 1506. vti adnotatur fol. 108. Compl. *Inſt.* imperfectas. De *I. D.*

7. Cod. Regio-Alex. 1939. In membrana exaratus ſub Nicolao V. Papa, vti conſtat ex ipſius Stemmate, fol. 2. Fuerat Patrum Theatinorum S. Silueſtri, vt docet Inſcriptio appoſita, fol. 1. A Clemente XI. in Bibl. Vaticanam illatus eſt. Conſtat foliis 289. Compl. *Inſt.* de *I. D.* de *Op. D.*

3.

Ivlivs.

§. 1. Vita. Epiſcopus Romanus in locum Marci a. 337. d. VI Febr. ſuffectus. Quo tempore Arianae factionis in Athanaſium irae denuo ſufflatae erant, quod ei a Caeſaribus Conſtantino, Conſtantio et Conſtante h. a. conceſſum eſſet Treuiris, vbi in exilio vixerat, Alexandriam reuerti; vbi recens (339.) in locum eius Piſtum quendam Epiſcopum ordinauerant. Igitur non ſolum Caeſarum animos ab eo abalienare, ſed et Iulio Epiſcopo recens conſtituto inuiſum reddere nituntur, datis ad eum per Maximum presbyterum et Martyrium Heſychiumque Diaconum literis de Athanaſio, nec non de Marcello Ancyrae Epiſcopo, quem pariter abrogauerant et Aſclepa Gazae Epiſcopo criminoſiſſimis, ſimul vt cum Piſto communicare vellet ſollicitantes. Quorum maleuola conſilia vt euerteret, ipſe quoque Athanaſius ad Iulium presbyteros quosdam miſit, qui coram Iulio maledicentes illorum linguas adeo retuderunt, vt hi, ne protinus calumniam ferrent, ad Concilium a Iulio cogendum prouocarent. Captus hac ambitioſa poſtulatione Iulius Athanaſium Romam acciuit et ad Euſebianos de Concilio Romae menſe Iunio 341. habendo literas dedit. Illi eludere Epiſcopi Romani inuitationem. Ipſi concilio Antiochiae

chiae coacto Athanaſium abrogant et alium Epiſcopum Gregorium nomine in locum eius deſignant, eumque militari manu ſtipatum Alexandriam mittunt, mox grauiter Iulium de affectata in re iam diſceptata iudicis auctoritate, per literas increpantes, a communione ſua excluſuros eum minati ſunt. Interea Romae concilio habito Athanaſius, cauſa recognita, abſolutus et ab omni aduerſariorum criminatione liberatus eſt. Iulius autem acerbis Euſebianorum literis aliquamdiu occultatis, quod per legatos mitiorem ſententiam expectaret, tandem ſpe fruſtratus in Concilio praelegi iuſſit et hortante iubenteque coetu ad reſpondendum ſe dedit verbis quidem leniſſimis et argumentatione ſolida. Cum nihil obtinuiſſet, Conſtantis Auguſti opem cum aliis epiſcopis implorauit, quo intercedente a Conſtantio permiſſum eſt, vt Sardicae (in Dacia Illyrica) a. 347. Concilium oecumenicum conſcriberetur. Quoniam autem Epiſcopi orientales Athanaſium et alios damnatos ſuis decretis epiſcopos in conſeſſum admittendos negarent, nec obtinerent tamen, aduerſante Occidentalium factione, illico ad ſedes ſuas reuerſi ſunt. Reliqui Occidentales Athanaſium, et, qui in cauſa eius ſedibus ſuis depulſi erant, epiſcopos, comprobarunt et ſedibus reſtituendos declarauerunt, damnatis et a communione eccleſiae procul habitis, qui ſedes interim ab Arianis occupare iuſſi eſſent, Concilii huius decretis ab inimicis Arianae factionis Epiſcopis nimium partium ſuarum ſtudioſis, plus aequo pontifici Romano auctoritatis indultum nonnullis videtur, vtpote qui *hoc obſeruantiae erga Petri apoſtoli ſedem deberi cenſent, vt ad eum de ſingulis quibusque prouinciis Domini ſacerdotes referant*, ipſiusque curae permittunt, vt per ſcripta eius, qui in Sardinia; Sicilia et Italia ſint fratres, quae acta et definita eſſent, cognoſcerent.

ſcerent.*) Interea Athanaſius in ſedem Alexandrinam redire auſus non eſt, antequam Conſtantius minis fratris exterritus plenam pacem Athanaſio et reliquis, qui cum eo facerent, epiſcopis conceſſiſſet. Abeunti Iulius ad presbyteros, diaconos et plebem Alexandriae literas commendaticias dedit. Paulo poſt Vrſacius Singiduni et Valens Murſi Epiſcopus, qui maxime etiam Athanaſio infenſi fuerant, recantatis coram Concilio Mediolanenſi formulis ſuis Romam migrarunt, et quo ſpecioſius fraus lateret, coram Iulio eadem confirmarunt. Non multo poſtea a. 352. d. XII April. Iulius diem ſupremum obiit, poſtquam annos XV. menſes II. dies VI. ſedem Epiſcopalem tenuerat.

§. 2. Scripta. Graece extant *duae* eius *Epiſtolae*, quarum *vna* Antiochenſibus reſpondit menſe Septembri a. 342. ex Conſtantii ſententia; *altera* Alexandrinis Athanaſium Roma abeuntem commendat, a. 349. ſcripta.

Inter *deperditas* numerandae literae ad Athanaſium et Euſebianos a. 340. perſcriptae, quibus Romam vtrosque euocauit; item quas deinde per legatos ad Euſebianos a. fere 341. cum fruſtra Athanaſius Romae eos expectaſſet, dedit, nec non eius ad Sardicenſem Synodum epiſtola.

Suppoſititia ſunt *Epiſtolae* ad *Dionyſium Alexandrinum*, et *Prosdocium* ab Apollinariſtis ſcriptae, fragmen-

*) Extat huius Concilii Ep. ad Iulium latine in fragm. Hilarii 2. n. 9. ſed qui animo ab omni affectu libero interpretandi modo rationes callens et tenori totius inſiſtens legit, ſentiat neceſſe eſt, priorem locum a verbis *Hoc enim optimum et valde congruentiſſimum videbitur, ſi ad caput, id eſt ad Petri apoſtoli ſedem de ſingulis quibuſque pr. D. ſ. referant*, ab aliena manu eſſe inſutum.

fragmenta deinde varia, ex *ſermone de homouſio*, et *Epiſtola ad Cyrillum Alexandrinum* d. Natali Domini, huiusque et Iuuenalis Hieroſolymit. ad Iulium; aliaque non pauca ex Iſidori Mercatoris officina, nec non *Decreta*, quae ei tribuuntur.

Editae ſunt duae Iulii Epiſtolae cum *Athanaſio*, qui eas ſeruauit in *Apologia contra Arianos* n. 21-35. edit. Montfauconianae (Pariſ. 1698.) T. I. Part. I. p. 141. 154. et n. 52. 53. 171. 172. Altera etiam extat in *Socratis H. E.* II. 23. p. 108. et apud *Nicephorum* IX. 22. ac Latine in *Tripartita* IV. 29. Inde receptae ſunt inter Epiſtolas Pontif. a *Petro Couſtantio* p. 350-387. et 399-405. additis argumentis et annotationibus doctis. Inſeruit pro more Couſtantius varia ad res inter Iulium, Athanaſium et Arianos geſtas pertinentia, veluti epiſtolam *Marcelli Ancyrani* p. 388. ex Epiphanii Haer. 72. 2. *Synodi Sardicenſis* p. 395. *Valentis* et *Vrſacii* ex Athanaſii apologia n. 58. T. I. p. 176. Diſputat deinde a p. 406 ſqq. de aliis ad Iulium ſpectantibus epiſtolis et a p. 411 ſqq. de Decretis ei attributis. In appendice denique p. 69. ſuppoſititia, quae ſupra notauimus, exhibet. §. 3. Edita.

1769.

Venet. f. in *Bibliothecam Patrum Gallandii* T. V. Cap. II. 1-15. nec hic ſine annotatione. Adiunxit etiam *Marcelli Ancyrani* epiſtolam, nec non *Eugenii Diaconi* legationem ad S. Athanaſium, pro cauſa Marcelli.

4.

MACROBIVS.

§. 1. Vita. Natione fortaſſis Afer, certe Africanae eccleſiae catholicae, anteaquam ad Donatiſtas transiiſſet, Presbyterum fuiſſe, Gennadius tradit. *) Deinde inter Donatianos in vrbe Roma occultus epiſcopus, quartus loco fuit.

§. 2. Scripta. *Scripſit* Presbyter adhuc *ad confeſſores et virgines* librum vnum laudatum Gennadio l. l. Honorio II. 5. et Trithemio c. 107, Donatiſta vero *Epiſtolam* ad plebem Carthaginienſem *de paſſione Maximiani et Iſaaci Donatiſtarum*; quae nunc ſola ſupereſt.

§. 3. Edita. Edidit primus, ſed non integram *Mabillonius* in *Analectis*, *Pariſiis* 1675. 8. T. IV. p. 119. iterumque in editione ſecunda, *ibid.* 1723. f. p. 185; integriorem autem et correctam ex Cod. Corbeienſi *Dupinius*. Ad calcem Optati, *Lut. Pariſ.* 1700. f. p. 199. 200. quocum recuſa eſt in repetitionibus Amſtelod. 1701. et Antwerpienſi 1702.

5.

LIBERIVS.

§. 1. Vita. A. 352. Menſis Maii d. XXII. inuitus, vt ipſe faſſus eſt, Iulio ſucceſſit. Quo munere in turbulentiſſimam incidit per nouas Arianorum ſeditiones tempeſtatem.

*) *Gennad.* de V. I. ep. V. quod ipſum tamen an vero conſentaneum ſit, in dubium vocauit *Lardner* P. II. Vol. VII. p. 237. adeo vt duo eiusdem nominis homines ab eo confuſos eſſe putet. Haeſit imprimis in eo, quod ad Confeſſores exhortationem ſcripſerit, quoniam Catholico iſtius aetatis Ep. vix competat.

peſtatem. Interfecto enim Conſtante et deuictis Magnentio et Decentio, Conſtantius, cui iam ſumma rerum parebat, in Athanaſium Arianae factionis inſtigationibus multo quam antea magis exaſperatus eſt. Liberii autem a primordiis epiſcopatus geſta diuerſimode tradi ſolent. Nam qui epiſtolam eius Athanaſio inſcriptam, quae inter Hilarii fragmenta*) reperitur, genuinam putant, huc referre ſolent, ſtatuentes, eum ad temporum conditionem animum accommodaſſe et Athanaſii aduerſariis gratificatum, adeo quidem vt lectis eorum ad praedeceſſorem eius Iulium denuo datis literis Athanaſio multa grauia exprobrantibus Iulioque mortuo ad ipſum perlatis illico Athanaſium Romam venire et ad crimina obiecta reſpondere iuſſerit. Athanaſius autem quamuis improuiſa re perculſus tam petulanti imperio obſequium abnuit, ſed collegas quosdam Aegypti Epiſcopos, vt in cauſa ſua literas ad Liberium darent, rogauit. Quibus ille commotus Euſebianorum partibus, quibus ſe in omnibus aſſentire, neque cum Athanaſio communionem habiturum, per literas iam ſignificauerat, relictis Athanaſium in amicitiam tutelamque recepit ac vſque adeo defenſor et propugnator eius extitit, vt odium acerrimum et grauiſſimas Conſtantii minas animo imperterrito ſpectaret. Talem vero conſtantiam et fortitudinem non eſſe animi inter metum et aſſentationem fluctuantis arbitrati alii negant ab initio Athanaſio infenſum ſe praebuiſſe et a praedeceſſoris ſui moribus et ſententia niſi extrema aetate receſſiſſe, adeoque fidem epiſtolae eius infringunt.**) Diu ſane et fortiter

*) I. p. 40. ed. Bened.

**) Septem argumenta profert Dupinius N. Bibl. SS. Eccl. (Col. Agrip. 1692. 4.) T. 2. p. 128. quibus falſam eam eſſe probet; atque inſuper etiam ex locutionibus quibus-

fortiter quibusuis Conſtantii tentationibus reſtitit. Nam cum Conſtantius pro ſuo in Athanaſium odio, Concilio ſemel iterumque Arelatem primum, mox Mediolanum coacto, praeſentes Epiſcopos, vt contra Athanaſium ſententiam ferrent, adegiſſet et ſolus Liberius cum eo facere videretur, victis iam et animo deiectis per imperatoris aſſentatores vel pertinaciae poenam exilio luentibus, quos ad ea concilia Liberius demandauerat, epiſcopis, ipſum denique de ſubſcribenda Athanaſii damnatione ſollicitare perrexit. Ac primum quidem per Eunuchum Romam transmiſſum pollicitationibus agere; ſed cum nihil ille profeciſſet, Liberium Vrbe per Praefectum Leontium ſubductum Mediolanum ad ſe transmitti iubet. Vbi cum nihilominus ſtrenue in ſententia perſtitiſſet, Beroeam in Thracia in exilium miſſus eſt, Felice quodam diacono in locum eius ſubrogato. Hic tamen poſt duorum fere annorum ſpatium exilii taedio, deſiderioque ſedis Romanae, precibus etiam quorundam, vt ferunt, quorum intereſt, vt quam minima ſanctitas eius labe polluatur, victus, conſilium mutavit, et poſtquam per literas cum Epiſcopis Orientalibus communicauerat, ſimulque vt gratiam ei a principe impetrarent, precibus contenderat, formulamque etiam fidei Arianam a Demophilo ſibi oblatam approbauerat, Sirmium a Conſtantio accitus, decretis contra Athanaſium et formulae Semiarianae *) ſubſcri-

quibusdam contendit. Ac licet ſingula non eiusdem ponderis ſint, e. c. quod tertio loco ex ſilentio Athanaſii petiit et quartum quod inter hanc epiſtolam et reliquam orationem in fragg. Hilarii nexus nullus intercedat, quae *Bowerus* (Geſch. d. Päbſte T. I. 202. verſ. vern.) imprimis vrget: reliqua tamen argute magis quam feliciter impugnabis.

*) In tertio Sirmienſi Concilio a. 358. concepta.

ſubſcripſit. Dehinc Romam remittitur, vt vna cum Felice in eius locum antea ſuffecto eccleſiam gubernaret. Hic vero, cum vix vrbem Liberius intraſſet, vel ſenatu, vel plebe cogente Roma expulſus eſt, Liberius ſolus et tranquille ad obitum vſque per nouem integros annos locum tenuit, mortuus a. 366. Poenituiſſe illum facti tradunt et quod inuitus in Athanaſium admiſerat, recantaſſe. Non iniuria fortaſſe. Sed quae circumfertur eius nomine fidei formula ad Athanaſium miſſa, manifeſto falſa ac ſeriori demum tempore confiſta eſt.

Liberii quae extant, maximam partem epiſtolis circa res a nobis expoſitas conſtant, hac ſerie: I. *Ad Oſium.* II. *Ad Caecilianum*, fragm. ep. III. *Ad Euſebium Vercellenſem.* IV. *Ad Conſtantium Aug.* V. VI. *Ad Euſebium Verc.* VII. *Ad Euſebium Dionyſium, et Luciferum Exules.* Poſt lapſum deinde: VIII. *Ad Orientales.* IX. *Ad Vrſacium Valentem et Germinium* Epiſcopos in aula Imperatoris. X. *Ad Vincentium Capuanum.* XI. *Ad Catholicos Epiſcopos Italiae.* XII. *Ad Vniuerſos Orientis orthodoxos Epiſcopos*, graece. XIII. Praeterea ſuperſunt *Liberii dicta ad Euſebium ſpadonem, dum ipſum, vt in Athanaſium ſubſcribens Imperatori obtemperaret, adhortabatur* et XIV. *Dialogus Eius et Conſtantii imperatoris, triduo antequam in exilium deportaretur, habitus.* Denique XV. *Oratio Liberii Marcellinam S. Ambroſii ſororem dato virginitatis velo conſecrantis.* §. 2. Scripta.

De *deperditis* et *ſuppoſitis* ad Conſtantium lectores ablegamus.

Ex his Epiſtolae n. I. II. IV. VII. VIII. IX. X. XI. ab *Hilario* nobis transmiſſae ſunt inter *fragm.* V. §. 3. Edita.

et

et VI. Sed quae ſunt n. III. V. VI. *ex Vercellenſis Eccleſiae archiuo* primum *apud Baronium* ad a. 353. n. 20. 354. n. 6. et eodem a. n. 8. nec non deinde per *Stephanum Ferrerium* Vercellenſem Epiſcopum prodierunt. Ex iisdem tabulis Eccleſiae Vercellenſis et Codice Vaticano apud Baronium ad a. 355. n. 32. et Stephanum Ferrerium vulgatus eſt. VII. Idem Baronius epiſtolam VIII. IX. X. ex duplici collectionis, vt vocat, Creſconianae exemplari ad a. 357. n. 34. publicauit. Sed in eam non aliunde niſi ex Hilariano opere translatas eſſe, Couſtantius monuit et comprobauit. Tandem epiſtola n. XII. apud *Socratem H. E.* lib. IV. cap. 12. extat, quam praecedit ibidem, apud *Sozomenum* lib. VI. cap. 11. etiam repetiunda *Legatorum Lampſacenae ſynodi ad Liberium ep.* cui haec reſpondet. Porro n. XIII. apud *Athanaſium ad Monachos* §. 36. Opp. T. I. P. I. p. 365. ed. Montefauc. n. XIV. apud *Theodoret. H. E.* lib. II. cap. 16. occurrunt. n. XV. denique ab *Ambroſio de Virgin.* lib. III. cap. I. II. III. Opp. T. II. p. 173-177. ed. BB. (Pariſ. 1690.) ſeruatur.

Ex his tam diuerſis locis collectae ſunt et annotatione illuſtratae epiſtolae a I. n. XIII. et XIV, a *Couſtantio* a p. 422-463. Subiecit notitiam non extantium aut ſuppoſititiarum (ex quibus potiora ſimul, nempe *Epiſtolas eius ad Orientales et Athanaſium* cum huius reſcripto, et *Liberii* quae dicuntur *geſta*; appendix a p. 87-102. praebet) itemque *Decretorum*, quae Liberio tribuuntur, cenſuram p. 463-467. Nouiſſime *Andreas Gallandius* in Bibl. Vett. PP. et Ant. SS. Eccl. T. V. loco ſexto exhibuit praeter n. XIII. XIV. et XV. epiſtolas I-VII. XI. XII. Epiſtolas autem n. VIII. IX. X. commemoratas aeque ac illam, quam poſt initium epiſcopatus ſtatim ad Orientales ſcripſiſſe fertur, ſpurias et ab haereticis con-

confictas duxit ac locum illis in Biblioth. ſua negauit.

6.

HILARIVS.

Natus eſt Hilarius Pictauii in Gallia ſub initium ſaeculi IV. parentibus gentilibus, non infimi loci. Quo factum eſt, vt optime literis et ingenuis diſciplinis, vtut tunc temporis in Galliis erat earum conditio, erudiretur, literarumque adſectatione in libros ſacros incideret, quorum praeſtantia et imprimis ſententiarum grauitate captus, ſe vxoremque et filiam Apram nomine fidei chriſtianae addixit. Prima quidem, quam in contubernio Chriſtianorum exegit, aetas pariter ac tempus, quod gentilis adhuc traduxit, in obſcuro latet. Summum eccleſiaſticae dignitatis faſtigium quin eruditione, morum integritate et deuoto penitus religioni animo meruerit, nullum dubium eſt. Num vero ab inferioribus clericorum gradibus ſenſim aſcenderit, an ſubito in ſedem epiſcopalem ſit euectus, diuinare difficile ſit. Certius videtur annus, quo epiſcopi ſedem occupauerit, CCCL. poni. Hilarius hoc officio imprimis ſibi datum exiſtimabat, fidem orthodoxam, quae audiebat, contra Arianorum vexationes defendere; quod ſcriptis iuxta ac viua voce animoque intrepido, ſed nimio feruore ac vehementia nec ea vbiuis, quam res imperii et eccleſiae poſcebant, prudentia praeſtitit. Ac primum quidem in hac cauſa a. 355. poſt Concilia Arelate et Mediolani a. 353. et 355. celebrata *librum vnum ad Conſtantium* miſit, adhortatus imperatorem, vt orthodoxae fidei ſectatores perſequi deſiſteret. Simul Saturnino Arelatis Epiſcopo, Vrſacioque et Valenti epiſcopis, Arianae factionis per Gallias, Pannoniam ac Moeſiam ſtatoribus, omnem ſecum communionem interdixit. §. 1. Vita.

dixit. Non impune. Nam Saturninus, qui plurimum gratia apud imperatorem valebat, effecit, vt Biterras*) Concilium decerneretur, a quo abeſſe Hilario per Conſtantium non licebat, quamuis quae Athanaſio et ipſi intenderentur ibi pericula, facile praevideret. Ergo quicquid in illo concilio pro Athanaſio et Concilii Nicaeni formulis contra Arianos ab eo proferebatur, quod non niſi deſultorie per illos fieri poterat, ad ipſum ſolum apud imperatorem inuidia opplendum valuit iuſſuque Conſtantii Phrygiam in exilium miſſus eſt, Rhodano, Toloſae epiſcopo, comite. Quo loco inimici eius haud dubie putaueſant exilii poenam non leuiter fore exacerbatam, quando non Phrygiam ſolum, ſed omnem Aſiam minorem Arianis plenam cognoſceret. Et accidit ſane, ſed mitigabatur dolor Gallicanorum Epiſcoporum literis, quibus vinculum et communionem inter eum et eccleſiam Gallicanam ſaluam fore ac integram, Saturninum contra in Eccleſiae ſocietatem non admiſſum iri ſignificabant. Hinc ad eos perſcripſit *librum de Synodis* ſ. *de fide Orientalium* et *libros de Trinitate* abſoluit. Anno autem 359. cum Concilia Arimini et Seleuciae haberentur, Hilarius quoque, incertum quo auctore et impulſore, certe iniuſſu imperatoris accitus eſt. Quumque Anomoei viciſſent, Conſtantinopolim cum legatis ſynodi petiit expectaturus, Phrygiamne an Gallias repetere iuberetur. Ex quo colligas, Hilarium in ea opinione fuiſſe, ſe imperatoris iuſſu Ariminum miſſum eſſe. Ibi Orientales quosdam Epiſcopos, Nicaenam formulam tantum non totam amplexos, Gallicanis conciliauit, quo facilius coniuncti ſe tuerentur. Vtque copia ſibi daretur cum Arianis diſputandi, flagitauit et poſt Concilium Conſtan-

*) *Beziers* in Languedoc.

Conſtantinopoli (360) habitum, quod in gratiam Anomoeorum ceſſerat, ad *Conſtantium* alterum libellum non mitiori pectore ſcriptum dedit. Sed protinus Conſtantinopoli decedere et Gallias reuerti iuſſus eſt. Lente tamen in hoc itinere perrexit, in quo librum etiam contra Conſtantium, atrae bilis foetum emiſit. In Gallias deinde, forſan Iuliano iam imperatore, reuerſo, prima cura fuit, vt Epiſcopos Gallicanos, qui Ariminenſis Concilii formulae ſubſcripſerant, et pro lapſis habebantur ab orthodoxae fidei defenſoribus, Eccleſiae recuperaret, quod imprimis Conciliis hinc ibi habitis effecit. Aliquot annis poſt Valentiniano et Valente imperatoribus de Italia ab haereticis purganda ſollicitudo eum inceſſit et prae caeteris *Auxentium* Mediolani Epiſcopum Arianae factionis per occidentales regiones ingens columen et in aula Caeſarea magnopere gratia florentem debellavit, ſed poſt varias machinationes et editum *aduerſus eundem librum*, qui nunc quoque extat, ipſe ex vrbe ſecedere iuſſus, reliquum vitae tempus tranquille degit, vltimoque opere *expoſitionum in Pſalmos* exarato a. 368. d. XIII Ian. vitam reliquiſſe putatur.

§. 2. Scripta. Scripta Hilarii quae ſuperſunt, ſecundum temporis ſeriem: *Ad Conſtantium liber primus* a. 355. *Commentarius in Euangelium Matthaei* circa a. 356. *De Synodis* ſ. *de fide Orientalium*, in editionibus vetuſtis: *de ſynodis Graeciae* a. 358. *De Trinitate* l. XII. a. 359. ſ. 360. abſoluti. *Ad Conſtantium liber ſecundus* a. 360. *Aduerſus Conſtantium* a. 361. *Aduerſus Auxentium Mediolani Ep.* a. 365. *Expoſitiones in Pſalmos* extrema ſenectute compoſitae, auctiores poſt edit. Veronenſem per Edmundum Martene redditae. *Fragmenta Hilarii* ex libro hiſtoriam

Concilii Ariminenſis et Seleucienſis complexo et *adverſus Valentem et Vrſacium* inſcripto.

Falſo tribuuntur Hilario: *Epiſtola ad Apram filiam* et *Hymnus matutinus* ad eandem, quamquam a Benedd. pro genuinis accepta; *Carmen in Geneſin* liber *de Patris et filii vnitate*, liber *de eſſentia patris et filii* vterque e libris de Trinitate conſarcinatus, *confeſſio de Trinitate*, Alcuini potius, cuius libris de Trinitate adhaeſit: denique *Epiſtola* ſ. *libellus* et *ſermo de dedicatione eccleſiae* a *Trombello* vulgati.

Deperditorum non exiguus eſt numerus, in quibus tituli aliquot valde ſpecioſi. Nimirum Liber ad *Salluſtium*, contra Dioſcurum medicum, *Hymnorumque liber*, liber *Myſteriorum*, *Epiſtolae* in Volumen collectae, *Tractatus* in *Iob* ex Graeco Origenis translati, et, de quibus tamen dubitare licet, in Epiſtolas Pauli. Aiunt quidam, Hieronymus inquit,*) ſcripſiſſe eum et in *Cantica Canticorum;* ſed a nobis hoc opus ignoratur. De ſingulis poſt Couſtantium prolixe et docte egit *Oudinus* T.I. cap. 5. p. 452 ſqq. ed. Weidmann.

§. 3. Editiones. Pauca Hilarii opuſcula, in quibus tamen opus praecipuum de Trinitate fuit, vna cum Auguſtini de eodem argumento libro, *Geo. Cribellus*, Mediolanenſis presbyter, e ſitu primus produxit *Mediolani* obſtetricante *Leon. Pachel.* a. 1489. Vnicum exemplar, quod reperire potuerit, paſſim a ſe emendatum ſcribit. Sed quo iſtud valuerit, dictu eſt difficile: Omnino autem plus curae Auguſtino tribuiſſe videtur quam Hilario, vt infra notabimus. Eadem iterum excuſa legimus *Venetiis*, et repetiit adiectis non ſine honeſta gloriatione reliquis potioribus ab aliquot viri docti

*) De Vir. ill. cap. C.

doctis ſibi oblatis *Iod. Badius Aſcenſ.* a. 1510. tribus Tomis, qui volumine non admodum magno comprehenduntur. Sed vniuerſa vitiorum nubes tantam circumfuderat caliginem, vt ad ſententias eius et effata plurimi caecutirent et vſus impreſſi Hilarii fere ceſſaret. Huic igitur calamitati ſubuenit commode Eraſmus, qui deprauationis ſpeciem et cauſas reuolvens tum emendando grauiora, tum ſpuria a genuinis ſecernendo plus praeſtitit, quam a quoquam praeter hunc virum a. 1523., quo Frobenii prela opus luci dederunt, expectari poterat. Sed nimirum non vnius viri hoc nec aetatis erat, omnes labes eluere et priſtino nitori, de quo ipſo propter dictionis eius indolem, et res a latinis Patribus non antea tractatas judicium confuſum et incertum futurum erat, Hilarium reſtituere. Multo minus autem cum Eraſmi ingenio colludebat per codicum incerta veſtigia ſedulo lectiones plauſibiles rimari, atque vbi hi deſtituturi eſſent, in vadis ſubſiſtere, ſed totum ſtatim ſimulac ad cognoſcendum aliquem ſe dediſſet, animo metiebatur, argumenti vim, tractationem atque elocutionem, aliunde et ex ſe petita, verbo, quicquid virtutum aut vitiorum ſeſe exſereret, animo notabat, ſecum reputabat atque quandam quaſi auctoris imaginem ex omnibus ſibi effingebat, quam in expoliendo textu ſequeretur, quo ſane effecit hoc, vt de cauſis variisque vitiorum generibus nemo ipſo rectius ſentiret, nemo felicius ea detegeret. Sed nequaquam omnibus emaculandis natus, curas ſuas poſterorum diligentiae perficiendas reliquit, quibus vtinam ingenium quoque. Tractarunt igitur currente ſaec. XVI. operam Eraſmianam duo Viri Docti non aeque ingenio quam ſtudio, quod vterque contulit, diſpares, *Ludouicus Miraeus*, qui a. 1544. *apud Carolum Guillard* Hilarium excudi curauit et *Martinus Lypſius*, per

 quem

quem recognitus *apud Froben. Baſ.* 1550. prodiit. Vterque Codices MSS. adhibuit, ſed diligentiam ſolus Miraeus, ſed nec ipſum magnam MSS. copiam nec in omnes tractatus habuiſſe atque pluſculum credidiſſe anteceſſoris ſui ingenio et coniecturis; Lypſium adeo propriis coniecturis plus aeque indulſiſſe Hilariumque pluribus in locis contaminaſſe magis quam caſtigaſſe, Benedictini queruntur. Interea conferri quoque coepit lucis aliquid intelligentiae auctoris noſtri ex vitae et aetatis, quam illuſtrabat, ſedula notatione, quod laboris genus primus tentauit, ſed ſatis infeliciter *Ioh. Iac. Grinaeus* edito a. 1570. Hilario *Baſ. apud Euſebium Epiſcopium.* Auſpicatius ceſſit *Io. Gillotio* Gallo Campano in ed. *Pariſiis apud Niuellium* a. 1572. facta, cui commentatio docta atque elegans de rebus ad Hilarium ſpectantibus, nec non ſtylo et ſcriptis eius praemittitur. Huc vſque Hilarius varia vice editus nihil incrementi quoad numerum librorum ceperat. Nam ſpurium tractatum Eraſmianae repetitae a Frobenio 1535. additum *de eſſentia et vnitate patris et filii* Gillotius rurſus etiam reſcidit. Iam vero 1598. nouum opus, Fragmentorum nomine, ex deperdita Concilii Ariminenſis hiſtoria ſuperſtes, e Bibliotheca *Petri Pithoei* per *Nic. Fabrum* foras datum, et Hilarii res nouo ſplendore, et temporum iſtorum in eccleſia geſta luce clariori colluſtrauit; cui ne confuſo ordine et implicato rerum nexu officeretur, editoris perſpicacia et eruditione cautum eſt. Nunc quoque ineunte ſaec. XVII. a. 1605. *ſocietas typographica Pariſienſis* animum ad parandam Hilarii editionem appulit et ſuperiorum editorum bona comprehendentem et nouis acceſſionibus e codd. MSS. locupletatam, quae per integrum paene ſaeculum obtinuit, aliquoties per eosdem, et Coloniae Agrippinae etiam recuſa. Sed parum magnifice

gnifice de eadem ſenſerunt *Benedictini*, quibus iam decus ſummum Hilarius et honeſtam conditionem debet. Horum enim ſolerti diligentia, coryphaeo ſtudiorum *Petro Coutantio* effectum eſt, vt editioni ſub extremum Saec. 1693. ſolito ſplendore Pariſiis factae nihil fere in Ed. Veronenſi ab eruditiſſimo Marchione *Scipione Maffejo* 1730. adornata addi potuerit meritoque ea inter praeſtantiſſima induſtriae fratrum huius congregationis monimenta numeretur.

Saec. XV.

1489.

Mediolani, per Leon. Pachel. f. Hilarius et Auguſtinus de Trinitate. *In fine:* Impreſſum Mediolani per Magiſtrum Leonard. Pachel, Anno a Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo nono ſeptimo Idus Iulii. *Ad Calc. Auguſtini:* anno, vt ſupra: ſeptimo Kalendas Iunii. Charactere gothico rotundo et nitido. Tituli et librorum numeri ſingulis paginis inſcripti ſunt. Saxe, *Hiſt. Mediol. typ.* p. DLXXXV. *Pin.* I. p. 90. *Praecedit epiſtola*) Ge. Cribelli ad Guid. Ant. Archimboldum, Archiep. Mediol.*, qua ex vnico, quod nanciſci potuerit, in vrbe Mediolanenſi horum librorum exemplari manu propria eos transſcripſiſſe, quantum fieri potuerit, emendaſſe, ſuaque ipſius impenſa imprimi curaſſe ſcribit. Accedunt autem praeter libros de Trinitate, liber aduerſus Conſtantium Aug. Libri II. ad Conſtantium. Liber contra Auxentium et *ipſius Auxentii ep.* purgatoria et liber *de Graeciae Synodis*, quem, inquit, facunda illa natio ita admirata eſt, vt in propriam linguam vertendum curauerit.

*) Ap. Sax. p. CCCCXCIV.

S. I. cum Auguſtino de Trinitate. *Venetiis* per Pagaum de *Paganinis:* 4. *S. Hilarii* Libri XII. de Trinitate contra Arianos.

Saec. XVI. 1510-1600.

1510.

Parrhiſiis ap. Aſcenſium. f. Opera complura S. Hylarii Ep. hac ſerie compreſſa. D. *trinitate contra Arrianos* lib. XII. Contra Conſtantium haereticum lib. I. Ad Conſtantium Imp. l. II. Contra Auxentium Arrianum l. I. Auxentii Blaſphemiae plena ep. I. De Synodis contra Arrianos habitis lib. I. Ad Apram F. diui Hylarii Ep. I. In pſalmos Dauid commentarii ſeu libri II. In euangelium Matthaei lib. I. *Venundantur vbi impreſſa ſunt* in aedibus aſcenſianis Parrhiſiis *in via regia ad divum Iacobum ſub tribus luciis.* (1510.)

Praefatus eſt epiſtola appoſita nuncupatoria ad Ioannem rhedonen. antiſtit. et confeſſionis Reginae Francor. auditorem (d. ex gymnaſio pleſſeiaco Parrhiſ. 7 Id. jan. 1510.) *Robertus Fortunatus* Maclovienſis — de Hilarii vita, ſcriptis et exſtantibus et deperditis eorumque ſtilo. At poſtquam librorum a Cribello editorum meminit, haec addit: Commentarios autem duos in pſalmorum explanationem *Ioannes Solidus cracouius,* vir litteris et moribus probatis, adhortante praeſertim *Iacobo Fabro* ſtapulenſi, philoſopho multis nominibus laudato, acri vigilantia et non pauco labore e ſitu ac ſqualore redemit. Porro tractatus in Matthaeum et epiſtolam ad Apram filiam diui Hilarii, Guilielmus Paruus regiae confeſſionis auditor e diui *Benigni diuionen.* coenobio ad *Badii* officinam, vt latinis characteribus vir tam anxie latinus impri-

imprimeretur, transmiſit. Huic epiſtolae ſubnexum cernitur epigramma *aſcenſianum* ad Guil. Paruum. In fine epiſtolae, ad Apram, f. XCIIX. quo prima editionis pars ſinitur, haec leguntur verba: Explicitum eſt opus ſancti Hylarii Epiſcopi de Synodis: cunctis orthodoxae religionis zelatoribus, cum vtile tum neceſſarium. In *Arianos* inque praeuaricatores Arianis aſtipulantes. Impraeſſum ſolerti opera in aedibus Aſcenſiànis ad quartum Idus ſeptembres, Anno M. D. X. *Explanatio pſalmorum.* Alteram quaſi conſtituit partem. tertia inchoatur *Tabula canonum euangelii Matthaei.* Illi finis hiſce verbis imponitur: fol. XXXV. a. Finis tractatus Sancti HYLARII Epiſcopi in Mattheum, de quo vetus hoc extat epigramma:

HYLARII hoc opus eſt digeſtum praeſulis ore:
Qui iunxit veris edita cum typicis.
Suppoſuit ſacrae patratis verba figurae
Quae leni ſcripſit myſtica diſſeruit.

Recentius de Diuo HYLARIO diſtichon:

Gallorum columen, *Gallus* non *Gallus*, at heros
HYLARIVS doctus, docta per ora volat.

Impreſſum eſt hoc opus quanta maxima potuit diligentia pro exemplariorum paenuria in aedibus atque impenſis *Aſcenſianis.* Anno ſalutis noſtrae M. D. X. Ad Calendas Ianuarias Eod. fol. b. breuis legitur *narratio* de vita et operibus B. Hylarii *per ſpanhemenſem* (Trithemium Abbatem).

1523.

Baſ. ap. Froben. f. Hoc titulo: Io. Frobenius Pio Lectori S. D. Diui Hilarii Pictauorum epiſcopi lucu-

lucubrationes per Eraſmum Roterodamum non mediocribus ſudoribus emendatos, formulis noſtris, operaque noſtra, quantum licuit, ornauimus. Priorem aeditionem non damnamus, ſed quid interſit, ipſe cognoſces ex collatione, lector optime, ſimulque valebis. Catalogum reperies in proxima pagella. In officina Frobeniana apud inclytam Baſileam. Anno M. D. XXIII. menſe Febr.

Exhibentur libri eodem ordine ac in ſuperiori editione, niſi quod Comment. in pſalmos Tomum ſecundum conſtituit, qui ſimul indicem *cuiuſdam eruditi* in omnes libros complectitur. De nouo acceſſit hymnus ad Apram filiam, ſed vna cum epiſtola ad eandem pro nothis declaratus. Caeterum praefixa eſt huic editioni famoſa illa et Pontificiis inuiſa *epiſtola dedicatoria Eraſmi* ad Io. Carondiletum Archiep. Pauor., in qua de interpolationibus in Hilario a multis inde ſaeculis commiſſis et multorum temere auſis acerbe conqueritur, ſingulorum ſcriptorum argumenta, cauſas et origines tam libere quam perite exponit, denique de ipſius Hilarii ingenio ac moribus ita diſputat, vt miraremur iure profecto, ſi inter prohibitos libros non relata eſſet haec Hilarii editio. Moderatae ſunt Benedictinorum de praeproperis illius iudiciis querelae.

1526.

Baſ. ap. eund. f. Eraſmiana repetita. Caueus, qui editionem primam Eraſm. ignorat, laudat 1516, oculi haud dubie errore pro a. 1526. Tertia vice repetita eſt *ibidem ex Frob. off.* 1535.

1528.

Baſileae. f. D. Hilarii Ep. Pictauorum de patris et filii vnitate et quorundam locorum Scripturae S. inter-

interpretatione; in *Antidoto contra diuerſas haereſes* p. 83 - 91.

1544.

Pariſiis ap. viduam Carolam Guillard. f. D. Hilarii opera ex recenſione *Ludouici Miraei.*

„Haec Miraei editio omnium, quae ante et poſt prodiere, licet noſtro iudicio caſtigatior, ita tamen rara eſt; vt luſtratis pluribus Pariſianis Bibliothecis, eam detegere nos poſſe iam deſperaremus, cum in magno Carmelitarum Conuentu offendimus. Eraſmi laborem plurimum laudauit Lud. Miraeus, ipſe diligentia vicit. Nam ſcriptis exemplaribus accurate collatis, quidquid in eis a Frobeniana editione diuerſum nactus eſt, non minore cura notauit. Plurimos *codd. mirae antiquitatis* ſe contuliſſe teſtatur, vnos nominauit Victorinos, qui certe antiquitatis titulo a multis longe ſuperantur. Ex eadem S. Victoris bibl. emit librum *de eſſentia Patris et Filii*, *duas ad Auguſtinum epiſtolas* ac *Metrum in Geneſin.* Benedd.

1550.

Baſ. ap. Hier. Froben. et Nic. Epiſcopium. D. Hilarii P. E. Lucubrationes quotquot extant, olim per Deſ. Eraſmum Roterod. haud mediocribus ſudoribus emendatae, nunc denuo uigilantiſſime et ad plura exemplaria per D. Martinum Lipſium collatae et recognitae. Pagina tituli averſa poſt Cat. in ſuperioribus contentorum haec leguntur: „Additum erat nobis illud agentibus ſcriptum quoddam, hunc titulum prae ſe ferens, *Hilarij de patris et filii vnitate:* mox comperimus id non eſſe nouum Hilarii opus, ſed rhapſodiam ſtudioſi cujuspiam, partim quidem e ſecundo De Trinitate libro, ſed maxima ex parte e nono conſarcinatam, omiſſis et additis quaelibet, vt ſatis

ſatis appareat, eum quisquis hoc auſus eſt, voluiſſe lectori facere fucum. Attexuit appendicem De variis Chriſti cognominibus, ex autore neſcio quo, nam phraſis plurimum diſſonat ab Hilariana. Nos vel in hoc relinquendum duximus, quo perſpicuum ſiat, quid ſit titulis credere: nec ſine cauſa in praefatione deſtomachari Eraſmum, in eos qui ſibi nihil non permittunt in celebrium virorum monumentis." Acceſſerunt ergo de eſſentia patris et filii liber. Epiſtola ad D. Aurelium Auguſtinum de reliquiis Pelagianae haereſeos. Altera ad eundem, in qua proponit aliquot quaeſtiones. Eiusdem Carmen in Geneſim ad Leonem Papam. De ſuis curis Lypſius praeter ea, quae titulus praefert, ne verbulum quidem. Benedictini vero iudicant, non negandam eſſe in mendis typographicis emaculandis Lypſii vigilantiam: ſed in conquirendis ac recenſendis MSS. curam poſuiſſe longe minorem, quam in excogitandis coniecturis, in quibus non ſemper, imo raro felix fuerit. Reprehendendus quoque videri poſſit in eo, quod Miraeum, quem certe ignoraſſe verba modo allata credere prohibent, penitus neglexerit.

1570.

Baſ. per Euſeb. Epiſcopium et Nicolai fratris haeredes. Eadem repetita. Acceſſit *Io. Iacobi Grynaei* vita *S. Hilarii* Cal. April. A. MDLXX. perſcripta, quae acrem Gillotii et Benedictinorum cenſuram paſſa eſt.

1572.

Pariſiis ap. Sebaſt. Niuellium. f. D. Hilarii opera, ad plura exemplaria collata, nunc accuratiſſime reſtituta: ex editione *Ioannis Gillotii* Campani,

Prae-

Praemittitur commentatio, in qua primum veniunt, quae ad Hilarii hiſtoriam ſpectant, ex illius aliorumque veterum ſcriptis collecta; tum de ipſius ſtilo et ſcriptis differit; ac poſtremo locos ſuſpectos notat, et quantum poteſt, benigne interpretatur: Opus pro illa aetate exquiſitum et laude dignum, quamuis permulta in eo reperire ſit, quae hiſtoriae iam limatiori atque accuratiori aſſuefactos nonnihil offendant. Commentationi huic Hilarii aliquot elogia, ac vitam per Hieronymum ex lib. de SS. Eccl. per Fortunatum et Gregorium Turonenſem, nec non Petri Damiani de translatione S. Hilarii Sermonem adiecit: libros autem de eſſentia ac de vnitate Patris et Filii, centonibus dumtaxat ex quibus conſtant notatis, ſuppreſſit. Ac demum in indicandis plerisque SS. locis ſuam probauit diligentiam: at illibatum prorſus reliquit textum; in quem etiam Niuellii incuria menda irrepſerunt non pauca. BENEDD.

1578.

Baſileae. 8. D. Hilarii E. P. de S. Trinitate fragmentum; in *legatione Imp. Manuelis Comneni ad Armenios* p. 601-605.

1598.

Pariſiis ap. Rob. Niuelle. 8. B. Hilarii Pictavienſis E. fragmenta ex opere hiſtorico, nunquam antea edita, ex bibliotheca Petri Pithoei, et eiusdem P. Pithoei vita, ſtudio *Nicolai Fabri. Cat. Bibl. Reg. p. 364. et 370.*

SAEC. XVII.

1605.

Pariſ. ſumtibus ſoc. typ. ſub inſigne magnae Navis. f. D. H. P. E. Opera; ex collatione vett. codd. emen-

emendata, variis lectionibus illuſtrata et quorundam tractatuum acceſſione locupletata ſtudio et cura *Ioannis Gillotii*; C.

Typographi, quid in hoc negotio a ſe praeſtitum ſit, explicant his verbis: „Primum, inquiunt, ab eo, qui praelegere preloque adornare libros excudendos ſolet, Hilarii Opera curauimus cum optimis quibusque MSS. conferri, quos nobis — ſuppeditarunt ad libros de Trinitate *Nic. Faber*, ad Tractt. in Pſalmos *Iacobus Bongarſius*; ad Comm. in Matth. recenſendos *Paulus Petaueus* Sen. Pariſ. Deinde vero cum adſcriptis ad oram marginis variis lectionibus ſuam nobis operam vir quidem doctiſſimus non denegaſſet, vt earum delectu habito, quae jam receptis praeferendae viderentur, reliquas expungeret, viſum eſt etiam ab altero impetrandum; vt eas, quae in ſuperioribus editionibus toleratae fuerant, ſub libri calcem colligeret: ne forte a te illae quoque deſiderarentur, ſiue quod earum verbis alibi citata teſtimonia quaedam poſſent occurrere, ſiue quod vtrum his nouis poſthabendae fuerint, judicio tuo velles expendi. Adjecimus praeterea fragm. ex op. hiſtor. quae a 1598. (*apud Ambroſ. Drouar. Nic. Fabri opera* *) v. c. P. Pithoeus publici juris fecit, et exſcriptos ex iisdem MSS. libris Tractatus in Pſalmos 13. 14. 149. et 150.“ — Nec tamen multo puriora H. ſcripta his curis prodiiſſe, Benedictinorum eſt iudicium, ſiue quod is, qui Vr. lectt. ſelegendis operam ſuam commodauerat, iudicii fuerit non admodum exquiſiti, ſive perfunctorie hoc obierit; ita ſaepenumero mutaviſſe, quae retinenda fuerant, et contra quae fuiſſent mutanda, retinuiſſe eum notant. Sed et Pariſienſes typographi, inquiunt, qui quod artis ſuae non erat aliunde

*) Ita inſertum a Benedict.

aliunde mendicarunt, ita neglexerunt, quod erat induſtriae ſuae, vt eorum editioni prae multitudine mendorum, facile anteferendae videantur Baſileenſes.

1617.

Coloniae Agr. f. Recuſa Pariſienſis nouiſſima.

1625.

Francof. ap. Dan. et Dau. Aubrios et *Caſpar. Schleichium.* 8. Hilarii Carmina, cum notis *M. Ioh. Weitzii.*

1631.

Pariſ. ap. eosdem typogr. f. Recuſa prima, Lectionibus tamen variantibus, quae antea ad calcem reiectae erant, propriis locis aptatis et ad marginem adſcriptis. Sed quod maior laus eſt, lectiones, quae in prioribus editionibus obtinuerant, a primae vero ed. curatore loco male erant motae, non ſemel reuocatae ſunt.

1652.

Pariſiis impenſ. ſocietat. typogr. librorum officii eccleſiaſtici juſſu Regis conſtitutae. f. repetitio praecedentis.

1693.

Pariſiis Exc. Franc. Muguet [Regis, Cleri Gallicani et illuſtriſſ. Archiep. Par. typogr.] f. S. H. P. E. opera ad Manuſcriptos Codices Gallicanos, Romanos, Belgicos, nec non ad veteres editiones caſtigata; aliquot aucta opuſculis, praeuiis in locos difficiles diſputationibus, praefationibus, admonitionibus, notis, noua S. Confeſſoris vita, et copioſiſſimis Scripturarum, Rerum, Gloſſarum Indicibus locupletata

pletata et illuſtrata, *ſtudio et labore Monachorum Ordinis S. Benedicti, e Congregatione S. Mauri.*

Egregia prorſus Benedictinorum opera effectum eſt, vt Hilarius non modo purior et emendatior prodiret tandem, ſed et intelligeretur facilius et legeretur commodius. Textum enim ſumma conſideratione adhibita ad Codd. MSS. in vnum conſpirantium fidem expreſſerunt, variantibus, quarum ingentem copiam ex omni Gallia, Britannia Italiaque conquiſiuerant, vbi minus tuta videretur caſtigatio, in margine appoſitis. Rationem vero mutatarum priſtinarum lectionum notulis ſubiectis ſat frequentibus (quibus tamen nemo lectorum, vt ipſi veriti ſunt, iraſcetur puto) explicauerunt. Iisdem notis illuſtrautur et explicantur locutiones inuſitatae, implexae phraſes, ſententiae ſingulares; ex aliorum eruditorum operibus, quicquid ad geſtorum, quae Hilarius attingit, notitiam faciliorem conduceret, allatum; loca pugnantia aut ſuſpecta compoſita et ex ipſiusmet potiſſimum verbis ab errore vindicata. Momenta quaedam celebriora aut difficiliora in prolegomenis curatius expedita ſunt, *vt ipſius ſcripta non prius* offerrentur, quam praecipuae ſuſpicionum nebulae prorſus fuiſſent diſſipatae. Quod ad commodiorem operis vſum attinet, praemiſſas habes ſingulis operibus admonitiones aut praefationes, in quibus quicquid ad Operis occaſionem, tempus, ſcopum, veritatem et id genus alia ſpectant, ipſi explicuerunt, ſubnexa etiam interdum totius operis ſynopſi. Praeterea argumenta breuibus ſummariis in ora librorum indicata, tractatus ipſi in varios numeros ſunt diſtincti. Ordo totius voluminis is eſt, vt praemiſſa epiſtola nuncupatoria ad Card. Caeſ. Eſtraeum in *praefatione generali* de edd. opp. Hilarii, Operibus deperditis, cauſis obſcurati ſermonis Hilarii, denique de fine huius editionis diſſerant;

differant, tum difficiliores Hilarii ſententias, quales ſunt *de conceptione* Chriſti etc. diffuſe explicare conentur Monachi Eruditi. Quibus omnibus triplex vita Hilarii, 1) ex ipſius ſcriptis collecta, 2) ex Hieronymo et 3) Fortùnato auctore, libris II., nec non Petri Damiani ſermo de translatione S. Hilarii ſubiicitur. — Opera Hilarii hac ſerie ſeſe excipiunt: *Comment. in Pſalmos. in Matthaeum. l. XII. de Trinitate. Lib. de Synodis. Reſponſa apologetica ad reprehenſores ſuperioris libri* (hic primum edita). *Ep. ad Abram. Hymnus ad eandem. L. I. ad Conſtantium. L. II. ad Conſtantium. L. contra Conſt. L. contra Auxentium. Fragmentum libri, in quo hiſtoria Ariminenſis et Seleuciae ſynodi continebatur. Fragmenta ex aliis operibus.* Porro appendicis loco: *Carmen in Geneſin. L. de Patris et Filii unitate; L. de eſſentia Patris et Filii; Fides Alcuini ſub nomine Hilarii graece verſa;* Nic. Fabri praefatio in Hilarii fragmenta, notulis ad oram a Benedictinis adſcriptis; Syllabus MSS. ad quos recognita ſunt H. Opera. Index triplex locorum S. S. rerum, ſententiarum et gloſſarum.

Saec. XVIII.

1730.

Veronae. ap. Petr. Ant. Bernam et Iac. Vallarſium. f. II Voll. Hilarii — opera, ſtudio et labore Monachorum Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri caſtigata, aucta, atque illuſtrata. Nunc vero libris de Trinitate et Commentariis in Pſalmos ad binos Capituli Veronenſis Codices, antiquitate ac praeſtantia quoſuis ad hanc diem cognitos facile exſuperantes, diligenter exactis, atque octo maxime variantium Tractatuum adiectione locupletatis.

Curauit Celeberrimus Marchio *Scipio Maffeius*, cuius praefatio Codd. duorum Veronenſium antiquiſſimorum et optimorum deſcriptionem et ſpecimina ſiſtit et ad calcem octo in Pſalmos Hilarianos tractatus exhibet, ab editis valde recedentes. Caeterum ratio huius editionis ea eſt, vt integra recuſa Benedictinorum opera, libri de Trinitate et Commentarii in Pſalmos iſtorum Codd. ope, ubi tuto fieri pateret, reſarcirentur, reliqua lectionis varietate textui a Benedictinorum notis ſeparatim ſuppoſita et numeris diſtincta. Contulit dictos Codd. ad editionem Benedictinorum Ioſeph. Blanchinius, Veronenſis, Eccl. tunc Canonicus et Bibliothecarius.

1733.

Pariſiis. f. D. Hilarii Ep. P. Interpretatio aliquot Pſalmorum (XV. XXXI. XLI.) hactenus inedita, ex MSto Aquicinctenſi. Accedit ex eodem codice ſermo in die Paſchatis, in quo Pſ. CXLIX. explicatur, qui ſi Hilarii ſaltem antiquiſſimi ſcriptoris eſt; *in* EDM. MARTENE et VRSINI DVRANDI *vet. Scriptor. Collect. ampliſſ.* T. IX. col. 55 vsque ad 84.

1749.

Venetiis, apud Iacob. Capellati. f. Tomi II. Hilarii opera ſecundum Veronenſem editionem expreſſa. Commemorat hanc ed. Veronenſis repetitionem Celeb. *Oberthür.* Sed ita negligenter tractatam ac vitiis inquinatam eſſe, addit, vt ſolum vile lucrum mercatorem ſpectaſſe appareat. Talem vero negligentiam et turpitudinem typographos Venetos etiam in aliorum PP. operibus prodidiſſe, opportune obſeruat. Nos in Tertulliano eam reprehendere meminî.

1751.

1751.

Bononiae. 4 mai. S. Hilarii Ep. Pict. *Epiſtola Paraenetica* et ſermo de dedicatione eccleſiae Hilario tributus, nunc primum edita a *Canonicis Regularibus S. Saluatoris in Vett. Latinorum opuſculis nunquam antehac editis* Tomo II. p. 38 - 185. Editor eſt *Io. Aloyſius Mingarellius*, ſed commentarii et diſſertationes tres, in quibus Hilario illa epiſtola vindicatur et loca difficiliora eius illuſtrantur, *Io. Chryſoſt. Trombelli* eſſe, Feltrus profitetur, cui doctam diſſertationem, in qua eandem Hilario ereptum iuit, debemus, Romae 1762. euulgatam hoc titulo: *De Epiſtola ſeu libello ſub S. Hilarii Pictauienſis nomine a Canonicis R. S. S. a. 1751. edito diſſertatio, in qua oſtenditur Epiſtolam illam ſeu libellum non Hilario Pictauorum Ep. tribuendum eſſe, auctore Angelo Maria Feltri a S. Antonio — in nouo Coll. Calaſanctio. S. Theol. Prof.*

1769.

Venetiis, ex Typogr. Io. Bapt. Albritii. f. S. Hilarii Pict. Epiſcopi, Pſalmorum XV. XXXI. et XLI. interpretatio, quae in nouis editionibus deſideratur. Acceſſit vetuſtiſſimi Scriptoris anonymi Sermo in die paſchatis, in quo Pſalmus CXLIX. explicatur: in *Andreae Gallandii Biblioth. Vet. PP.* T. V. p. 85 - 95. Accurate ex Marteneo deſcripta ſunt. Praemittitur in Prolegg. cap. IX. p. XV ſq. notitia de Hilario.

1785 - 88.

Wirceburgi ex off. Stahel. 8. Tomi IIII. S. Hilarii Pictauienſis Ep. Opera omnia. Recudi curauit *Dr. Franciſcus Oberthür (Opera omnia SS. PP. Latinorum Tomus VIII - XI.*

Placuit Celeb. editori, inſtructiorem et ornatiorem dare Hilarium, quam reliqui PP. ex hac officina comparuerant, cum propter peculiarem ſcriptorum eius vim ac grauitatem, tunc in honorem amici magnifice ab ipſo culti, cui haec editio ſacra erat futura Perill. ac S. R. Baronis de Fechenbach. Ex omnibus igitur, quae a Benedictinis ad vitam, doctrinam et contextus librorum eius, qualis iamiam eſt, rationem illuſtrandam conſcripta erant, quaeque horum lucubrationibus a Maſſeio erant ſuperaddita, potiora per ſingulos huius deſcriptionis tomos ita diſtribuit, vt *primus* cum parte operum, I. *Vitam Hilarii* et II. *Elenchum ſcriptorum eius* complectatur, *alter* et *tertius* cum reliquis libris breue Hilarii dogmatices compendium ſ. *criſin ſummariam* in ſcripta Hilarii duce Couſtantio, *quartus* denique poſt I. *breuem Epicriſin* in ſumm. Criſ. (in qua Semleri argumenta aduerſus Hilarii orthodoxiam ad Baumgartenii Polemicam. T. III. prolata a ſe neglecta eſſe, qua de re Annal. Helmſt. litt. editores et Roeslerus eum admonuerant, excuſat), II. *Hiſtoriam litterariam operum Hilarii*, III. *opera quaedam eius dubia et ſuppoſititia*, IV. *Varias lectiones et obſeruationes in quaedam Hilarii loca*, atque V. *indicem textuum Scripturae*, qui in locis non ſuis explicantur.

1789.

Pariſiis, ſumptibus Petri Didot. f. primog. fol. S. Hilarii liber de Synodis notis et totius hiſtoriae contextu illuſtratus in *Collectione Concilior. Galliae tam editorum quam ineditorum ſtudiis Monach. Congreg. S. Mauri* T. I. p. 145-185.

Codices: *Liber vetuſtus Cribelli.*

Codex

Codex Coenobii D. Benigni Diuionenſis, quem Guil. Paruus ad Badium detulit, Comment. in Matth. et Ep. ad fil. Apram complexum.

Codices Lud. Miraei. Quales fuerint, haud indicauit. Vnum in ſpecie appellat ex *Bibl. Coenobii S. Victoris Pariſiis.*

Codices Nic. Fabri, Iac. Bongarſii et *Pauli Petauei,* qui Typographis Pariſienſibus in ed. 1605. praeſto erant. Sed quales fuerint, et quaenam opuſcula in ſingulis contenta, ex notitiis eorum non liquido conſtat.

Benedictini codices ſat multos adhibuerunt et peruetuſtos, quos ita indicant, vti ſingulis libris emendandis profuerunt. Si in vniuerſum nomina eorum vis, praeſto fuerunt: *Albinenſis, Beccenſis,* Boherianus, *Carnutenſes* duo, *Ciſtercienſis, Colbertini* quinque, *Corbeienſis* tum vero *Sangermanenſis, Eluonenſis* vulgo *S. Amandi,* tum in Bibl. Archiep. Remenſis, *Germanenſis, Martinianus, Michaelinus, Miciacenſis,* Ottobonianus, *Pratellenſis, Regii* duo, *Remenſis,* in bibliotheca Archiepiſcopi, *Remigiani* duo, codex Coenobii B. Mariae *Siluae maioris, Sorbonici* duo, *Tellerianus, Theodoricenſis, Turonenſis.*

Vaticani tres, in quibus vnus Chriſtinae Suecorum fuit. Vnus *Vaticanae* baſilicae; cuius variantes primum ex Lat. Latinii, tum Petri Ciacconii ac demum Ioh. Bapt. Bandinii recenſione annotatae editoribus transmiſſae erant; *Victorinus, Vindonicenſis.**) Ad manum erant praeterea *Nic. Fabri apographum,* quo

T 3

*) Codices, quorum nomina literis rotundis ſunt exſcripta, minoribus tantum libellis veluti *epiſt. ad Apram, libellis II. ad Conſtant., libro in Conſt., libro adu. Auxentium* vſui fuerunt.

quo ad fragmenta Hilarii edenda uſus fuerat, ex Bibl. Colbertina, cum *Pithoeano* exemplari.

Reſtant *Codices duo Capituli Veronenſis* a Celeb. *Maffeio* in ed. Veronenſi tractata, quorum deſcriptionem vna cum ſpeciminibus aere expreſſis in praefatione exhibuit, *alter*, libros *de Trinitate* continens, quinto aut ſexto ſaeculo ſcriptus, vt contra *Mabillonium* monuit, qui *de Re Dipl.* l. V. p. 356. *ſub finem ſaeculi quarti aut ineunte quinto ſcriptum eum* dixerat; accuratiſſimus et pauciſſimis mendis adſperſus. *Alter* antiquitate et ipſa facie vetuſtatis cum quocunque alio certans, *commentarios in Pſalmos* complexus eſt, quorum rara admodum ſcripta exemplaria occurrunt. Illos in IX. XIII. et XCI. in MS. Vaticano vnice adhuc repertos pariter hic probat et recenſet.

His adde *codicem Aquicinctenſem* ſexcentorum circiter annorum, quem Edmundus Martene in Germania peregrinatus euoluit, et deprehenſis Pſ. XV. XXXI. et XL. antea nondum editis, in Collect. Vet. Script. I. ſupra l. indicauit. Pleraque Hilarii continebat ſub epigraphe: *S. Hilarii de Trinitate libri XII. et alia opuſcula eiusdem;* eleganter ſcriptus.

7.

Evsebivs Vercellensis.

§. 1. Vita. Sardinia oriundus, primum Romanae eccleſiae lector, deinde ab a. 340. Vercellarum in Inſubribus Epiſcopus. Ab anno inde 354. nomen famamque adeptus eſt, poſtquam a Liberio Rom. Ep. rogatus, vt vna cum legatis ſuis fidei patrocinium apud Conſtantium ſuſciperet, non ſolum ab imperatore obtinuit, vt Concilium Mediolani ediceretur, ſed in eo etiam tam libere et conſtanter cauſam ſuſceptam tuitus

tus eſt, vt nec minae, nec vultus inſtantis tyranni, qui adeo ira excanduit, vt gladium in eum et Luciferum ſtringeret, mente ſolida quaterent, et vinculum et exilium ſorti animo ſubiret. Relegatus eſt primum Scythopolim, vrbem Syriae Decapolitanae, vbi primum a Ioſepho Comite perhumaniter exceptus, deinde vero a Patrophilo, Arii quodam ſocio, diu vexatus fuit. Dehinc varias regiones exul peragrare coactus eſt, in Cappadociam primum, dehinc Thebaidem ſuperiorem deportatus, vnde promulgato a. 362. Iuliani edicto de epiſcoporum exulum reſtitutione Alexandriam rogante Athanaſio ſe contulit, vbi et ſynodo interfuit ab eodem coactae et actis illius latine ſubſcripſit, *) poſtremo Antiochiam ſe contulit, vt ſecundum Synodi mandata pacem in eccleſia iſta propter Epiſcopi electionem conturbatam reſtitueret, ſed ſpe fruſtratus Italiam reuerſus a. 371. diem obiiſſe fertur.

Extant eius *epiſtolae* tres: I. *Ad Conſtantium Aug.* II. *Ad Presbyteros et Plebes Italiae.* III. *Ad Gregorium Epiſc. Hiſp.* Praeterea *libellus facti* ad Patrophilum Arian. Ep. quem epiſtolae ad Vercellenſes illigauerat. **) Intercidit *verſio eius Commentariorum Euſebii in Pſalmos.* Codex Euangeliorum ipſius Euſebii manu deſcriptus Vercellis aſſeruatur atque luci publicae datus eſt poſt *Io. Andr. Iricum* (Mediolani 1748. 4.) in *Blanchinii Euangeliario quatruplici* (Tomo IV. Romae 1749.). §. 2. Scripta.

T 4 Editae

*) Athanaſ. ad Antioch. Opp. T. I. Part. II. p. 776.

**) Quapropter a Gallandio non ſeorſim numeratur; nec in Bibliothecis PP. antiquioribus, in quibus omnibus vna tantum *ad Presb.* et *Plebes Italiae* epiſtola nominatim extat, vbique tamen hoc *libello facti* ſubiecto. Oudinus pro ſingulari ep. cenſet.

§. 3. Editiones. Editae ſunt duae priores epiſtolae cum libello facti *primum*, vt Gallandius loquitur, ex archiuo Vercellenſis eccleſiae erutae a Baronio in Annal. Eccl. ad a. 355. §. VII. a. 356. §. XCII ſqq. Ego vero quaeſiuerim ex eo, vnde vna illa ad Vercellenſes ep. cum libello facti*) edita, iam in *Tomo primo Bibl. PP. Pariſienſis* a. 1575. compareat, ſi recte Ittigium capio, qui epiſtolam Euſebii Vercellenſis memorat, quae nulla alia eſſe poteſt. Eadem poſthac edita in *ſupplementis ad M. Bibl. Pariſ.* editionis quartae (*Pariſ. ap. Aeg. Morellum* 1639.) T. I. p. 627. et 628. item in quinta *Bibl.* huius *Pariſinae* editione (*ſumpt. eiusd. Aeg. Morelli* 1644.) T. XV. p. 627. et 628. et ibidem recuſa (a. 1654.), quam Ittigius deſcribit. Niſi forte haec prorſus eadem ſit, titulo tantum modo reficto, quod veriſimillimum,**) ſi reputes, quod Ittigium quoque pupugit, noui Supplementi Combefiſiani a. 1648. editi nullam in ea rationem eſſe habitam. Tandem leguntur in *Bibl. Max. PP. Lugdunenſi (apud fr. Aniſſonios* 1677.) T. V. p. 1127. 1128. Epiſtola tertio loco commemorata edi coepta eſt inter fragmenta Hilarii XI. §. V. vnde cum praecedentibus ad Baronium deſcriptis nouiſſime exhibuit *Gallandi* in Tomo V. n. 7. (Venet. 1769.) cum notulis et variis lectionibus paucis, praemiſſa de Euſebio notitia in Prolegg. cap. VII.

8. Lvci-

*) Non tres priores, i. e. hae duae cum prima ad Conſt. vt Oudinus l. l. inquit. Idem etiam in ſecunda ed. Bibl. Bigneanae a. 1589. repetitas tradit, quod falſum eſt, ſi recte Catalogum texuit Ittigius.

**) Cf. Ittigius.

8.

LVCIFER CALARITANVS.

Calaris *(Cagliari)* in Sardinia Epiſcopus vna cum Pancratio, Hilario Diacono et Euſebio Vercellenſi ad vices Liberii gerendas in concilium Mediolanenſe miſſus ac huius quidem gloriae, laborum aerumnarumque ſocius et per varia exilii loca comes, fortitudine ac animi robore ipſi par, ſed longe inferior moderatione et prudentia. Poſtquam multa gravia ab improbitate et liuore factionis Chriſtianae Mediolani pertulerat diuque in ſqualore carceris duri detentus fuerat, Palaeſtinam in exilium miſſus, Eleutheropoli duos *ad Conſtantium* libros exarauit, quibus omnem hominis verecundi et ſani ſpeciem prorſus exuiſſe ſe oſtendit. Qua ſua dementia et animi impotentia non ſolum imperatorem, vtpote aduerſarium omnium, qui formulam orthodoxam cum Lucifero adamarent, inceſſit et laceſſiuit, quanquam Conſtantius tantam eius temeritatem non vltus eſt:*) ſed inter ſuos etiam turbas mouere coepit Lucifer. Nam cum Antiochiae tempore Synodi Alexandrinae Catholicos diſſentientes deprehendiſſet, ipſe Paulinum Antiochiae Epiſcopum ordinando, quocum communicare illi renuebant, diſcordiam magis accendit, et cum factum eius Euſebius Vercellenſis improbare videretur, adeo ſtomachi feruore exarſit, vt homini familiariſſimo et §. 1. Vita.

T 5 per

*) Quod equidem non magnanimitati huius hominis qualicunque tribuerim, iſtius enim ne leuiſſima vmbra in illum cadere poſſe videtur, praeſertim cum incertum ſit, quid, niſi morte praeuentus eſſet, fuiſſet facturus. Iam enim Florentio Off. Mag. lecto opere mandauerat, vt ab ipſo Lucifero per literas quaereret, num eius ſe auctorem profiteretur.

per tot caſus ipſi probato omnem porro communionem ſecum interdiceret. Addidit ferociae eius ſtimulos Synodus Alexandrina, Epiſcopos catholicos poenitentes, quod cum Arianis communicauerant, recipiendos cenſens; quam ſententiam Lucifer prorſus detrectauit et in Sardiniam reuerſus non eos ſolum, qui Arianis communionem dederant, ſed, qui vel ſolummodo poenitentes recepiſſent, procul a ſe habuit et ſeiunxit; vnde nomen ſchiſmatis Luciferiani ortum.

§. 2. Scripta. Luciferi Scripta ſunt ſecundum annorum ordinem, quem *Colcti* fratres inierunt: *Epiſtola ad Euſebium ſcripta* menſe Martio aut Aprili a. 355. *De non conueniendo cum haereticis* liber intra a. 356. et 358. ineuntem, cum Germaniciae, vbi Eudoxii Ariani Germanicenſ. Epiſcopi crudelitatem perpeſſus eſt, exularet. *De Regibus Apoſtaticis*, Eleutheropoli tertio exilii loco a. 358. confectus. *Ad Conſtantium Aug. pro ſancto Athanaſio* libri duo ibidem circa a. 360. exarati. *De non parcendo in deum delinquentibus*, eodem circiter anno. Libellus cui titulus *Moriendum pro filio Dei* ipſis anni 361 exordiis ſcriptus videtur. Ad quem annum *epiſtola* quoque *ad Florentium officiorum Magiſtrum* referri debet. *Perperam* ei aliquando *Fides a Fauſtino conſignata* fuit *adſcripta*. *Intercidit epiſtola* eius *ad Catholicos*, qui in eccleſiam Mediolani conuenerant, e clauſtris, quibus in aula Conſtantii Arianorum perfidia detinebatur miſſa; nec non tota *Athanaſii verſio graeca ſcriptorum Luciferi*.

§. 3. Editiones. Primus Luciferi opera e vetuſtis Codicibus deſcripta Pariſienſibus typis edidit *Ioannes Tilius* Epiſcopus Meldenſis (Meaux) a. 1568. et Pio V. Pontifici Maximo dicauit. Is quidem aliquantum operae ac laboris in iis corrigendis impendit, ſubiectisque notis diffici-

difficiles quasdam cuiusque libri et obſcuras locutiones ac ſententias explicare niſus eſt; ſed multo plura, ea praeſertim, quae ſpectant ad teſtimonia ſacrae ſcripturae, *lectori minus*, quam ipſe erat, *occupato colligenda*, et emendanda *reliquit*, vti fatetur in Epiſtola ad Pontificem. Quare cum ab Auctoribus Lugdunenſis Bibliothecae Patrum (a. 1687.) opera quoque Luciferiana Tomo IV. inſerenda eſſent, hanc curam illi ſuſceperunt, vt illa emendatiora proferrent; ſed imprudenti conſilio ſuoque prorſus arbitrio ita manus in ea immittere auſi ſunt, vt nulla veterum Codicum, nulla doctorum hominum auctoritate freti, verba, ſententias, ipſasque interpunctiones immutauerint, et quod magis improbandum, ſacrorum Bibliorum teſtimonia, quibus refertiſſimi ſunt Luciferi libri, ad exemplar Vulgatae Bibliorum emendauerint, *Latini* tamen *Latinii obſeruationibus et correctionibus* quandoque adhibitis, notisque Tilianis ad calcem adiectis. Qui vero ante Lugdunenſes Auctores eadem Luciferi opera in prioribus PP. Bibliothecis edidere, nihilo diligentius aut ſtudioſius in illorum emendationem incubuerunt. Cum itaque corruptiſſima ferrentur in vulgus Luciferi exemplaria, *Io. Baptiſta Cotelerius* hanc operam ſummo ſtudio aggreſſus eſt, vt libros Luciferi e mendis omnibus purgatos, integrosque quo tandem modo id fieri liceret, eruditorum hominum iudicio probandos publice exhiberet;*) ſed haec conamina, incertum quibus de cauſis,**) euentu caruerunt, nec poſt mortem Cotelerii in eius ſupellectili libra-

*) Huc vsque ſunt verba fratrum Coleti.

**) Fuerunt, qui ſuſpicarentur, intermiſſum eſſe opus, ne Galliarum regis animum laederet, qui tum maxime Caluinianis erat infenſus: Fabric. Biblioth. Gr. Vol. VIII. p. 403.

libraria quidquam repertum eſſe, quod huc ſpectaret ex ſide *Baluzii* notat *Rich. Simon;**) nonnullas correctiones tamen partim in notis ad *Conſtitutiones Apoſtolicas*, partim *Monumentis Eccleſiae graeca* inſunt. Caeterum contulerat aliquantum ſtudii olim in Luciferum *Latinus Latinius* in *Bibl. Sacra et Prof* p. 157. ſuisque correctionibus adſperſerat, quas in eundem *Conſaluus Poncius* meditatus erat. Idem paene poſt eum *Ludouicus la Cerda* in *Aduerſariis Sacris* cap. 37. 38. et 47. fecerat. His igitur ſubſidiis et ſpe nanciſcendi codicis adiutus nouae editioni parandae ſe accinxerat *Erh. Andr. Frommannus* Director Caſimir. Coburgenſis, quod publice edixit anno huius ſaeculi LXVII. in Epiſtola *de Lucifero Calaritano olim Praeſule.***) Sed nec hic profligando Operi immorari potuit, quod paucis annis poſt, benigniori fortuna vſus *Andreas Gallandius* exſecutus eſt. Sed inſignius adhuc de Lucifero reſtituendo meruerunt *Ioannes Dominicus* et *Iacobus* fratres *Coleti*, de quorum opera iam, cum ad ſingularum editionum enumerationem accedimus, pluribus conſtabit. Peculiarem vſum Luciferi ſcripta teſtimoniis ſacrae ſcripturae vtriusque foederis refertiſſima, praebent ad antiquam latinam Bibliorum verſionem, quam Italam vocant, eruendam, quam operam a *Paulo Colomeſio* animo agitatam, a *Ludouico de la Cerda* nauari coeptam, haud ſegniter recentiores editores variis ſtudiis perſequuti ſunt: ſingulari autem conſilio contulit *Petrus Sabatierius* in opere celebratiſſimo, *Bibliorum SS. latinae verſiones antiquae Remis apud Reginald.*

*) Obſeruat. in Dupin. T. I. p. 60.

**) Coburgi 1767. 4. edita, vt Rud. Erdm. Fiſchero, annum quinquageſimum muneris eccl. ſel. exactum nomine Gymnaſ. Acad. gratularetur.

ald. Florent. 1743. tribus Voll. f. edito. Nunc de ſingulis.

1568.

Pariſiis, apud Ioannem Bene-natum. 8. Luciferi Epiſcopi Calaritani ad Conſtantium, Conſtantini Magni F. Imp. Aug. Opuſcula.

Liber admodum rarus. Complectitur omnia Luciferi opuſcula, quae ad Conſtantium diriguntur, ita vt vna tantum epiſtola ad Euſebium Vercellenſem ſuo et ſociorum nomine ſcripta excluſa ſit. Totum enim volumen quanquam in libellos partitus ſit auctor, Tilio *opus vna tractu Imperatori Conſtantio continuatum* videtur. Inſertae autem ſunt epiſtolae III. Athanaſii ad Luciferum, Liberii ad Conſtantium Imp. et Athanaſii ad ſervos Dei. Codicem, vnde ea deprompſerit, non memorat. Subiecit ſcholia paginis paulo plus ſexdecim, locutiones aut ſingula verba, interdum etiam nexum et ſenſum breuiſſime illuſtrantia. Caeterum placet ſibi pius Epiſcopus Meldenſis in aſſimilanda religionis et ſacrorum in Gallia conditione, temporibus Luciferi, neque negligit animum, quo ipſe aduerſus ſuorum temporum haereticos affectus ſit, cum Luciferi animo comparare; deplorat imprimis *quod non amplius liceat tam ſanctae vitae ac ſacrati ordinis viro, talibus verbis principem ſuum improbum et perditum proſcindere, quemadmodum hic dignus faciebat confeſſor, qui ſerpentem, belluam et immaniſſimam feram, latronem, ſacrilegum, carnificem, homicidam, idololatram, templum daemonum, et religionis euerſorem, haereticum, Apoſtatam, Antichriſti praecurſorem, atque adeo ipſum Antichriſtum Conſtantium vocauerit!*

Sermonem eius rudem eſſe et incomptum vt totius iſtius aetatis, dicit, ipſum hoc fateri; at qui diligenter

genter perpendat, eum grauem et ſententiis refertum, virique ingenio valentis, eſſe inuenturum. Menda typographica pauca ad calcem voluminis corriguntur, reliqua, quae illi inſunt, nouiſſimi Editt. monent non typographi magis, quam antiquorum librariorum inſcitiae aut incuriae eſſe tribuenda: immo paucis interiectis, inculto potius ac paene barbaro hominis ſtilo tribuenda eſſe, quam librariorum culpae affirmant.

1618.

Coloniae Agrippinae ſumt. Ant. Hierati. fol. Luciferi opuſcula ad ed. Tilianam deſcripta in *Tomo IV. M. Bibl. PP.* a p. 121 - 190.

1644.

Pariſiis ap. Aegid. Morellum. f. Eadem in *Tomo IX.* Col. 969 ſqq. *M. Bibl. PP. Pariſ.* h. a. et de anno 1654. Vide quae ad Euſebium Verc. de hac monuimus.

1677.

Lugduni, apud Aniſſonios. f. Eadem in Tomo IV. fol. 181 ſqq. *Max. Bibl. PP.*

1770.

Venetiis, ex typogr. Io. Bapt. Albritii Hier. f. fol. — Luciferi Ep. Calar. ad Conſtantium Conſt. M. F. Imp. Aug. Opuſcula per Io. Tilium Meldenſem Epiſc. in lucem edita. Acceſſerunt nonnulla ſiue eiusdem Luciferi ſiue aliorum ad ipſum Epiſtolae. Omnia nunc primum recognita, emendata notisque illuſtrata in Bibl. Vett. PP. Antiquorumque SS. Eccl. curante *Andrea Gallandio.* in *Bibl. Vett. PP. et Eccl. SS.* T. VI. p. 153 - 260.

Secu-

Secutus eſt Tilianam editionem, vt a Pariſienſibus a. 1664. expreſſa erat. Sed quoniam ea (neſcio principem an Pariſienſem innuat) librariorum vitio inquinatiſſima foedisque mendis obſita compareret, emaculandam et Latinii, Cotelerii aliorumque caſtigationibus et coniecturis, quas occaſione accepta paſſim detegeret, emendandam curauit. Fatetur autem editor diligentiſſimus, ſe neutiquam penitus deterſos Luciferi libros praeſtare: quin immo, ait, in iis recenſendis nonnulla ipſi deprehendimus, quae in emendandis adhuc forte corrigenda propoſuimus; vt propterea plura etiamnum in Lucifero ſupereſſe, quae manum medicam expectent codicum MSS. ope praeſertim adiutam, vltro agnoſcamus. In id potiſſimum ſe incubuiſſe ſcribit, vt, quum Lucifer in libris conſcribendis integra ferme ſacrorum bibliorum volumina ordinatim percurrat, aliamque verſionem Vulgata vetuſtiorem adhibeat, loca vtriusque foederis ſiue cum interpretatione LXX virali ſiue cum textu N. T. conferrentur: eo imprimis nomine quod antiqua illa verſio latina, ad libros quod attinet V. T. ad LXX. ſenum editionem exacta noſcatur. Sed his promiſſis eum non ſtetiſſe nec multa eſſe, quae cum graeca interpretatione contulerit, nouiſſimi edd. notauerunt. Caeterum quo deinceps Luciferianorum lectio pronior faciliorque ſuccederet, libros omnes in ſectiones diſtinxit atque in prolegomenis cap. II. de Lucifero docte et cum iudicio diſſeruit.

1778.

Venetiis excudebant fratres Coleti. f. Luciferi Epiſcopi Calaritani opera omnia quae extant curantibus *Ioanne Dominico* et *Iacobo Coletis.*

Pauci ſunt Eccleſiaſticorum Scriptorum, qui tam ſplendido ornatu geſtiant, qualem Calaritanus hic epiſco-

epiſcopus Coletorum beneficio cum totius deſcriptione ac ipſis typis, tum marginibus latiſſimis prae ſe fert. In qua editione accidit iucunde, vt qui ante decem amplius ducentos annos a primo editore Pio V. P. S. inſcriptus eſſet Lucifer, is iam a nouiſſimis editoribus ſexto eiusdem nominis Pontifici offerri poſſet. Hi ergo non ſatis habuerunt ipſam Tilii editionem ſequi, ſed Codd. duos, ex Vaticana vnum, alterum Venetiis nacti, horum auctoritate et ex Tilii, Latinii, Poncii, la Cerdae, ac Gallandii notationibus nec non aliis, in epiſtolas Luciferianas ex Baronio, Couſtantio, Chilletio, Papebrochio et Montfauconio collectis notas compoſuerunt in inferiori margine ſubiectas, et ſuis ad hiſtoriam eccleſiaſticam imprimis ſpectantibus, (quod genus a Gallandio neglectum eſſe reprehendunt) paſſim interſtinctas. Ita textum exhibuerunt emendatum, vbi intactus nullo modo relinqui poſſe videretur, reliquas animaduerſiones criticas vel lectorum iudicio permittentes vel ſuo ſtatim improbantes. Quod ad Scripturae loca ex verſione antiqua a Lucifero prolata attinet, quae res a multis non felici ſatis ſucceſſu tentata et innumeris obſepta eſſet difficultatibus, quas luculenter ſane deſcripſerunt; vno tandem expedienda conſilio viſa eſt, vt nimirum ſingula ſacrae Scripturae loca a Lucifero deſcripta cum Itala interpretatione antiqua, qualem Sabatierius exhibuit, componerent: quodque in illa a Luciferianis teſtimoniis differret, in ſubiectas notas reiicerent, ſi quae lectiones vel e Graecis vel e Latinis codicibus aut e Latinis Patribus a Sabatierio productae cum Luciferianis conſentirent iis in locis, in quibus apud Luciferum a textu antiquae Verſionis diuerſae ſunt, eas exſcriberent, atque omnino in vno Lucifero exemplar luculentiſſimum *Antiquae Latinae Verſionis* legentibus offerrent idemque Cotelerii et Millii, et ipſius

Saba-

Sabatierii ope, correctum et ab iis mendis purgatum, quae facilius cuiuſquam oculis poterant obuerſari. Praeter haec alio ac editi fuerant ordine libros diſpoſuerunt atque addiderunt, quae a Tiliana abſunt Luciferi et ſociorum ad Euſebium Vercellenſem et Liberii ad Luciferum exilio iam damnatum epiſtolas, reſectis duabus, quas alieno loco hic ſubiecerat Tilius Liberii ad Conſtantium et Athanaſii ad Lucif. Tanquam ſpurium opus vero ad calcem reiecerunt ***Formulam Fidei***, quae Lucifero tribuitur, peculiari critica animaduerſione praefixa. Denique, quod longe praeſtantiſſimum eſt, in praefatione eleganti ac ſubtili doctrina contexta cum nouae editionis conſilium traditur, tum in ſpecie de Luciferiana S. S. interpretatione, item de tempore, quo ſinguli Luciferi libri ſcripti ſint, diſſeritur, nec non animaduerſio theologica in nonnullas Luciferi locutiones et quaeſtio critica in aliquot loca eſt exhibita, quibus omnibus proxime vita admirabili diligentia perſcripta, in fine autem index vtiliſſimus ſuccedit.

* *

Codices. De *Tilii Codice* non conſtat.

Vaticanus, nono ſaeculo ſcriptus fertur et in loculis Bibl. Vat. num. 75. litt. N. P. extare. Fortaſſe Chriſtinae Suecorum fuit, in cuius bibliotheca antiquiſſimum Luciferi Codicem ſe vidiſſe Iſ. Voſſius Paulo Colomeſio dixerat,*) cuius teſtimonium Frommannus profert. Sed diuerſas eius a Tiliana ed. lectiones non eiusmodi fuiſſe, quae ſententiam immutarent, ſed varias plerumque voces, varia ab editis ex Tiliano codice nomina ſolummodo exhibuiſſe, Coleti affirmant.

*) In Paralipom. de SS. Eccl. p. 703. Opp.

affirmant. *Codex Venetus*, quem penes D. Matthaeum Aloyſium Canonici ciuem Venetum eſſe iidem notauerunt, non tam Luciferi Scripta, quam Athanaſii quaedam et Athanaſio tributa complectebatur, in his longiorem huius epiſtolam ad Luciferum, cuius MS. exemplum cum Tiliano Cod. contulerunt.

Praeterea Frommanno ſpem codicis vel varietatis alicuius nanciſcendi accenderat Io. Alb. Fabricius, Tilianam editionem cum bonae notae codice MS. collatam ſe euoluiſſe in Bibliotheca Iohannea Hamburgenſi profeſſus.*)

9.

HILARIVS DIACONVS.

§. 1. Vita. Patriam habuit Sardiniam. Diaconus erat Eccleſiae Romanae, quo nomine a Liberio Epiſcopo cum Lucifero Epiſcopo Calaritano poſt Concilium Arelatenſe ad Conſtantium miſſus, cum in Concilio Mediolani habito ſtrenue Athanaſii cauſam defendiſſet, virgis caeſus et vna cum Lucifero et Pancratio in exilium miſſus eſt. Poſtea Lucifero ſe adiunxit, ſed eo temeraria opinione proceſſit, vt Arianos et qui cum his communicaſſent, omnesque omnino aliqua haereſi pollutos iterum baptizandos eſſe ſtatueret, antequam in ſocietatem eccleſiae catholicae reciperentur Hinc lepide, ſed parum ſcite ab Hieronymo mundi Deucalion dictus eſt. Bene vero actum tunc cum eccleſia fuit, quod Diaconus tantum eſſet Hilarius, cui, quoniam nulla erat clericos ordinandi copia, nemo fere adhaeſit, adeoque haec eius doctrina, quae alioquin ingens ſchiſma excitatura fuiſſet, cum ipſo auctore a. . . . . interiit.

Scripta.

*) In Bibl. med. et inf. Lat. Vol.IV. p. 839.

Scripta, quae Hilario tribui ſolent, ſunt fidei admodum incertae et dubiae, videlicet *Commentarius in epiſtolas Pauli* cum Ambroſio edi ſolitus et *Quaeſtiones Vet. et N. T.* inter Auguſtini opera reperiundae, de quibus fuſius, ſed ita vt Hilario vtrumque abiudicaret, diſputauit Oudinus.*) §. 2. Scripta.

10.

POTAMIVS.

Gente Hiſpanus, Epiſcopus Olyſſiponenſis a partibus Catholicorum, quibus, ſi genuinum eſt, quod iamiam extat eius monumentum, olim erat addictiſſimus, ad Arianos tranſiit a. 357., quid, quod ipſe adeo ſecundae Sirmienſis formulae auctor extitiſſe fertur. Lucri cupiditate ad id adactum fuiſſe, odio vero in Hoſium, eundem ſenem iam et vitae fere pertaeſum in easdem partes pellexiſſe, non perceptis tamen perfidiae fructibus, poenam ſubita morte luiſſe, Fauſtinus ſolus, ſed ſuſpecta fide, narrat. §. 1. Vita.

Pro Potamii ſcriptis feruntur: *Epiſtola ad Athanaſium Epiſcopum Alexandrinum de conſubſtantialitate Filii Dei,***) quam a. CCCLV. dum adhuc fidei Nicaenae aſſertor eſſet, ſcripſerit; et *Sermones duo, de Lazaro* alter, alter *de martyrio Eſaiae prophetae.* MS. extitiſſe librum eius *contra perfidiam Arii* Atrebati apud Vedaſtinos Benedictinos ex catalogo vetuſto pro- §. 2. Scripta.

*) T. I. de SS. Eccl. p. 480 491.

**) Duplex eſt inſcriptio; alia ex MS. vt videtur prolata ſic ſonat: *Epiſtola Potamii ad Athanaſium ab Arianis* impetitum (vt Dacherius ex coniectura ſupplet) *poſtquam in concilio Ariminenſi ſubſcripſerunt.* Sed hanc a librario imperito potius quam ab ipſo auctore profectam eſſe, ex temporum rationibus cogitur.

prodidit *Anton. Sanderus* in *Bibl. Belgica Manuſcripta* p. 63.

§. 3. Edita. Epiſtolam ſaeculo ſuperiori a. 1657. ex codice Abbatiae S. Ebrulfi luci dedit Benedictinus e Congreg. S. Mauri, *Acherius* (D'Achery) *in Spicilegio Vett. antiquar. SS. qui in Galliae bibliothecis, maxime Benedictinorum ſuperſunt*, T. II. p. 366. 367. et nouae editionis per *Steph. Baluzium* adornatae, T. III. p. 299. cum adnotationibus.

Sermones antea inter Zenonianos vulgatos primum Potamio cum ex Veneta Zenoniana editione, tum ex MSS. omnibus, lectione vnius loci ad Sermonem I. reſtituta, aſſeruerunt fratres Ballerinii et notis doctis vna cum epiſtola eius in appendice ad Veronenſem editionem a. 1739. p. 297-303. cum copioſa adnotatione ediderunt, refellentes ſimul St. Baluzii opinionem, qui graece ſcriptam et a quodam poſterioris aeui interprete latine redditam ex ſtilo obſcuro et barbaro ſuſpicatus erat. Non negant quidem, ſententiam hanc probabilem fuiſſe, quamdiu de vna epiſtola ſermo eſſet; quod ſcripta id generis e Graecis latine reddita facile inuenias. At ex tractatibus, quos non niſi ex celebrioribus ſcriptoribus latinitate donatos reperire liceat, auctorem Graecae forte originis, ſed Latinae alicuius vrbis Epiſcopum fuiſſe colligi, qui ſcilicet eius vrbis, cui praefectus erat, linguae ſcribere coactus, difficili ſtilo vſus ſit. Nimirum non Epiſcopo Vlyſſiponenſi, ſed longe diuerſo eiusdem nominis ac aetatis homini, poſteriori epiſtolae Potamianae inſcriptioni inhaerentes tribuunt. Hoc autem reſpuit imprimis *Andreas Gallandius*, quod reliqua attinet, Ballerinianam editionem apprime ſecutus in *Veneta Bibl. PP. et Scriptt. Eccl.* T. V. (1769.) p. 97-99. inſcriptionem poſteriorem, vt ſupra

pra monitum, ad librariorum imperitiam referens in Prolegg. c. X. p. XVII.

II.

PHOEBADIVS.

S. Phoebadius, Agenni in Aquitania Epiſcopus et §. 1. Vita. formulae Orthodoxorum per illud tempus, quo Sirmienſis et Ariminenſis Concilii formulae in Gallias inferebantur, ſtrenuus aſſertor. Illi enim, quum eodem eſſet perlata, non ſolum ſubſcribere recuſauit, ſed peculiari etiam ſcripto eam confutauit. Ariminenſi autem Concilio, quod actum eſt a. 359. ipſe interfuit et poſtquam omnes fere, quotquot aderant epiſcopi imperatoris minis eſſent capti, ſolus cum Seruatione Tungrorum Epiſcopo reſtitit. „Sed praefectus Tau„rus, *ut Sulpitius Seuerus memoriae prodidit,* qui „Concilio regendo ab Imperatore erat datus, videns „ſe hoc modo eius conſtantiam vincere non poſſe, „precibus aggreditur ac lacrymans obteſtatur, melio„ra vti conſuleret. Clauſos intra unam urbem Epi„ſcopos iam ſeptimum menſem agere: iniuria hie„mis et inopia confectis, nullam ſpem reuerſionis „dari, ni fidei ab Orientalibus prolatae ſubſcriberent: „ſequeretur plurium exemplum, auctoritatem ſaltem „ex numero ſumeret. Etenim vero Phoebadius pa„ratum ſe exilio, atque ad omne ſupplicium, in „quod depoſceretur, profiteri: ſe ab Arianis conce„ptam fidem non recepturum. Ita in hoc certamine „aliquot dies tracti, vbi parum ad pacem proficiebat „Phoebadius, paulatim et ipſe infractior, ad extre„mum propoſita conditione euincitur. Namque Va„lens et Urſacius affirmantes, praeſentem Fidem ca„tholica ratione conceptam, ab Orientalibus Impera„tore auctore prolatam, cum piaculo repudiari: po-

„ſtremo ſi quid minus plene praeſenti fide editum vi„deretur, ipſi adderent, quae addenda putarent: prae„bituros ſe, in his, quae eſſent adiecta, conſenſum. „Favorabilis profeſſio pronis omnium Occidentalium „animis excepta. Dein conceptae a Phoebadio et „Seruatione Tungrorum Epiſcopo profeſſiones edi „coepere: in quibus primum damnatur Arius, totaque „eius perfidia: caeterum etiam Patri aequalis et ſine „initio, ſine tempore, Dei filius pronunciatur. Tum „Vrſacius et Valens, tanquam adiuvantes, ſubiecere „ſententiam, cui inerat occultus dolus: Filium Dei „non eſſe Creaturam, ſicut caeteras Creaturas. Feſel„litque audientes fraus profeſſionis.“ Patuit mox dolus, et deceptum ſe cum reliquis Galliae epiſcopis ab Arianis Phoebadius declarauit. Interfuit a. 374. Conciliis cum Valentino, vt ex actis eorum apparet. In alterultro etiam praeſidium cum tenuiſſe, quorundam, ſed non ſatis, probata eſt opinio. Hoc certum ſit: non minus auctoritate quam annis illum creuiſſe, ſi Hieronymo in SS. Eccl. teſte, tum adhuc ſuperſtes fuerit.

§. 2. Scripta. Scripſit Librum *contra Arianos* circa a. 358. Nec improbabiliter ipſi *liber de fide orthodoxa* inter Ambroſii et Gregorii Nazianzeni Opp. extans, et alius *libellus fidei*, qui apud eundem Gregorium Nazianz. viſitur, deferri ſolent. Interciderunt non pauca, ſi Hieronymo credimus, qui tamen diſerte nullum appellat.

§. 3. Edita. Priorem librum primum a. 1570. Geneuae, excudente Henr. Stephano. 8. cum nonnullis Athanaſii, Baſilii et Cyrilli ſcriptis graecis ex parte antea nondum editis in lucem produxit *Theodorus Beza*, ad quem P. Pithoeus, vir veluti facto quodam, vt Beza etiam inquit, ad eruenda vetuſtatis monimenta natus, quum

quum in Bibliotheca Iuriſconſulti cuiusdam Collado-nii inueniſſet, detulerat. Dehinc proxime ab eodem *P. Pithoeo* editus eſt inter *Veterum aliquot Galliae Theologorum ſcripta.* Pariſ. ap. Niuellium 1586. 4. ac deinceps in *Bibliothecis PP., Pariſienſi,* editionis ſecundae (1589.) T. IV. et *Colonienſi* (1618.) T. IV. p. 230-234. Seorſim verò prodiit

1623.

Francofurti, typis Wechel. Sumpt. Danielis ac Dau. Aubriorum et Clem. Schleichii. 8. Phoebadii Aginnenſium Galliae Ep. contra Arianos liber. *Caſpar Barthius* recenſuit et animaduerſionum librum adiecit. — Barthius librum ipſum in capita deſcripſit et commentario locupleti ſenſum et locutiones inſigniores illuſtranti, raro critico inſtruxit. — Poſthac etiam *Magnae Bibl. Pariſienſi* 1644. iterumque 1654. T. IV. p. 169 ſqq. inſertus eſt, nec multo ſerius in *Petri Delalandè ſuppl. Concil. Galliae a Sirmondo editorum.* Lutet. (Pariſ. 1666. fol. p. 3-9.) locum occupauit hoc titulo: *Epiſtola Concilii Vaſenſis ad Epiſcopos apud Sirmium exiſtentes contra ſecundam fidei formulam in Synodo Sirmienſi conſtitutam* ſ. *liber fidei orthodoxae Epiſcoporum Galliae contra Arianos, per Phoebadium Aginnenſem conſcriptus;* et in *Lugdunenſi Bibl. Max.* (1677.) T. III. fol. 300 ſqq.

Alter libellus in Gregorii Nazianz. Operibus eſt Oratio XLIX. (T. I. p. 717 ſqq.) et inter Ambroſii opera legitur Append. T. II. p. 345-348. edit. Benedd. Denique *libellus fidei* apud Gregorium Nazianz. eſt Oratio L. quem etiam Ballerinii Operibus S. Leonis T. III. p. 279. adiecerunt; qui tamen longe ab eorum ſententia, qui Phoebadio vindicandum putant, recedunt, et omnino Gregorii Nazianzeni ex Ru-

ſini verſione eſſe ſtatuunt. Omnia coniunctim tandem et poſteriores quidem libellos ex Benedictinorum et Balleriniorum recenſione edidit et notulis ſuccinctis praeuiaque de Phoebadio notitia illuſtrauit *Andr. Gallandi* T. V. *Bibl. PP. Venet.* (1769.) p. 250-266. et prol. cap. XV. p. XXIV-XXVI.

12.

Z E N O.

§. II. Vita. Epiſcopus Veronenſis, de quo admodum pauca ſunt, quae certa fide atque continua rerum memoria traduntur. Fuerunt, qui nomine ducti Graecum putarent, et Anonymo quodam verſificatore teſte Syria oriundum. Quorum hariolatio cum per ſe ſit ſatis leuis atque parum communita, tum infringitur plane dictionis genere longe puriori atque propiori, quam Graecus homo ſtudio priuato videtur conſecuturus fuiſſe. Contra ex eodem ſtili colore non ſine iure ſibi videntur, qui identidem dictionem eius depraedicarunt Vv. Dd. Caſaubonus, Barthius aliique, Africanum eum fuiſſe. Atque huic opinioni calculum adiecerunt fratres Ballerinii editores ex *Tr. de Arcadio martyre* in Caeſarea Mauritaniae paſſo; cuius memoria cum prorſus apud antiquos ignota ſit, fieri non potuiſſe exiſtimant, vt Veronenſis Ep. tanta cum religione natalitium eius diem celebraret, niſi praecipua quadam deuotione eidem fuiſſet addictus atque adeo fortaſſe ex eadem Africae prouincia oriundus; oſtendentes ſimul, non alienum a conſuetudinibus Eccleſiarum Occidentis fuiſſe, vt Africanos meritis inſignes Epiſcopos et Clericos crearent, nec minus moris fuiſſe expeditiones in terras Orientis ſuſcipere. Iidem Epiſcopum eum ordinatum eſſe ſexto Idus Decembris anno 363. (poſtremo Iuliani) ſcribunt. Iuliano ergo

ergo a. 363. vita defuncto, cum imperium ad Caeſares religionem Chriſtianam foventes iterum eſſet traductum, noui muneris auſpicia exinde feliciſſima Zeno cepit, vt partim paganos, quos frequenter tunc Veronae fuiſſe veriſimile eſt, partim Arianos, qui ſub Conſtantio, Iuliani praedeceſſore, Catholicos in his regionibus paene oppreſſerant, adoriretur, quos partim facundia ſua ad fidem conuertit, partim impugnationibus acribus tantum non penitus deuicit, vnde Veronam erroribus purgaſſe atque ad veram religionem perduxiſſe dictus eſt. Effecit quoque ſtudio illuſtri, vt noua eccleſia Veronae e fundamentis exſtrueretur, primumque, ea aperta, Chriſtianorum conuentum ſermone, etiam nunc ſuperſtite, celebrauit. *) Atque primam hanc fuiſſe eccleſiam Veronae hos in vſus aedificatam, ex eodem eius ſermone non iniuria auctores ante laudati coniiciunt. Morum ac vitae gnauiter ducendae cuſtos vigilantiſſimus fuit, et ſupereſt tractatus, **) quo plurium tunc temporis per Italiam Epiſcoporum exemplo in eos inuectus eſt, qui agaparum nomine in commeſſationes, ebrietatem ac impudicitiam abuterentur. Imprimis autem virginum diſciplinam ab eo excultam eſſe, adeo vt Veronae non ſolum virgines eſſent, quae pudicitiae virginalis voto obſtrictae in domibus ſuis ſe continerent, ſed etiam quae virginitatem profeſſae communem in monaſterio vitam degerent, ex Ambroſio ***) potiſſimum cognoſcimus. Annus, quo vita exceſſerit, vt plurima eius geſta, incertus eſt. Placuit Ballerinis 380. vel 381., vt adeo per annos XVIII. eccleſiae Veronenſis regimen tenuerit, quod ſpatium ad omnia,

*) Tract. XVI. l. I.
**) XV. l. I.
***) Epiſt.

quae tam obſcure accepimus, gerenda vix ſatis magnum putant. De miraculis et martyrio in praeſenti nihil dicere attinet. Illa qui curat, editores operum eius et fontes, vnde illi hauſerunt, adeat; poſterius fabulam eſſe, ipſi Ballerinii maioris quam forte opus erat operae impendio probatum iuerunt.

§. 2. Scripta. Eius ſuperſunt *Sermones longiores* XVI. *breuiusculi* LXXVII.

§. 3. Editiones. Ante Ballerinios fratres nemo fuit, qui bene de Zenone meruiſſe dici poſſet. Nam qui valde mature quidem, anno nimirum 1508. ex codice a Guarino Veronenſi reperto Zenonis nomine luci dati ſunt ſermones, non modo nihil famae huius auctoris profuerunt, ſed etiam ad confundenda doctorum de eo iudicia valuerunt, praeeunte imprimis Io. Sixto Senenſi,*) qui, cum aliquot tractatus deprehendiſſet, qui partim Hilarium aut Baſilium auctorem haberent, partim auctorem longe Zenoni, cuius inſuper aetatem Sixtus cum Petro Equilino Epiſcopo ad Gallienum vſque retraxit, ſeriorem monſtrarent, facile ſe dubitatione abripi paſſus eſt ad fidem reliquis etiam omnibus derogandam, vt maiori ex parte collectos eſſe ex diuerſis auctoribus, ducentis paene annis Zenoni poſterioribus ſtatueret. Hinc aliquanto plane dubitatum fuit, num inter Scriptores Eccleſiaſticos Zeno eſſet referendus?**) Ac quanquam auctores editionis Veronenſis a. 1586. vindicias ſat prolixas contexuerint; „cum tamen ipſa in editione praeter „alium ſermonum ordinem, quo iſti in duos libros „diſtri-

*) In *Biblioth. Sancta* l. IV. ed. Colon. Agr. 1626. p. 391.

**) *Mabillon de ſtudiis Monaſt.* Parte prima p. 277. ed. ſecundae Venet. 1729. 4.

„diſtributi cernuntur, nihil occurrat noui, ſed omnes „tractatus aeque ſint perturbati, permiſſi, ac pro „Zenonianis diuenditi, ii etiam, quos alienos eſſe „Sixti argumenta manifeſtum fecerant: quaecunque „in tam malae cauſae patrocinium dici potuere, non „ſolum nihil profecerunt, ſed ad indignationem po„tius exſtimularunt nonnulliorum animos, cauſam„que ipſam, quae imbecillibus valde argumentis ſuf„fulciri ac ſuſtentari debuit, imbecilliorem multo „deterioremque eſſe, quam ante fuerat, aliquibus per„ſuaſere. Ad difficultatum porro cumulum hac in „editione acceſſit etiam tempus, quo S. Zenonem „floruiſſe editores ſtatuerunt, quod cum aliquot ſer„monum teſtimoniis aduerſetur manifeſte, pro ſedan„dis repugnantium criticorum animis, eos in maio„ra diſſidia exacuerunt." Quod ſi his addas peruerſam, quam in ipſo textu exhibendo ſecuti ſunt rationem, quamque iidem Ballerinii, quorum ſuperius quoque eſt iudicium, acriter notarunt. ex eaque deinceps Zenonem deſcriptum videas, ſenties oportet, quo iure nemini ante Ballerinios quidquam debuiſſe affirmauerimus. Sub finem ſaeculi praeteriti noua parabatur editio, morte dein auctoris intercepta, de qua apud eosdem Ballerinios haec leguntur: *Franciſcus Sparauerius,* Nobilis Veronenſis in Latinis Graeciſque auctoribus apprime verſatus, politiorumque literarum ac eruditionis cultor eximius, de quo plura Scipio Maffeius prodidit part. 2. Veronae Illuſtratae; poſtquam nonnulla lucubrauit ſumma cum laude, poſtrema aetate nouam S. Zenonis editionem meditabatur, in quam plures adnotationes parauit. At morte praeuentus a. 1697. opus imperfectum reliquit. Veronenſis autem ordinem ſecutus, commentarium produxit ad medium vſque ſermonem *de aedificatione Domus Dei,* poſt quem tres alii ſupra decem ſermones

nes ea in editione ſuperſunt ſine vllo commentario; quem tamen paraſſe, etſi deſcriptus non fuerit, vel ſaltem animo praecepiſſe, indicant annotationes aliquae, in quibus ad obſeruationes in eosdem poſtremos quoque Sermones Lectorem remittit. Hiſce autem in adnotationibus et corruptiora quaedam loca tentauit emendare et difficiliores quasdam ſententias explicare nauiter et erudite ſtuduit. Vno codice vſus, quem ſerius etiam accepiſſe videtur, alios ſaepe deſiderauit, queis ſinceram lectionem reſtitueret. Aliquos tractatus ſuppoſititios plane cognouit; at cum vulgatum de Gallieni aetate praeiudicium nondum detexiſſet, haeſit alicubi, quo minus aliquos addititios tractatus alienos crederet, alicubi etiam genuinum Zenonis ſermonem, qui ei aetati non congruit, ab eodem abiudicandum putauit: vt ne tamen certum ſit, an mutaturus fuiſſet ſententiam, ſi editioni perficiendae longiorique meditationi tempus ſuperfuiſſet. Nunc affectus hic Sparauerii commentarius ipſe quoque Balleriniorum editioni acceſſit. Horum igitur immortali opera effectum eſt, vt, cui antea honorem ſcriptorum atque ipſum ſtatum docti denegarent, is iam munere, meritis et ſcriptis luculentiſſimae editionis honore decoratis eluceſcat. Balleriniorum recenſionem ac diſtributionem ſecutus eſt *Gallandius*. Nouiſſimae in Zenonem curae ſunt *Bartholomaei Perazzini* et *Iacobi* Marchionis *Dioniſi*. Nunc de ſingulis.

1508.

Venetiis, apud Bened. Fontana. Eximii et excellentis viri praeclariſſimique Doctoris Sancti Zenonis Epiſcopi Veronenſis Sermonum elegantiſſimorum ad populum exceptorum ex vetuſtiſſimo volumine Veronae ab Guarino Veronenſi viro eloquentiſſimo in

in Epiſcopii Veronenſis bibliotheca reperto. *Ad calcem:* Ad laudem et gloriam ſummae et indiuiduae Trinitatis, et beatiſſimae Virginis Mariae, et beatorum Pontificum Zenonis et Caeſarii et omnium Sanctorum, ſermones in hoc volumine poſiti, et numquam alias impreſſi, ſolertiſſime *recogniti*, et ſtudioſiſſime per *venerabilem Patrem Albertum Caſtellanum Ordinis Praedicatorum correcti, ac per Magiſtrum Iacobum de Leuco impenſis Domini Benedicti Fontana Venetiis* diligentiſſime *impreſſi* anno Domini MCCCCCVIII. die XXIV Ianuarij feliciter expliciunt.

Ex pleniori hoc titulo facile apparet, perperam a multis inde annis ad Ballerinios vſque, qui primum hunc errorem correxerunt, tributum eſſe editionis huius honorem Guarino Veronenſi, qui iam anno ſaeculi XV. ſexageſimo diem obierat, cuique codicis tantummodo Zenoniani inuenti gloria debebatur. Diſpertita eſt in tres libros, quorum primus ſermones complectitur XVII. *qui ſunt de virtutibus et vitiis;* ſecundus ſermones XXXVIII. *qui ſunt de rebus veteris teſtamenti;* tertius ſermones L. *de rebus teſtamenti noui*, ſubiectis in fine homiliis S. Caeſarii Arelatenſis et aliis quibusdam a genuinis tamen Zenonis tractatibus non diſtinctis vel inſcriptione ſecretis, praeter vnum ſermonem, qui S. Gaudentii Brixiani nomen praefert.

1586.

Veronae, apud Hieron. Diſcipulum. 4. Sermones de plurimis S. Scripturae locis et rerum diuinarum argumentis; cum Epiſtola nuncupatoria A. Valerii (ad Sixtum V. P. M.).

Nihil habet praecipui haec editio impulſu ac conſilio Cardinalis Auguſtini Valerii Praeſulis Veronenſis

nenſis per Raphaelem *Bagatam* et *Baptiſtam Perettum* facta; niſi quod ſermones omnes in duos libros diſtributi ſint. Nam licet vetuſtum codicem appellent, ex quo aliquot locis emendatior factus ſit Zeno, oſtenſum tamen a Balleriniis, codicem fuiſſe recentis admodum aetatis, ſaeculo XV. ſcriptum, cuius vſus vix maior fuerit, quam vt pauca quaedam loca, quae in prima editione erant corruptiſſima, emendari poſſent. Neque vero hoc, vt par erat, vſi ſunt, ſed peſſimum eorum, qui ſub Sixti V. auſpiciis Ambroſii opera ediderunt, exemplum ſecuti, et codicis et primae editionis fidem paſſim deſeruerunt, adeo vt Balleriniis iudicibus in hac Veronenſi editione ac caeteris inde deriuatis praeter confuſam perturbatamque alienorum tractatuum cum Zenonianis miſtionem, arbitraria aliquot locorum interpolatio, nemini ceteroquin, vt iidem monent, ob primae editionis raritatem obſeruata, plurimum offendere debeat. Vitam Zenonis praefixam habet Raph. Bagata, vt ferunt, auctore.

1589.

Pariſiis. f. Zenonis Ver. Ep. de plurimis S. S. locis etc. ſermones; *in Bibl. PP. Bigneana* ed. ſecundae T. III.

1618.

Coloniae Agrippinae. — f. Zenonis Ver. Sermones. *In Bibl. PP.* T. III.

1644.

Pariſ. ap. Aeg. Morellum. f. Zenonis Veron. Ep. Martyris et Doctoris eximii de pluribus S. S. locis etc. ſermones *in Bibl. PP.* T. II. col. 359. Ibidem in eadem de anno 1654.

1657.

1657.

Lugduni, ſumt. Laur. Aniſſon et *Io. Bapt. Devenet.* f. Zenonis ſermones varii in *Aloyſii Lipomani Catena in Geneſin,* nec non *Ei.* eodem l. et a. edita *Catena in Exodum.*

1662.

Pariſiis, ſumpt. Ant. Bertier. f. Zenonis varii ſermones in *Franc. Combefiſii Bibl. PP. Concionatoria.*

1677.

Lugduni, apud Aniſſonior. f. Zenonis ſermones *in Bibl. Max. PP.* T. III. p. 359. cum vita praefixa. p. 356.

1710.

Patauii. S. Zenonis ſermones. Recuſi ad editionem *Raph. Bagatae.*

1739.

Veronae, typis Seminarii apud Auguſt. Carattonium. f. (ſ. 4. potius) Sancti Zenonis Ep. Veronenſis Sermones. Nunc primum, qua par erat, diligentia editi. Alienis nimirum ſeparatis ac in Appendicem reiectis, codicibusque compluribus conſultis, inter quos ſcripto ante annos circiter mille per March. Scipionem Maffeium in Gallia conlato. Recenſuerunt et diſſertationibus perpetuisque adnotationibus illuſtrarunt PETRVS et HIERONYMVS FRATRES BALLERINII Presbyteri Veronenſis.

Haud exiguae profecto molis erat talem condere Zenonis reliquiarum editionem, in qua non maior circa ipſum textum quam auctorem labor exantlandus fuit. Nempe patriae amor hoc potuit, cui Epiſcopum

pum rerum et ſcriptorum memoria illuſtrem vindicaturi erant. Duo autem imprimis obſiiterant, quo minus verum hac in re docti ceteroquin et acuti viri antehac cernerent, videlicet inueterata ex Martyrologio opinio, S. Zenonem ſub Gallieno vixiſſe et martyrium eſſe paſſum, et Sixti Senenſis praeiudicium, Sermones, qui Zenonis audiunt farraginem, ex multis et conditione et tempore longe inter ſe diuerſis eſſe auctoribus. Vnus Baronius ſuſpicatus erat, auctorem paulo ante S. Ambroſium vixiſſe, tum ex epiſtolis Ambroſii, tum quod in tractatu, qui eſt h. ed. 7. l. 2. Ariana haereſis tangitur; attamen ſaluum etiam cupiens Zenonem, quem Martyribus ſub Gallieno Imp. adſcripſerat, diuerſum hunc a Veronenſi ſermonum auctori atque duos adeo Zenones ſtatuit. Mox tamen cum a Veronenſibus editoribus didiciſſet, Veronenſis eccleſiae perpetua traditione nullum alium Zenonem cognitum fuiſſe praeter Zenonem epiſcopum et Martyrem, eundem, qui ſub Gallieno martyrium obiiſſe traderetur, quemque ſermonum auctorem illi defenderent, priorem ſententiam repudiauit et huic ſubſcripſit, ita, vt eos tantummodo tractatus, in quibus Arianorum mentio fit, ab amanuenſibus Zenonianis intruſos putaret. Poſt eum non latuit quidem viros doctos, Veronenſem Epiſcopum ad tertium ſaeculum euehi non poſſe, nemo tamen ad diſcutiendas enucleandasque, quibus res impedita videbatur, difficultates paratus fuit, quas tandem Ballerinios tam feliciter extricauiſſe laetamur. Quam in rem ante omnia memorare oportet, Vindicias pro auctore ac ſermonibus eius perſcriptas in *prolegomenis Zenonianis* tribus diſſertationibus comprehenſis, quarum *prima* de genuinis tractatibus S. Zenonis Ep. Ver. et de eius aetate, *altera* de Doctrina eius, *tertia* de Actis S. Zenonis et de eiusdem cultu agit, quibus ad calcem

Monu-

Monumenta de S. Zenone et teſtimonia ſelecta ſubiiciuntur. Atque altera ad nos non pertinet, tertiae debetur breuis notitia Vitae Zenonis, quam ſupra dedimus. Primae tantum, quae totius editionis rationes ac fundamenta exhibet, conſpectum hic ſiſtamus.

In prooemio variis Criticorum cenſuris ac difficultatibus recenſitis, ſuppoſititii tractatus a genuinis tandem certo codicum indicio ſeparantur eoque ipſo fons ac ſedes potiorum difficultatum euertitur. Quod genuini Zenonis tractatus a ſuppoſititiis diiudicari non poterant, editorum ſuperiorum culpa factum eſſe monent, qui ſuppoſititios Zenonianis ſubiectos in fine codicum haud ſeparatim dederant, immo nec in manuſcriptorum fine poſitos eſſe monuerunt quidem, (quae monitio ad omnem litem dirimendam eruditis ſatis fuiſſet) ſed eos cum genuinis permiſtos nullaque diſtinctos notatione exhibuerunt ac uti Zenonianos promiſcue venditarunt: iique cum Zenonem auctorem habere nequirent, omnes quoque Zenonianos in dubitationem coniecere. Tales numero ſunt et conſtanter in fine omnium codicum ſubiecti, undecim, quos ipſi quoque editores ad calcem editionis ſuae adiecerunt. His demtis ſupererant XCIII. quorum vnum auctorem eſſe ſtatuunt et argumentis, tum e codicibus tum ex ſtilo deſumtis, variiſque obiectionibus, quas ab argumenti, indolis et longitudinis diuerſitate petierunt viri docti, dilutis, euincunt. Haec capite primo §. I-IIII. Pergunt cap. altero auctorem horum tractatuum ſcripſiſſe IV. ſaeculo, eidemque omnia congruere, quae in omnibus tractatibus continentur. Hic primum afferunt locum inſignem ex tract. 5. l. 1. ubi *quadringentos* ex ſua retrorſum ad Pauli Apoſtoli aetatem annos auctor numerat; quod temere Editores Veronenſes in *ducentos* mutauerant et Baronius aliis argumentis deinde adſtruere conatus erat; quae

ſingula diluuntur. Tum vrgetur argumentum graue, quod Auctor contra Arianos differens IV. ſaeculo adiudicandus ſit, fulcitum ab alio, quod plures ſaeculi quarti haereſes in his tractatibus impugnentur. His addunt publicum in vrbe Verona monumentum, eccleſiam ſub auſpiciis eius aedificatam ab eoque (tractat. 14. l. 1.) in uſus communes apertam ac dedicatam; quod ante ſaeculi IV. tempora fieri non potuerit. Item, quod interdicta Gentibus templorum aedificatio et publicus nihilominus idololatriae cultus, de quibus auctor meminit, aetatem eius poſt medium quartum ſaeculum ac Iuliani obitum certioribus limitibus definiant. Porro non Lactantium ſolum, ſed et Hilarium imitatum auctorem videri. Tandem inſignis auctoris locus de captiuorum redemtione cum aliis duobus S. Ambroſii mirifice congruens, ſpectare: oſtenditur captos a barbaris poſt Hadrianopolitanam pugnam a. 378. ſimul non ultra ſaec. IV. auctoris aetatem prorogari poſſe, ſed ante a. 391. eum floruiſſe ſtatuitur. Denique obiectio de perſecutionibus et martyribus disiicitur, breui perſecutionum ſaeculi quarti hiſtoria cap. II. §. I - VIII. His ita praemonitis, tertio capite probare annituntur, auctorem tractatuum, quem IV. ſaec. vixiſſe oſtenderant, eſſe S. Zenonem Ep. Veronenſem, prouocantes primum ad codices et antiquos teſtes et Eccleſiae Veronenſis traditionem, a quibus omnibus tractatus iſti Zenoni huic tributi ſint. Deinde vulgare praeiudicium de S. Zenonis aeuo ſub Gallieno, quod vnum hactenus conſtitutis opponi poſſe videretur, ad examen reuocant, originem et fundamentum, nempe Coronati Notarii narrationem, declarant atque monumentis certis S. Ambroſii ad Syagrium epiſtola et Ordine antiquo Epiſcoporum Veronenſium IV. ſaeculo eum vixiſſe comprobant. Inſuper denique Coronati Notarii narratio ſe-

ptimo

ptimo vel octauo ſaeculo ſcripta perſtringitur et fabulis ſcatere oſtenditur; poſtremo aetas S. Zenonis, quacum omnia conueniant, certis finibus, intra annos 356 et 380. definitur cap. III. §. I-V. — Multa praeterea hiſtoriae ac literaturae eccleſiaſticae capita, vt poſtea in Leonis operibus, doctiſſimi editores attigerunt et diſcuſſerunt, quae in omnium eruditorum memoria verſantur. Sed nobis iam ceterae huius editionis dotes declarandae ſunt. Nouem contigit nanciſci codices, quorum octo omnes ſermones continebant, vnus autem vetuſtiſſimus, Remenſis, fons reliquorum videbatur. Horum igitur ope non ſolum ſuppoſititios tractatus a genuinis ſecreuerunt, vt ex ante dictis patuit, ſed inſigniter etiam ac multis in locis vel emendarunt vel antiquam lectionem muniuerunt. Quod ad partitionem ac ordinem ſermonum attinet, neque editorum ſuperiorum neque codicum exemplum ſequi e re viſum, quoniam apud vtroſque longiores et breuiores promiſcue conſerti, argumento et titulo ſimiles disiecti, ab illis praeterea genuini cum ſpuriis confuſi eſſent. Sed collectis in vnum eiuſdem inſcriptionis tractatibus vniuerſos ſermones in libros duos diuiſerunt, quorum primus longiores et quidem omnes fere de vitiis ac virtutibus praecipientes, alter breuiores, numero plures ac argumento diuerſos contineret. Ne quis vero codicum et editionis Veronenſis, quae vulgo allegatur, ordinem deſideraret, vtrumque cum nouo collatum diſtinctis tabulis ante ipſos ſermones exhibuerunt. In adnotationibus non ſolum id intenderunt, vt correctionum rationem adferrent, ſelectas variantes lectiones adponerent vel difficiliora loca explicarent, ſed vberius quoque ſtudium in dictionis declaratione oſtenderent. Atque hoc etiam tum ad confirmandam auctoris aetatem, tum ad locutionis latinae puritatem vindicandam.

dam. „In gratiam nonnullorum, inquiunt, qui „praeiudiciis aliquot iam inolitis deuincti tenentur, „oportuit, pares quasdam aliorum IV. vel ſequioris „etiam ſaeculi Patrum ſententias alicubi recitare, qui„bus aliquas Zenonis formulas, ſeu teſtimonia non„nulla, antiquioris multo aetatis vulgo exiſtimata, „in quartum quoque, vel poſterius etiam ſaeculum „cadere probaretur. Voces ſeu loquendi rationes „aliquot minus vſitatas, quae exoticae vel infimae la„tinitatis videri poſſent, probatiorum, ſi fieri po„tuit, Scriptorum indicatis exemplis purgare ſtudui„mus, adeo, vt perpaucae illae, quas apud nemi„nem reperimus, ſatis ex ceteris vindicatae maneant, „cum praeſertim non omnes Romanae et antiquae „voces in libris veterum inueniantur." Tractatus XI. auctorum aliorum appendicis modo adiecti, etſi ſimilem curam experti non ſint, non tamen adnotatione critica deſtituuntur. Poſt appendicem ſuccedit cum praefatione et epiſtola nuncupatoria ed. Ver. a. 1586. *Franciſci Sparauerii* adnotationum αὐτοσχεδίασμα cum praeuia admonitione editorum, ex qua paulo ante quaedam delibauimus. Multiplex lectio in vtriuſque linguae auctoribus aeque ac ſcriptoribus eccleſiaſticis et ingenii facilitas in explicando et emendando vbique in iſtis animaduerſionibus elucet. Caeterum praeclarae huic editioni nec index idoneus, nec praefatio diligens, nec dignum decus ab arte typographica deeſt, neque patronus, quo iſta aetate gloriari liceret, cuique nuncupata eſt, Cardin. *Paſſioneus.*

1769.

Venet. ex typ. Io. Bapt. Albritii. f. S. Zenonis Ep. Ver. Tractatus ex luculenta Ballerinia editione Veronenſi anni MDCCXXXIX, cura *Andr.* *Gallan-*

Gallandii in Tomo V. *Bibl. PP.* p. 109-157. Textus tantummodo transſcriptus eſt. Obſeruationes aliquot locis adiectas, quae Ballerinios, vt ſcribit, fugiſſe viderentur, commemoraſſe vix operae erat. De Zenone diſſerit Prolegg. cap. XII. p. XIX et XX.

1784.

Verona. f. Le Opere di S. Zenone volgarizzate dal Marcheſe *Gio. Iacopo Dioniſi* Canonico Veronenſe. *In fine:* preſſo Dionigi Ramanzini.

De verſionis bonitate noſtrum iudicare non eſt. Sed magnificentius puto, quam Zenoni competebat de eloquentiae eius vi ac numeris iiſdemque in transferendo aſſequendis auctor ſenſit. Quam in rem multa ab eo in praefatione diſputata ſunt, quae aeque ad communia transferendi praecepta ac regulas, quam Zenonianam hanc traductionem ſpectant. Vniuerſe ſententias et ingenium Zenonis exprimere magis quam verba et dictionis colorem laboraſſe ſe affirmat. Sed quod ad plures forte pertinet, ſingulare habet munus haec editio a criticis et exegeticis *Bartholomaei Perazzini,* Archipresbyteri Veronenſis, adnotationibus, ſingulis tractatibus adiectis, in quibus partim interpunctio, partim ipſa verba, prout vel Balleriniorum vel omnium omnino editionum conſenſus vel ratio his omnibus potior ſuadere videretur, correcta vel ſententias aliter ac hactenus conſueuit explicatas inuenias ſagaciter et cum inſigni iudicio. Nec vero paucae eae ſunt, quamquam a verſionis auctore, qui ſtilum quoque accommodauit, in breuius contractae. Accedit praeterea hoc commodum, vt in indice non deſultorie confecto vno intuitu lectiones nouae, poſtliminio reductae, ſuppletae aliaeque, nec non interpunctionum mutationes ſpectari poſſint. Caeterum

 poſt

poſt praefationem Vita Zenonis addita, inſcribitur autem Pio VI. S. P. Nitor typorum atque chartarum eſt plane eximius.

* *

Codices. Hoc loco adnotaſſe non pigeat, quae de collectione Sermonum S. Zenonis Ballerinii obſervarunt, eam paulo poſt S. Epiſcopi mortem ipſo quarto ſaeculo exeunte vel ineunte quinto ex ſchedis eius Veronae relictis eductam atque expreſſam eſſe. Auctorem ipſum eam paraſſe ac edidiſſe negant propterea, quod plures imperfecti, repetiti ac mutili occurrant, vnde probabile eſſe exiſtimant, quod ea, quae in vſum ſermonum, quos ad populum frequentiſſimos habuit, poſt mortem in ſchedis reliquiſſet, ab aliis inuenta, ob eximiam Viri exiſtimationem colligenda nauiter viſa ſint, idque tanta factum diligentia, vt quidquid reperiri potuerit, ſiue perfectum ſiue minus, totum collectione et editione dignum iudicatum ſit, fragmentum licet exiguum eſſet, vel exordiolum vel vnica etiam periodus. Sed ad propoſitum properamus.

De *Guarini codice* mentio iam ſupra allata eſt. Nullum iam codicum Zenonis veſtigium in bibliotheca Capituli Veronenſis ſupereſt. Inter Ballerinianos nullus antiquior fuit ac praeſtantior quam

Remenſis, quem Remenſium Benedictinorum Bibliothecae ante annos ferme nongentos ab Hincmaro Epiſcopo dono datum. P. Ruinartius in acta S. Arcadii, et P. Couſtantius in Vett. Codd. vindiciis p. 293. ac in ed. Hilarii p. 463. ed. Veron. aliique etiam alibi commemorarunt. Quoniam in eo tanquam antiquiſſimo totius fabricae veluti baſis ac fundamentum ſit, accuratam eius deſcriptionem vna cum duobus ſpeciminibus in praef. p. VI-IX. dederunt. Iidem

ex

ex indiciis certis codices antiquiores librario eius ad manum fuiſſe notant. Hunc praeter praeſto fuere

Tolentinas. Venetiis in Bibliotheca Clericorum Regularium Tolentinatum exiſtens codex membranaceus pulcherrimique characteris quique ad XIII. circiter ſaeculum pertinere putatur. Lectiones ad Remenſem multum accedunt, vt a librario minus perito et indiligenti ſcriptus apparet, cum eadem voce alicubi recurrente, frequentes ſaltus occurrant.

Vaticanus n. 1235. membranaceus XIII. ſaeculo ſcriptus, ex eodem cum Veneto fonte profectus, licet emendatior, cuique codicem a Guarino repertum perſimilem fuiſſe videri Edd. noſtri obſeruant.

Vaticanus Vrbinas 150. membranaceus item, ſed iam deſcripto aliquanto poſterior et ſaeculo forte XIV. exaratus.*)

Codex Baſilicae S. Petri in Vaticano, ſcriptus ineunte ſaec. XIII. vel ineunte XIV. ſignatus litera F. 33. praeter titulos ſermonum in omnibus cum Remenſi concordat. Huius non plenam collationem, ſed aliquot ſolum tractatuum et difficiliorum locorum variantes lectiones procedente iam editione poſtulauerant et obtinuerant.

Veronenſis Monaſterii S. Zenonis, recentioris aetatis, ſaeculi XV. haud dubie, ex membranis compactus, idem ille, quem Veronenſes Editores a. 1586. Vetuſtum appellarunt. Cum Remenſi quoque quoad ordinem et numerum tractatuum, titulis modo exceptis, ei conuenit. Diuerſum autem hunc eſſe a Codice, quem Petrus Calo Ordinis Praedicatorum ineunte

 ſaec.

*) Duo praeter hos in Vaticana codices Zenonis extant, ſed cum numeri, quibus notati ſunt, non niſi duorum ſuppeterent, duorum tantum collationum copia a P. Ioſepho Blanchinio ipſis fieri poterat.

ſaec. XIV. ſe ibidem vidiſſe in MSS. Collectaneis ab Henſchenio laudatis teſtetur, Ballerini affirmant.

Sparauerianus. MS. liber, quem F. Sparauerius olim cum editis contulit, variantesque eius lectiones notauit in obſſ. ſuo loco laudatis. Quis ille fuerit, ignoratur. Plerumque ei cum codice Monaſterii S. Zenonis conuenire, ita tamen, vt in aliquibus diſcrepet, Ballerinii monent.

Pompeianus. Codex recentis aetatis ſed librarii accuratioris a Comite Alex. Pompeio Editoribus ſuppeditatus. Exaratus eſt ſub medium XV. ſaeculum. Ordo numerusque tractatuum idem ac in Remenſi.

13.

Fabivs Marivs Victorinvs.

§. 1. Vita. Natione Afer, rhetoricis ſtudiis Romae ſub Conſtantio clarus, vir multiplici lectione et omnium doctrinarum liberalium peritiſſimus. Erat autem Auguſtino et Hieronymo teſtibus tanta haſce literas docentis celebritas, iſque nobilium hominum ſenatorii cum primis ordinis ad eum confluxus, vt ob inſigne praeclari magiſterii ſtatua ipſi poneretur.*) Quamobrem non parum docti ipſius aetatis chriſtiani et imprimis Auguſtinus ille talem virum ſenem iam factum ad fidem conuerſum geſtiunt, quod extremo Conſtantii imperio accidiſſe probabile eſt, vt adeo adhuc aliquamdiu rhetoricam docuerit, donec Iuliani edicto, ne Chriſtianus literas et orationem doceret, prohiberetur. Quo facto, reliquam aetatem, quae incerta eſt, omnem in perſcrutandis fidei dogmatis tranſegit, vt libri etiam ex parte reliqui, comprobant. Eſt

*) *Auguſtin.* Confeſſ. l. VIII. c. V. *Hieron.* d. V. I. c. CI. Chron. ad a. MMCCCLXX.

Eſt locus apud Hieronymum, quo effici videtur, Victorinum a. CCCLXXXII. in viuis adhuc fuiſſe; ſed adhuc ſub iudice lis.*)

Quae de Scriptis eius hodie ſuperſunt, hac ſerie ſe excipiunt ſecundum Gallandii ſententiam: libelli duo, vnus ad *Iuſtinum Manichaeum contra duo principia Manichaeorum et de vera carne Chriſti* inſcriptus; alter *de verbis Scripturae: Factum eſt Veſpere et Mane, Dies Vnus; de Generatione verbi diuini* opuſculum ſ. *Confutatorium Candidi Ariani ad eundem; de Trinitate contra Arium* Libri IV, abſoluti, vt veriſimillimum videtur, a. 365; libellus *de ὁμοουσίῳ recipiendo*, epitome librorum de Trinitate. *Hymni tres de Trinitate* ametri et anarythmi. Quod eidem a multis tribui ſolet carmen *de ſeptem fratribus Maccabaeis*, a Gallandio repudiatum eſt ac cum Viris quibuſdam doctis Hilarii Arelatenſis potius habitum. §. 2. Scripta.

Ex his ſinguli variis in Collectionibus Scriptorum Eccleſiaſticorum editi ſunt et repetiti, vniuerſi primum in Bibl. Max. Lugdunenſi reperiuntur eoſdemque emaculatiores Gallandius dedit. De ſingulis colligiſſe iuuabit ſequentia. §. 3. Edita.

1528.

Baſil. apud Henricpetri f. in *Antidoto contra omnes Haereſes:* Victorini contra Arium libri I-IV, fol. 40-76; carmen de Trinitate, fol. 76; de Homouſio recipiendo, fol. 77. hymnus ſecundus, fol. 78; hymnus tertius, fol. 79; Carmen de Machabaeis, fol. 83.

*) *Hieronymi* opp. ed. *Martian.* T. IV. ep. XXX. p. 229. T. I. ep. XLVIII. p. 210.

1548.

Baſil. per Io. Oporin. f. in *Iac. Ziegleri Conceptionibus in Geneſin et Exodum:* M. Victorini de Generatione Verbi Diuini liber cum Candidi libello de generatione Diuina p. 232-237.

1555.

Baſil. ap. Henric-Petri. f. in *Heroldi Orthodoxographis:* Eadem, p. 461-469.

1556.

Baſil. ap. Henric-Petri. f. in *Heroldi Haereſiologia:* Eadem, p. 186.

1575.

Pariſiis, ap. Mich. Sonnium. f. in *Bibl. PP. Bigneana* ed. primae *T.* V. M. Victorini libri IV. aduerſus Candidum Arianum. Hymni. Tractatus de homouſio recipiendo.

1589.

Pariſiis. f. in eadem *Bibl. PP.* ed. ſecundae, *T.* IV. Eadem et Carmen de Machabaeis. Similiter haec in ed. tertia a. 1609. et quarta 1624. extare arbitramur.

1618.

Coloniae Agripp. Sumpt. Ant. Hierati. f. in *Bibl. PP. T.* IV. M. Victorini libri IV. aduerſus Arium p. 190. de Machabaeis carmen 220. de Trinitate Hymni III. p. 223.

1630.

Pariſiis. 8. in *Iac. Sirmondi operibus dogmaticis Vett.* M. Victorini libelli duo ad Iuſtum Manichaeum et de Verbis Gen. I, 5. — Edidit ex Codice

dice Herivallenſi. Sed inſcriptiones deerant, quas effinxiſſe ſe faſſus eſt.

1644.

Pariſiis, ap. Aeg. Morellum. f. in *Bibl. PP.* ed. quintae *T.* IV. M. Victorini libri IV. aduerſus Arianos. *col.* 181. Hymni III. de Trinitate et de Homouſio recipiendo *col.* 254. De Machabaeis carmen T. VIII. *col.* 625. Eadem inueniuntur de a. 1654.

1652.

Gothae, ſub prelo Reyheriano per Io. Mich. Schallium. — M. Victorini Hymni tres de Trinitate et de Generatione Diuini Verbi confutatorium Candidi Ariani, cuius ipſius quoque liber, vt tanto melius conferri ambo poſſint, praemiſſus, quamquam ab aliis fere omiſſus, imo vterque paene amiſſus fuit, cum notis et praefatione D. *Andreae Riuini* in *Duum Victorinorum ſcriptis*, quorum titulum plenum ſupra, vbi de Victorino Petauionenſi ſermo fuit, dedimus. Ibidem iam conſtitit, Riuinum *carmen de Machabaeis fratribus* Petauionenſi tribuiſſe.

1677.

Lugduni, ap. Aniſſonios. f. in *Bibl. Max. PP. T.* IV. M. Victorini libri IV. de Trinitate aduerſus Arianos fol. 253. Hymni tres cum tractatu de homouſio recipiendo f. 294. De Machabaeis fratribus carmen f. 297. Acceſſit in hac editione eiuſdem liber contra duo principia Manichaeorum et tractatus in verba Gen. I, 5. ex ed. Iac. Sirmondi f. 289.

1685.

Lutetiae Pariſiorum. f. Fragmentum epiſtolae Candidi Ariani ad Marium Victorinum. Reſponſio M. V.

M. V. Rhetoris Vrbis Romae ad Candidum Arrianum; in *Veterum Analectorum Ioh. Mabillonii*, T. IV. p. 155. et edit. nouae p. 1. Velut inedita haec Mabillonius ex Codice Auguſtano S. Vdalrici vulgavit. Eſt vero fragmentum illud Candidi nil amplius quam pars operis de generatione diuina, vt primum Oudinus vidit.*)

1696.

Pariſiis. f. M. Victorini libelli duo ad Iuſtum Manichaeum de verbis Gen. I, 5. in *Operibus Sirmondi* T. I.

1772.

Venetiis, ex typ. Io. Bapt. Albritii. Fab. M. Victorini Afri V. C. Opera quae exſtant omnia: nunc primum reſtituta et illuſtrata in *Bibl. PP. et SS. Eccl.* cur. *Andrea Gallandio T.* VIII. p. 133-199. Singula ex ordine Gallandii ſupra enumerauimus. Inſerta ſunt ſuis locis Candidi de generatione diuina liber et epiſtola ad M. Victorinum. De Auctore agitur Prolegg. c. IV. p. VII-IX.

14.

Candidvs.

Secta Arianus, qui circa annum 364. floruerit. Amicus et familiaris Marii Victorini fuit, ad quem liber eius *de generatione diuina* et *epiſtola* diriguntur, nec ab illius operibus auulſa edita ſunt.

15. Da-

*) De SS. Eccl. T. I. p. 528.

15.

D A M A S V S.

Natione Hiſpanus,*) e lectore Eccleſiae Romanae per omnes gradus ad faſtigium tandem eccleſiaſticae dignitatis a. 366. poſt mortem Liberii euectus. Accidit autem non ſine ingenti eccleſiae Romanae et ipſius vrbis tunc clade, vt eodem tempore ab alia quadam cleri et plebis factione Vrſinus quidam Epiſcopus eligeretur, vnde ab animorum diſſidio ad manuum conſertiones re traducta caede et incendiis vtrinque ſaeuitum fuit. Non deſunt vtriusque factionis patroni et accuſatores, quibus tamen inter ſe collatis neutrius partis auctorem culpa caruiſſe apparet. Interea fortuna Damaſum iuuit, vt ab aſſeclis ſuis Vrſinus ex vrbe pelleretur et Caeſaris fauor ſedem eius muniret; quamquam haec victoria non omnino tranquilla fuit. Nam cum anno vix elapſo Valentinianus Vrſino Romam reuerti conceſſiſſet, ſimulque omnes eius ſocios locis, vnde depulſi fuerant, reſtitui iuſſiſſet, ſub conditione quidem, ne quis pacem temeraret, mox tamen nihilominus turbae ſunt exortae. Quocirca a. 371. in Gallias eos ablegare placuit. Sed mutata haud ſegnius ſententia permiſſum eſt, vbi commodum videretur, degere, modo Roma et prouinciis ſuburbicariis abſtinerent. Attamen nec imperatoris iuſſa nec inſidioſa Damaſi ſociorum vigilantia impedire potuerunt, quo minus aduerſariorum manus aliqua reſidua in vrbe conuentus ageret. Quos vbi mox con- §. 1. Vita.

*) Vt nuper argumentis haudquaquam dubiis euicit conterraneus eius doctiſſimus F R A N C I S C V S P E R E Z I V S B A Y E R I V S in Diſſ. Hiſtorica inſcripta: D A M A S V S et L A V R E N T I V S *Hiſpanis aſſerti et vindicati* — ſplendidiſſime typis deſcripta *Romae* 1756. in *typogr. Ioſ. et Phil. de Rubeis.*

confluere in templum quoddam patefactum eſt, Caeſar Damaſo ſollicitante eripi illud iubet, quod per Praetextatum Praefectum Vrbi non ſine multorum caede factum perhibent. Neque vero extra Romanae eccleſiae limites etiam Vrſinus quietus fuit. Sed Mediolanum accedens et Arianorum partes amplexus Ambroſio moleſtus fieri coepit, qui, ſimulac ad Gratianum Imp. de nouatore retuliſſet, Coloniam ad Rhenum exulare iuſſus eſt. Poſtrema tandem Damaſi inimicorum machinatio fuit, vt criminis, de quo non conſtat, reum apud Imperatorem, Iudaeo quodam delatore facerent, in quo calumniae damnati nihil amplius apud eum valuerunt, quin potius ex illo inde tempore impenſius ei Auguſti fauebant. Quamobrem cum a. 367. a Valentiniano ius in eum eſſet collatum, in cauſis Epiſcoporum [dioeceſeos ſuae ſeu prouinciae ſuburbicariae] coram cognoſcendi, quo res omnes eccleſiaſticae ab arbitrio iudicum ciuilium exemtae ſunt: Epiſcopi anno 378. Romae congregati precibus apud Gratianum obnitentes, vt in alios quoque epiſcopos illud concederetur, facile quod petierant, obtinuerunt. Ac haec quidem intra eccleſiae ſuae fines a Damaſo geſta. Neque tamen ibi ſe continuit, ſed firmata tandem auctoritate, Arianos, quotquot per Occidentales regiones eſſent reſidui, debellare coepit, damnatis in Concilio Romae coacto Vrſacio, Singiduni Epiſcopo, et Valente, Ep. Murſae; tametſi contra Auxentium, Mediolani Ep. Arianae factionis propugnatorem longe illis fortiorem, ob gratiam imperatoris nihil auderet; quod orthodoxos Aegypti Epiſcopos Alexandriae cum Athanaſio conſiſtentes laetitia ſimul et dolore affecit. Antiochenſibus quoque, quae ex longo inde tempore vrbem iſtam et eccleſiam diſtrahebant, turbis ſe immiſcuit, excitatus quidem ſemel atque iterum a Baſilio M. Caeſareae

in

in Cappadocia Epiſcopo. Sed lente fecit et rerum, conditionis et animorum diuerſarum partium prorſus ignarus. Quo factum eſt, vt, quoniam in cauſa incognita facilius haberet ſemel ſententiam qualemcunque pronuntiare, quam cura adhibita ſtatum rerum conſiderare, Paulinum epiſcopum nominando commoueret magis quam ſedaret animos. Apollinaris etiam haereſi ſe oppoſuit in Concilio Romae a. 377. acto; quo tempore a Vitali quodam Apollinaris, vt ferunt, diſcipulo, ambiguis formulis deceptus fuit. Praefuit dehinc Damaſus concilio 382. Romae collato, in quo praeter Apollinaris haereſin iterum damnatam, Epiſcopi nonnulli Orientis, inque iis Flavianus in locum Meleſii Antiochiae Concilio Conſtantinopol. conſtitutus improbati ſunt, iisque eccleſiae ſocietas ab Orientalibus denegata eſt. De Vicario Pontificis Romani in Illyria a Damaſo, vt ferunt, Theſſalonicae primum conſtituto, res eſt ab omni dubitatione nondum expedita. Extremum paene operum mortalium eius idque vere laudandum fuit, quod Symmachum, Praefectum Vrbi, falſo accuſatum, tanquam Chriſtianos crudeliter vexaſſet, apud imperatorem purgaret et crimine impacto exſolueret. Quod anno ipſo mortis eius 384. accidiſſe ſtatuunt. Creditum eſt aliquamdiu Hieronymum per aliquod tempus Damaſo in rebus eccleſiaſticis a ſecretis fuiſſe; quod quidem falſum eſſe Mazocchius oſtendit. Enimvero iuuiſſe ſe Damaſum, in chartis eccleſiaſticis imprimis, quae ad res Orientales ſpectarent, Hieronymus ipſe fatetur.

Ad opera eius pertinent *Epiſtolae VII.* integrae, quae iuxta ſeriem chronologicam apud Couſtantium hoc modo ſe excipiunt. I. *Epiſtola Damaſi et Epiſcoporum XCIII. qui cum eo ex Italia et Gallia conuenerant,* §. 2. Scripta.

venerant, ad Epiſcopos Illyrici. [Adnumeratur a 372. II. *Epiſtola ad Paulinum, cum profeſſione fidei catholicae ad eundem*, quae pars poſterior etiam eiusdem epiſtolae cenſeri ſolet. Nonnulli pro duabus epiſtolis habent, ſcr. c. a. 378. III. *Ad Acholium et alios Macedoniae epiſcopos*, ſcr. c. a. 380. IV. *Ad eundem*, paulo poſt ſcripta. V. *Epiſtola ſynodica Damaſi contra Apollinarium et Timotheum*, ſcripta intra a. 382 et 84. VI. *Ad Hieronymum Romae degentem*, c. a. 382. VII. *Ad eundem*, cum ibidem adhuc verſaretur, a. 384. Praeterea VIII. *Fragmenta epiſtolae*, ſ. expoſitionis fidei in Synodo Romana ſub Damaſo editae, a. 378. ſuperſunt. *Carmina* ſ. potius *inſcriptiones* et *elogia* breuia XL.

Interciderunt *epiſtolae* aliquot et libelli cum proſa, tum verſu ſcripti, in quibus erant de *virginitate.* *) Singula fere quae deſiderantur, et quorum plura in bibliothecis adhuc deliteſcere dicuntur, notauit *Fabricius.* **) *Suppoſititia* ſunt epiſtolae plures et *decreta, liber de vitis Pontificum Romanorum*, de quibus praeter *Couſtantium* idem *Fabricius* conferri poteſt.

§. 5. Editiones. Ex his epiſtolae quaedam inter aliorum ſcriptorum eccleſiaſticorum opera inueniuntur: I. ap. Theodoret. H. E. l. II. ed. Sirmond. cap. 17. Valeſ. c. 22. Sozom. l. VI. c. 23. ſed apud illum rectius ſe habet, quam in hoc; item latine apud Epiphan. Tripart. l. V. c. 29. II. apud Auguſtinum de Temp. 129. nunc in Append. Eiusd. T. V. Serm. 233. n. 5. inſerta eſt. Apud Theodoret. l. V. c. 11. pars poſterior tantummodo. V. apud Theodoret. l. V. c. 10. Epiphan.

*) Hieron. ad Euſtach. de Cuſtodia Virg.
**) In Bibl. Med. et Inf. Lat. T. II. ed. Manſi p. 5. 6.

Epiphan. l. IX. c. 15. VI et VII. inter Hieronymianas. Hinc in collectionem Iſid. Mercatoris migrarunt, ſed mutilae et cum ſpuriis coniunctae. Paſſim etiam operi ſuo Baronius inſeruit. Deinde *Lucas Holſtenius* aliquot in lucem protraxit et quarundam exemplaria meliora dedit. Carmina maximam partem ex ipſis marmoribus, in quibus etiam nunc Romae leguntur, collectae ſunt. Pauciora codices antiqui ſuppeditarunt, quorum exigua pars mature in diuerſis poetarum chriſtianorum collectionibus locum cepit, plura a Baronio in Annalibus et ad Martyrologium Romanum exhibita ſunt. Primam autem omnium reliquiarum collectionem inſtituit *Sarrazanius*, vulgauit Vbaldinus a. 1638. In ea carminibus maior honos habitus, quam epiſtolis, inter quas nullo diſcrimine ſpuriae et genuinae receptae ſunt. Quae Holſtenio debentur, editae ſunt 1662. Diuiſa extant in diuerſis voluminibus Bibl. PP. Max. Lugdunenſis. Nouam operum Damaſi editionem molitum eſſe et libellos de virginitate fuiſſe additurum *Ioſephum Mariam Suareſium*, teſtes ſunt a Fabricio laudati*) praeter ipſum in Apibus Vrbanis p. 168. Allatius et Lud. Iac. a S. Carolo in Bibl. Pontif. p. 61. Sed quid egerit et congeſſerit plane ignotum. Saeculo currente Epiſtolas pro more ſuo ſub acrem cenſuram vocauit et cum aliis easdem illuſtrantibus monumentis *Couſtantius*. Hunc ſecuta eſt omnium opuſculorum editio *Antonii Mariae Merendae* 1754. Vtrumque ſecutus eſt optimo exemplo *Gallandius*. cuius eſt nouiſſima Damaſi recenſio. Iam ſingula luſtremus.

1502.

*) Bibl. Med. et Inf. Lat. T. II. ed. Manſi. p. 5.

1502.

Venetiis, ap. Aldum. 4. S. Damaſi aliquot Sanctorum elogia: inter *Poetas Chriſtianos Aldi* ipſam Aldi collectionem non vidi. Neſcio autem, an recte diuinarim, ſi praeter vndecim elogia in inſecutis poetarum chriſtianorum collectionibus conſtanter et Maettarii adeo corpore propoſita nihil verſuum Damaſi in ea contineri ſtatuam.

1564.

Baſileae. 4. inter *Ge. Fabricii poetas chriſtianos* Haud plura ineſſe puto, ac in Aldinis.

1611.

Aureliae Allobrog. 4. *in Corpore omnium veterum poetarum ſecundum ſeriem temporum digeſtorum.* T. II. p. 67?. S. Damaſi aliquot SS. elogia.

1618.

Colon. Agripp. f. *in Bibl. PP. T. IV.* p. 543 eadem vndecim elogia exhibentur. Atque horum editorum tanta fuit ſocordia, vt in indice ſcriberent Reliqua Damaſi partim apud Hieronymum, partim apud Theodoretum, partim apud Baronium legi.

1638.

Romae, typis Vaticanis. 4. S. Damaſi Papae opera quae extant et vita ex codicibus MSS. cum notis *Martii Mileſii Sarrazanii*, I. C. Romani. Typisne parata erat, an pro lubitu tantum confecta haec Sarrazanii opera quam Cardinalis Franciſcus Barberinus, qui beneuolentia inſigni olim auctorem complexus erat, ex Bibliothecae ſuae cimeliis Frederico Vbaldino euulgandam et Vrbano VIII. P. M. nuncupandam

pandam dedit, ex dedicatione illius haud patet. Divinare tamen licet, carmina tantum numero XL. collecta fuiſſe, quippe ad quae ſola Sarrazanii notae ſpectant, quaeque ſeparatim ab epiſtolis literis capitalibus impreſſa ſunt. Epiſtolas fortaſſe Vbaldinus adiecit. Saltem nihil eſt, quod easdem Sarrazanium quoque curaſſe ſuadeat. Praecedunt plagulis duabus integris omnes fere et veterum et recentiorum de Damaſo memoriae et notitiae et tribus itidem Vita eius ex vetuſtiſſimo Codice MS. Epiſtolas numerat XII. Damaſi nomine inſcriptas, I. II. *ad Hieronymum*, indicatis ex eiusdem epiſtolis, quae his reſpondeant. III. *Ad Epiſcopos Illyrici.* IV. *Ad Epiſcopos Orientis.* V. *Ad Paulinum Theſſal.* VI. *Ad Paulinum Antioch. Ep.* VI. *Ad Hieronymum* cum *Ej. reſponſoria.* VII. *Epiſtola Stephani Archiepiſcopi et trium Concil. Africae ad Damaſum.* VIII. *Damaſi ad Stephanum.* IX. *Ad Epiſcopos Numidiae.* X. *Damaſi et Epiſc. Romae congregatorum ad Epiſcopos Illyrici.* XI. *Ej. ad Epiſcopos Italiae vniuerſos. Epiſtola Aurelii Carth. Ep. ad Damaſum.* XII. *Damaſi ad Aurelium.* Subdita ſunt pauca epiſtolarum fragmenta ex decretorum Collectionibus Gratiani et Iuonis. Locum vltimum occupant Sarrazanii notae in Carmina, quae hominem induſtrium et multae in Vitis Sanctorum lectionis oſtendunt.

1644.

Pariſ. ap. Morell. f. S. Damaſi Elogia aliquot Sanctorum: in *Bibl. PP. T. VIII.* p. 844. et repetita in eadem a. 1654.

1652.

Lipſiae, typis Io. Baueri. 8. S. Damaſi, natione Hiſpani, Romanorum primi Pontif. Max. Carmi-

na Sacra, Hymni, Elogia et Epigrammata, quae ille Baſilicis, Platoniis et Conciliis SS. Martyrum Romae fere inſcripſit; diu ſane deſiderata, nec vſpiam typis hactenus ſemel euulgata, Nunc ſigillatim e Rom. Marmoribus, priſcisque Chriſtianorum Monumentis, Manuque partim exaratis, partim etiam editis Codd. congeſta emaculata, et notis breuibus illuſtrata ab *Andrea Riuino.*

XLIV. ſunt, in quibus etiam, quae Ianus Gruterus in opere Inſcriptt. a p. 663-671. ex libro vetuſto membranaceo Bibliothecae Palatinae protulerat.

1622.

Romae, typis Iac. Dragondelli. 8. in *Lucae Holſtenii Collectione Romana Bipartita vett. aliquot hiſtoriae eccleſiaſticae monumentorum.* Damaſi epiſtolae duae ad Acholium. Parte I. p. 37. et 42. *Exemplum Synodi Romae habitae* XCIII. *epiſcoporum ex reſcripto imperiali.* p. 165. *Capitulum ex Concilio Vrbis Romae ſub Damaſo Papa de explanatione fidei.* p. 178. *Damaſi epiſtola ad Paulinum Antiochenum.* p. 180-189. Decerpta ſunt ex bibliotheca Barberina, excepto fragmento *de explanatione fidei*, quod ex vetuſtiſſima collectione Canonum Bibl. Vat. depromſit.

1677.

Lugduni, ap. Aniſſonios. f. S. Damaſi carmina et epiſtolae in *Bibl. PP. Max. T.* IV. fol. 635. et iterum *T.* VIII. fol. 888. et melius cum notis *Martii Mileſii Sarrazanii* in *T.* XXVII. fol. 55.

1713.

Londini. f. in *Macttarii poetis lat. prof. et eccl. Vol.* II. p. 1579. 80. Damaſi SS. aliquot elogia.

1721.

1721.

Pariſiis. f. S. Damaſi Papae Epiſtolae et Decreta in *Epiſtolis Rom. Pontif.* cur. *Petro Couſtant.* p. 471-622.

XVIII. recenſet tum Damaſi, tum aliorum ad eius res ſpectantes epiſtolas, quales ſunt: I. *Ep. ſ. Conſtitutio Valentiniani ad Damaſum vt eccleſiaſtici et continentes de viduarum bonis nihil vel teſtamento vel donatione valeant percipere,* a. 370. II. *Baſilii ep. ad Damaſum,* a. 371. VI. *Epiſtola Romani Concilii ad Gratianum et Valentinianum imperatores,* a. 378. VII. *Reſcriptum Gratiani Auguſti ad Aquilinum Vicarium vrbis.* X. XI. *Hieronymi ad Damaſum epiſtolae duae,* circa initium a. 381. ſcript. XII. *Ep. Aquileienſis Concilii ad Gratianum imperatorem,* a. 381. exeunte. XIII. *Ep. Conſtantinopolit. Concilii ad Damaſum et Occidentales Epiſcopos.* XVI. *Hieronymi reſcriptum ad Damaſum de v. Oſanna.* XVIII. *Hieronymi ep. ad Damaſum de quaeſtionibus a Damaſo propoſitis,* a. 384. ſcr. Praeterea epiſtolae tertiae, quae eſt inter ipſius Damaſi prima, ſubdita eſt altera interpretatio antiqua ex Holſtenio. Iam ex his inter ipſius Damaſi literas inſertis patet, quantum Couſtantii ratio a ſuperiorum editorum tractatione recedat. Huic autem reliqua quae addere ſolet, notae, monita ſingulis ep. praefixa ita reſpondent, vt nihil quod vel ad totius vel ſingulorum intelligentiam ex rebus in eccleſia geſtis faceret, ſeu a re critica ſuppeteret ſubſidii, prorſus omiſſum ſit. Vberior denique, quam in aliis acceſſit *notitia reliquorum ſcriptorum ſeu geſtorum quae ad Damaſum attinent,* a p. 591-622.

1754.

Romae Venantii Monaldini ex typogr. Linguar. Oriental. Angeli Rotilii in aedibus Maximorum. f. S. Damaſi Papae opuſcula et Geſta cum notis M. M. Sarrazanii iterum collecta, nunc vero primum aucta et illuſtrata Diatribis duabus altera de Geſtis Liberii Exulis. Altera an Damaſus fauerit aliquando Maximo Cynico aduerſus Gregorium Nazianzenum et Nectarium. Quibus praeter indicem materiarum adiiciuntur etiam opuſcula Apocripha *(ſic)* eiusdem.

Octo genuinas Damaſi epiſtolas numerat, duas ad Paulinum cenſens. Expoſitionis fidei in Synodo Romana fragmentis locum ſecundum dedit, in extremis vero poſuit fragmenta ex Conc. V. Romae ſub Damaſo de explanatione fidei. Carmina habet XXXVII. cum appendice quinque aliorum ex Gruteri Inſcriptionibus. Ad calcem totius voluminis apocrypha ea fere, quae Sarrazanius genuinis epiſtolis interſperſerat, reiecta ſunt. Notas de ſuo addidit haud ineptas adſperſis paucis Holſtenii et Couſtantii. Sarrazanii integras poſt carmina ſubiecit. Maiorem voluminis partem occupant geſta Damaſi ſecundum annos docte quidem, ſed tam parum concinne ſcripta, vt paucos fore ſperemus, qui legendi taedium vincant; id quod de diſſertationibus ſubiectis et in titulo laudatis pariter valet. Iam aetate prouectior erat editor, cum animum a negotiis, quibus diu aſſueuerat, vacuum otii honeſte transigendi cauſa ad Damaſum appelleret, Plinianum illud l. IX. Ep. 17. amplexus: *Demus alienis oblectationibus veniam, vt noſtris impetremus.* Inſcripſit librum Ioſepho Dominico de Lambergh Card. Ep. et Principi Paſſauienſi. Indignaberis vero, ſi menda typographica, quibus non parum volumen dehoneſtatur, ſpectes, ſimulque Lactantium a typis Rotilianis haud clementius habitum eſſe reputes.

1770.

1770.

Venetiis ex typ. Io. Bapt. Albritii. f. in *Bibl. PP.* et *Scr. Eccl.* cur. *Andrea Gallandio T.* VI. p. 321-352. S. Damaſi papae epiſtolae et carmina.

Epiſtolae I. et III. duplex exemplar, Holſtenianum et quod apud Theodoret. extat, proponitur p. 321. 22. 25. et 27. Quatuor praeterea Hieronymi epiſtolae n. VI. VII. XI. et XII. additae ſunt et n. VIII. Synodica Conſtantinop. Concilii ad papam Damaſum et Occident. Epiſcopos p. 333. Carmina ſunt XXXVII. cum appendice Gruteriano. Notae maximam partem ſuperioribus editionibus debentur; pauciores ſed egregias Gallandius ſcripſit. Notitiam de Damaſo dedit Prolegg. c. IV. p. VIII.

Codices, qui peculiari volumine Damaſi ſcripta complectantur, nemo laudat; haud paucos vero ab editoribus conſultos eſſe videbis, qui inter aliorum ſcriptorum vel canonum collectiones ſingula Damaſi monumenta praeferrent, quos recenſere piget.

16.

OPTATVS.

Afer, Mileuis in Numidia Epiſcopus ſub Valentiniano et Valente principibus*) inter a. 372 et 375. ſcripſit. Vixiſſe autem ad Theodoſii imperium et Siricium vſque, qui a. 384. epiſcopi Romani ſedem occupauit, Dupinius veriſimiliter ſtatuit. Nec quicquam praeterea ſeu de vita, ſeu de exitu eius conſtat. §. 1. Vita.

 Scripſit

*) Ita Hieronymus in Vitis.

§. 2. Scripta. Scripſit *de ſchiſmate Donatiſtarum contra Parmenianum libros* VI. quorum aetatem recte Dupinius aeſtimauit. Ne enim ad Siricii tempora, cuius l. II. §. 3. mentio fit, aetatem eorum protrahere iubeat, ſententia vetat ab eodem probata, auctorem iterum opus ſuum recenſuiſſe eaque tanquam additamenta adieciſſe, quae iam *libri VII.* nomine veniunt.

§. 3. Editiones. Optatum primum e tenebris, quibus diu latuerat, prodire iuſſit *Io. Cochlaeus*, a. 1549., ſed nullo praeter hoc lucis munere donatum, quamuis et indole ſua et habitu, qui tum erat, vix alius ſcriptorum eccleſiaſticorum ope liberali eſſet egentior. Multos quidem patronos ad hanc vſque aetatem non inuenit, ſed duos, qui multorum inſtar, aeternum de eo et omni re eccleſiaſtica promeruerunt, *Franciſcum Balduinum* et *Ludouicum E. Dupinium.* Nam nec *Albaſpinaei* ed. quae poſt mortem eius 1631. prodiit, nec *Merici Caſauboni* Londini eodem anno facta multum profuit. Rigaltiana ſucceſſu caruit. His vero auctoribus duae Optati editionum familiae conſtanter regnarunt. Balduini, a duabus edd. a. 1563. et 69. profecta, ad finem ſaeculi XVII. durauit, Dupiniana ab a. 1700. in compluribus repetitionibus et recens in Gallandiana et Oberthüriana viget. Teſtes per ſingula videamus.

SAEC. XVI. 1549-1600.

1549.

Apud S. Victorem prope Moguntiam, ex officin. Franc. Behem Typographi. f. Optati Mileuitani quondam Epiſcopi libri ſex, de Schiſmate Donatiſtarum contra Parmenianum Donatiſtam, aduerſus quem et S. Auguſtinus poſtea Tres aedidit Libros. Ex Bibl.

Cuſana prope Treuerim cum *D. Conradi Bruni Ic. libris VI. de haereticis in genere* et al. eius opuſculis peculiari ſub titulo (1550.) typis exſcriptis. Titulus, quo Optatus a reliquo opere diſcernitur, is eſt, quem ſupra adſcripſimus.

Editor eſt Io. Cochlaeus, Canonicus Vratislauienſis, Bruni familiaris, cuius epiſtola (ad Arnoldum Abbatem Monaſterii Ordinis Praemonſtratenſis in Tongerlo) de exemplo, ex quo typis exſcriptum dedit Optatum, exponit. Erat nempe illud ex hoſpitali S. Nicolai prope Cuſam per Chriſtophorum Priorem fratrem Cartuſiae Treuirenſis ipſi transmiſſum idque ex antiquo codice quopiam mendoſe ab indocto Librario (quales, addit, fuerunt olim ſerui litterati Monaſteriorum) ſcriptum, et ab alio deinceps multo adhuc mendoſius reſcriptum. Acceperat praeterea, dum aliis libris edendis inſudaret, hac tantummodo conditione, vt intra tres menſes bona fide reſtitueret:*) et mirum adeo nemini eſſe poſſit, quod et otio ipſo et aliis occupationibus praecluſus, et deſtitutus ſubſidio alius exemplaris, parum emaculatum Optatum dederit, quem ex omni parte completum et redintegratum iri cum Bibliothecae inſtructiſſimae Tongerlenſis copiis, tum Abbatis ipſius ingenio ſperat et optat. Completorum ſpecimina in laudata dedicatione Cochlaeus prodidit, quarum maxima pars in literas et ſyllabas male coniunctas aut disiunctas cadit. Praemiſſa ſunt in titulo ipſo Hieronymi, tum tituli pagina auerſa Auguſtini contra Parmenianum teſtimonia et Gerhardi Lorichii Hadramarii Carmina in laudem et commendationem Optati. Poſt Epiſtolam nuncupatoriam ſequitur Compendium Summarum e libris

*) Hoc addit in admonitione ad Lectorem, quae ad calcem libri viſitur.

Optati excerptum et in capitula digeſtum, deinceps breuis Donatiſtarum confutatio ex verbis S. Auguſtini ſuper Pſ. 85. etc., Summaria Collatio Donatiſtarum ad Schiſmaticos huius temporis, denique index rerum memorabilium. Neque vero oblitus eſt Cochlaeus, ſingulis libris argumenta praefigere.

1563.

Pariſiis . . . , 8. Optati M. Libri VII. ad Parmenianum de Schiſmate Donatiſtarum. — Quamquam auctorem noſtrum ſexcentis locis emendatum hac editione dare ſe poſſe profiteatur *Balduinus*, quorum maxima pars MS. exemplari, quod vtendum ipſi dederat *Claudius Eſpencaeus*, Theologus Pariſienſis, debeatur: ſupereſſe tamen non multo pauciores locos, qui magna mendi ſuſpicione laborent, ſed ſanari ſine auxilio veteris libri, vix ac ne vix quidem poſſint recte monuit. Quocirca ſatius duxit praeſentibus frui, quam committere, vt eodem ſqualore, quo antea plane inquinatus fuerat, Optatus recuderetur. Ac ſperauerat aliquantiſper, fore vt accederet alterum emendationis praeſidium ex codice Ioannis Tilii Epiſcopi Briocenſis. Sed quod iam praeſtari non poterat, ab altera forte editione expectare iubet. Praemiſit editor epiſtolam ad Io. Lentallerium Antiſtitem Aquiſcinctienſem, in qua ſuper Optato et hiſce eius libris multa praeclare diſputauit; praeterea praefationem ad Io. Lucanium (Caluinum) valde prolixam et multa ex omni re eccleſiaſtica vna cum acri Caluini impugnatione complectente, quam in editione altera reſecuit. Num vero priori huic editioni Balduinus ſeptimum iam librum addiderit, nullo quidem ſatis certo indicio cognoſcere potui;*) cum primae huius Balduini edi-

*) Quem Dupinius et ex eo Fabricius in Bibl. Med. et Inf. Lat. ed. Manſi T. V. p. 170. minutioribus typis ex-

editionis tanta ſit raritas, vt ne Catalogis quidem Bibliothecarum locupletiſſimarum laudari eam meminerim.

1569.

Pariſiis apud Claudium Fremy via Iacobaea ſub dhui Martini inſigni. 8. Delibatio Africanae Hiſtoriae Eccleſiaſticae, ſiue *Optati Mileuitani libri VII. ad Parmenianum de ſchiſmate Donatiſtarum.* Victoris Vticenſis libri III. de perſecutione Vandalica in Africa, Cum annotationibus ex Fr. Balduini IC. Commentariis rerum Eccleſiaſticarum.

Quem ſexcentis ſaltem locis emendatum priori dederat editione Optatum Balduinus, nunc non multo paucioribus purgatum mendis ex altera hac recenſione prodire affirmat, duobus MS. exemplaribus ſubnixa, quorum alterum Io. Tilio Ep. Meldenſi, alterum Macereo Theol. Pariſienſi deberet, vel ſic tamen multum abeſſe, vt nunc tandem in integrum plane reſtitutus dici poſſit iudicans; immo feci, inquit, vt lacunarum notae indicarent, aliquot locos ſupereſſe etiamnum mutilos. Libri ſeptimi paginas complures deficientes Tilianum exemplar ſupplebat, et quae in iſto deſiderabatur pars poſtrema, eam alia exemplaria ſuppeditabant. Balduini adnotationes ad ſingulos Optati libros ſolas hiſtorias eccleſiaſticas ſpectant, quarum mirifice callidus ille fuit. Vt vero plenior ſimul hic Donatiſtarum hiſtoria hauriretur et Optato abunde ſatisfieret, integram expoſitionem diſputationis de eccleſia in conuentu Carthaginienſi olim

exſcriptum dicit librum ſeptimum, editio altera non ita profert, ſed ſimili literarum ac reliqui libri, genere excuſum. Ad primam igitur, ſi lubet, haec Dupinii verba referas.

olim praeſente Auguſtino annis aliquot poſt mortem Optati cum Donatiſtis habitae, quam annis ſuperioribus ſub titulo *Hiſtoriae Collationis Carthaginenſis* ſeparatim ediderat, denuo recognitam adiecit, detractis iis, quae ad rem minus pertinere videbantur, quaeque in Caluinum et Bezam feruidiore animo pronunciauerat, et conſcriptis ſimili ratione in Victorem prolegomenis. Hinc libello titulum fecit: *delibationis Afr. Hiſt. Eccl.* Neque aliam ob cauſam, quam vt inuidiam vehementioris inuectionis et nimiae in Caluinum acrimoniae effugeret, ſermonem prolixum, quo priori editioni praefatus erat, procul ab hac eſſe iuſſit, ſatis ſuperque eſſe inquiens editam ſuo tempore ſemel fuiſſe, eiusque loci aliam ad lectores oratiunculam ſubſtituit. Nuncupauit librum Caſparo Barchiao IC. et cauſarum criminalium Iudici Mediolanenſi.

* *

Pariſiis, ap. Mich. Somnium, ſub ſcuto Baſilienſi, via Iacobaea. 8. Eadem prorſus cum praecedente; bibliopolarum nominibus tantum differunt.

1599.

Ex Bibliopolio Commelin. 8. Optati — Libri Sex de Schiſmate Donatiſtarum aduerſus Parmenianum, multo quam antehac emendatiores. Acceſſit Collatio Carthaginenſis inter Catholicos et Donatiſtas ſub Honorio Imp.

Balduini eſt recenſio prima, vnde etiam epiſtola ad Aquiſcinct. Antiſt. nuncupatoria iterum exſcripta. Ineſt etiam lib. VII. licet a titulo abſit. Quocirca non vanis augurationibus ſuſpicari nobis videmur primae pariter Balduini editioni hunc librum fuiſſe adiectum. Contra Collationem Carthaginenſem, quam titulus pollicetur, non expectes, ſed Honorii tantum et

et Arcadii Impp. conſtitutionem contra Donatiſtas datam Rauennae Conſtantio et Conſtante Coſſ. *ex Cod. Theod. L. 44. c. Th. de iis, qui ſuper Religionem contendunt* transſcriptam, quod indicatum tamen non eſt.

SAEC. XVII.

1613.

Lugd. Bat. ex off. Ioh. Patii. 8. Optati A. M. in N. E. de Schiſmate Donatiſtarum aduerſus Parmenianum Lib. VII. multo quam antehac emendatiores ac emendationum ac notarum libello illuſtriores. Repetitio ed. a. 1599. ſ. primae Balduini; praefatio quibuſdam locis contractior apparet. Notae textui praemiſſae maximam partem Lectionibus Variis ſecundae Balduini et Caſparis Barthii emendationibus quibuſdam conficiuntur. In quibus id offendit merito vnumquemque, quod, cum lectiones alterius recenſionis Balduini ad vnam omnes laudibus efferantur, tamen prima deterior ſit typis mandata.

1618.

Coloniae Agr. ſumpt. Ant. Hierati. f. Opt. Milev. de ſchiſmate Donatiſtarum contra Parmenianum lib. VII. in Bibl. Magna PP. T. IV. p. 269.

1631.

Pariſiis, apud Claudium Sonnium, via Iacobaea, ſub Scuto Baſileenſi et Circino aureo. f. S. Optati M. Opera cum Obſeruationibus et notis Rev. D. *Gabr. Albaſpinaei* Aur. Ep. Acceſſerunt eiuſdem de veteribus Eccleſiae ritibus Obſeruationum libri duo ac Notae in Concilium Eliberitanum et quoſdam alios antiquos Canones et aliquot Tertulliani libros.

Hanc

Hanc editionem intuens neſcies, cui magis ſuc cenſendum ſit, librariorum impudentiae, an igno rantiae eius, qui eam adornauit, quem *Carolum Pau linum, ex Soc. I.* fuiſſe, ipſius ad Card. de Richelieu epiſtola in limine libri poſita prodere videtur. Dem tis enim Albaſpinaei obſeruationibus, quae iam ante ſeorſim lucem adſpexerant, per ſe ſatis quidem vtilibus ad Optatum tamen quo nomine etiam a Merico Ca ſaubono perſtringuntur, minus facientibus, reliqua omnia ſupra quam dici poteſt, inepte ſunt conſarci nata. Textus quidem eſt ſecundae recenſionis Bal duini, quem proximo loco excipiunt Albaſpinaei in ſingulos Optati libros notae, ſenſum breuiter expli cantes; dehinc Balduini in ſingulos libros adnotatio nes; tum eiuſdem hiſtoria Coll. Carthag. titulo Deli bationis Hiſtoriae Africae, quem Balduinus toti libro Optatum et Victorem complectenti olim praefixerat, inepte huc traducto. Mox futiles illae incerti autho ris dictae emendationes et notae ex ed. Lugd. Bat. quae cum nihil praeter diuerſitatem Secundae Balduini re cenſionis a priori, quam Batauа expreſſit, crepent, hic vbi ipſa ſecunda recenſio deſcripta eſt, ſtupore plane admirabili ſunt inculcatae. Sequitur ex P. Pithoei Bibl. *) appendix, quae *acta* illa et *geſta*, quorum ab Optato fit crebra mentio, quaeque ſuis libris anne ctenda Optatus ipſe curauerat, complectitur; tum *fragmenta ex Hiſtoria Paſſionis SS. Datiui, Satur nini* etc. Hinc veniunt: *Geſta Coll. Carth.* etc. vt a. 1588. Pariſiis a P. Maſſono erant in lucem edita, ad

*) In fine: „*Expliciunt O. E. libri numero ſeptem et Ge ſta Purgationis Caeciliani Ep. et Felicis ordinatori eiuſ dem nec non Epiſtolae Conſtantini Imp. Deo Gr.*“ *Sic habuit antiquiſſimum ſed non integrum exemplar libro rum O. M. ex quo hanc illorum appendicem primum ex ſcripſi. A. C. P. P. CIↃ. IↃLXIIII.*

ad vnguem excuſa, collata tamen et emendata e codice MS. per Pithoeum; iam vero, quod vix credas, Balduini iterum hiſtoria Coll. Carth. primae ed. Claudunt agmen obſeruationes Albaſpinaei. Textum O. antecedunt Albaſpinaei vita et obſeruationes in capita potiora Donatiſtarum hiſtoriae et Optati. Supereſt quod innumeris etiam mendis typographicis hoc opus ſcatere Dupinius notat. Ita iam ſatis dictum eſſe putamus ad iudicium rectius de hac editione informandum, quae ob inſignem haud dubie quem praebet apparatum, nimium fortaſſe aeſtimata fuit.

Londini, typis Ioh. Legat. 8. Optati A. M. E. de Schiſmate Donatiſtarum contra Parmenianum Donat. Libri Septem. In Eoſdem Notae et Emendationes *Merici Caſauboni* Iſ. F. Canon. Cantuarienſ.

Textui Balduini Secundae recenſionis ſeruato, ea quae mutanda exiſtimaret, in notis, breui quidem, ſed egregie, quae deprauata vel obſcura viderentur, dilucidante animaduerſione protulit. Emendationes vtique ſolo ingenio et coniecturarum acumine nixae absque Codicum aſſenſu. Praefatio in notandis edd. Lugduno-Bataua et Pariſienſi, nec non Albaſpinaei obſeruationibus conſumitur.

1644.

Pariſiis, ſumpt. Aeg. Morelli. f. S. Opt. Mileu. de ſchiſm. Donatiſtarum contra Parmenianum l. VII. cum Franc. Bald. V. C. commentariis et recognitionibus; in Bibl. Magna PP. T. IV. col. 325.

1676.

Lutetiae Pariſiorum, vidua Io. Dupuis. fol. S. Optati, Mileuitani Epiſcopi, opera; cum obſeruationibus

tionibus et notis integris *Gabr. Albaſpinaei, Franc Balduini, Gaſp. Barthii, Merici Caſauboni* etc. ex recenſione et cum praefatione *Philippi Priorii.* Accedunt *Facundi*, Hermianenſis Epiſcopi, opuſcula cum annotationibus *Iacobi Sirmondi:* adiectae ſunt *Gabr. Albaſpinaei* obſeruationes eccleſiaſticae, cum aliis eiuſdem operibus. *Cat. de la Bibl. Roi.* T. I p. 371.

1677.

Lugduni, apud Aniſſonios. f. S. Opt. Mil. de ſchiſm. Donatiſt. contra Parm. in Bibl. Max. PP. T. IV. f. 341. cum additione ad lib. III. f. 369.

1679.

Pariſ. Sumpt. Ant. Dezallier, in Vico San. Iacobaeo ad Coronam auream. S. Optati M. E. Opera cum obſeruationibus et notis integris G. Albaſpinaei A. E., Franc. Balduini IC., Gaſp. Barthii, Merici Caſauboni etc. *Philippus Priorius* annotationes et praefationes adiecit. Accedunt *Facundi* Hermianenſis E. pro tribus Capitulis Concilii Calched. Libri XII cum annotationibus Iac. Sirmondi S. I. et eius Facundi Opuſcula. Huic quoque editioni adiectae ſunt Gab. Albaſpinaei Obſeruationes Eccleſiaſticae, cum aliis eiuſdem operibus.

Titulus ſatis, quae huius editionis dotes ſunt, expoſuit; paucis ergo defungi licebit. Textus eſt primae recenſionis Balduini, ſeu potius expreſſa eſt editio Lugduno-Bataua, ita tamen, vt notae ſingulorum cum aliquo lectoris commodo textui ſtatim ſubiunctae ſint, primum ſeparatim Priorii, tum reliquorum. Hiſtoria Coll. Carth. Balduini ad exemplar primum a. 1566. ſeorſim editum et Io. Tilio Ep. Meldenſi inſcriptum, propoſita eſt. Obſeruationes Albaſpinaei eccle-

eccleſiaſticae poſt Facundum ſunt reiectae. Caeterum haec editio vt Pariſienſis ſuperior et Lugduno-Batauа vnice librariis quaeſtui ſuo proſpicientibus debetur et Phil. Priorius operis forma iam deſcripta de collatione aliqua demum interpellatus eſt. Quid? quod nec alia de cauſa Facundum adiecerunt quam *vt hac forma editus Optatus iuſtae magnitudinis opus videretur.* Sunt Priorii ipſius in admonitione ad L. verba. Bene in hanc rem Mericus Caſaubonus in praef. ed. Lond.: Eo iam res rediit, inquit, vt libri non vſu aeſtimentur, ſed mole et pondere; eo meliores vtique, quo maiores. Habitus externus huius ed. admodum elegans eſt et nitidus. Caeterum nec Priorius nouae editioni a typothetarum mendis cauiſſe dicitur.

1700.

Lutetiae Pariſiorum, apud Andr. Pralard. f. S. Optati Afri, Mileuitani Epiſcopi libri VII. de ſchiſmate Donatiſtarum ad MSS. codices et veteres editiones collati, et innumeris in locis emendati; quibus acceſſere hiſtoria Donatiſtarum, vna cum monumentis veteribus ad eam ſpectantibus; nec non geographia epiſcopalis Africae: opera et ſtudio Lvdovici Ellies du Pin. Cat. de la Bibl. Roi. T. I. p. 371. Praeſtantiſſima haec editio ipſa ad manum non eſt, ſed vide ſequentem Antverpienſem.

Saec. XVIII.

1701.

Amſtelod. f. Dupiniana recuſa.

1702.

Antverpiae, ap. G. Gallet Praef. Typographiae Huguetanorum. S. Opt. A. M. E. de ſchiſmate Donatiſta-

natiſtarum Libri ſeptem: ad MSS. codices et veteres editiones collati et innumeris in locis emendati. Quibus acceſſere Hiſtoria Donatiſtarum vna cum monumentis veteribus ad eam ſpectantibus: nec non Geographia epiſcopalis Africae opera et ſtudio *M.* Lvd. Ell. Dvpin — (Sacrae Fac. Pariſ. nec non Phil. Prof. Reg.) cum eiuſdem notis, vt et Gall. Albaſpinaei, Mer. Caſauboni, Caſp. Barthii et aliorum, *ſingulis paginis in hac editione ſubiectis.*

Praeſtat haec iterata Dupiniana Pariſienſem eo ſaltem, quod notas Albaſpinaei, Mer. Caſauboni, Caſp. Barthii et ſelectas incerti illius ſcriptoris, quas illa cum reliquis vberioribus Balduini et Albaſpinaei obſeruationibus ad calcem reiecerat, ſingulis ſtatim paginis poſt Dupinii ipſius animaduerſiones exhibet. Quinque codices Dupinio in ſanando textu praeſto erant, *quorum ope vix dici poteſt,* inquit, quot loca reſtituerimus; corrupta emendauimus, laxata ſuis reſtituimus locis, omiſſa ſuppleuimus, aſcititia reſecauimus; vno verbo, textus Optati natiuo ſplendori reſtitutus integer et emendatus prodit. Variantes lectiones commode ſeparatim a notis in fine vniuscuiusque paginae adſcriptae ſunt, bono etiam conſilio textus in articulos et paragraphos diſtinctus eſt, breuibus argumentis ad marginem appoſitis. Notas de ſuo addidit editor paucas et breues, tum vero ſuperiorum editorum, tam eas, quae ad textum illuſtrandum proxime ſpectarent, quam ampliores iſtos ad vniuerſam rem eccleſiaſticam pertinentes Balduini et Albaſpinaei commentarios, repurgatos ab innumeris mendis typographicis, quae in Albaſpinaei et Priorii irrepſerant libros. Priorii notae, quod inutiles omnes viderentur, omiſſae ſunt. Variorum notas excipiunt monumenta vetera ad Hiſt. Donatiſtarum pertinentia, tum ab Optato ipſo tum ab editionibus ſuperioribus adiecta et hac noua

editione

editione aucta et commentariis variorum Dd. qui vel ſeorſim illa, vel in aliis operibus illuſtrauerant, exornata. Nec omiſſa eſt Balduini hiſtoria Coll. Carth. Porro Dupinius animaduerſiones circa ſedes Africanorum Epiſcoporum, qui collationi Carth. interfuerant, ex Baluzio, Ruinarto imprimis collectas addidit. Denique Geographiam ſacram i. e. notitiam prouinciarum et Epiſcopatuum Africae contexuit et tabula Geographica ornauit. Vniuerſo operi poſt praefationem Donatiani ſchiſmatis hiſtoriam praepoſuit ordine chronologico accuratiſſime conſcriptam. Indices poſtremo locupletes opus finiunt.

1769.

Venetiis, ex typograph. Io. Bapt. Albritii f. in Bibl. Vet. PP. ſt. *Andreae Gallandii* T. V. a p. 461 vſque ad 675. S. Optati Epiſcopi Mileuitani de ſchiſmate Donatiſtarum libri VII. ad MSS. Codices et veteres editiones collati et innumeris in locis emendati: opera et ſtudio *M. Lud. Ell. Dupin.* Acceſſere Monumenta vetera ad Donatiſtarum Hiſtoriam pertinentia; quorum complura ab eodem Optato memorantur.

Ex notis Dupinianis eas potiſſimum, quae ad textus varietatem adſtruendam conducerent, G. ſelegit, iiſque paſſim nonnullas intexuit ad idem inſtitutum comparatas. Praefatus eſt de Optato in Prolegg. cap. XVIII. p. XXIX ſq.

1790 - 91.

Wirceburgi, in off. libr. Stahelianâ. 8. II Tomi. S. Optati Afri Mileuitani Epiſcopi de ſchiſmate Donatiſtarum libri VII. aliaque huc pertinentia vetera Monumenta. Recudi curauit *Dr. Franciſcus Oberthür.*

Primum huius editionis tomum fruſtra in librariis oppidanis quaeſiuimus; alterum tantummodo inſpicere licuit, vnde intelleximus in priori textum Optati, et quae ad eum ſpectarent monumenta; comprehendi; hic *Varias Lectiones et Adnotationes contextum O. illuſtrantes*, nec non *Adnotationes ad quaedam alia vetera, cauſam Donatiſtarum concernentia*, ex iis copiis, quas Dupiniana exhibet ſelectas. Praemiſit duas epiſtolas hodoeporicas primo vol. ad *Henckenium* Prof. Helmſt. ſecundo ad *Boenickium* Prof. Wirceb. admodum prolixas, in quibus, dum a viro candoris eximii et ſenſus tenerrimi per varias Germaniae noſtrae regiones lubens duci te patiaris, facile obliuiſceris, quo loco obtingant. Pertinet autem ad nouiſſimam hanc Optati editionem Celeb. auctoris liber tribus Voll. his ipſis annis editus: *Idea biblica Eccleſiae Dei.*

* *

Verſiones. Vnica tantum extat Francogallica *Vielii* ad primam Balduini ed. facta et a. 1564. *Pariſ. per Federic. Morel.* octonis exſcripta hoc titulo: L'hiſtoire du ſchiſme, blaſphemes, erreurs, ſacrileges, homicides, inceſtes, et autrez impietez des Donatians, écrite en Latin par *Optat, Evêque Milevitain*, miſe en langue françoiſe et repurgée de pluſieurs fautes, augmentée auſſi par le Supplement de quelques imperfections et explication de lieuz difficiles, par PIERRE VIEL. Repetita eſt *ibidem* apud *Rob. Fouet.* 8.

* *

Codices. 1. *Codex Bibliothecae Cuſanae prope Treuirim*, quo Cochlaeus vſus eſt. Mendis omnis generis obſitus.

2. 3. 4.

2. 3. 4. tres *Balduini* quorum vnum in prima ed. adhibitum ab *Eſpencaeo* Theol. Pariſ. acceperat; alterum *Io. Tilio* Ep. Meldenſi, Luciferi editori, tertium *Maceraeo*, Theol. Pariſ. debebat.

5. *Codex S. Theodorici apud Rhemos* ſeptingentorum circiter annorum a Dupinio aeſtimatur.

6. *Codex S. Germani a Pratis* non quidem eiuſdem antiquitatis ſed optimae notae et reliquis emendatior. Eſt ſecundus Dupinii.

7. *Codex S. Pauli Cormaricenſis prope Turones*, qui tunc, cum Dupinius eum conſuleret, in Bibl. Colbertina extabat n. 1951. Sexcentorum annorum fuit et optimae notae, ſed priores quinque libri cum initio ſexti interciderant. Continebat autem monumenta ad veterum Donatiſtarum hiſtoriam pertinentia, quae in nullo alio manuſcripto codice adhuc tunc inventa erant. Quartus apud Dupinium eſt.

[8.] *Codex Phil. Siluii* S. Facult. Pariſ. tunc D. Tertius Dupinii, ſed idem, quo iam Balduinus vſus erat, dum penes Maceraeum eſſet; recentiori manu exaratus et valde mendoſus.

Vides ex his octo vel ſeptem potius codicibus eos, quos Dupinius in vſum vocauit, caeteris fuiſſe praeſtantiores. Idem vero obſeruat, codicem Siluii videri e codice S. Theodorici excerptum et Codicem Sangermanenſem ex Cormaricenſi. Caeterum cum quinque MSS. nominet, non plures tamen quam quatuor recenſet.

17.

P A C I A N V S.

Barcilonae in Hiſpania epiſcopus, tam vita quam ſermone clarus, vt Hieronymus inquit; floruit maxime circa a. 370. vitaque admodum ſenex exceſſit ſub §. 1. Vita.

ſub Theodoſio principe, ante annum 392. vt idem Hieronymus prodidit. Erat ei filius Flauius Dexter ſummis honoribus geſtis et nouiſſime praefectura praetorii inſignis, ad quem Hieronymus librum de Viris illuſtribus, ſuaſu illius elaboratum, dedit.

§. 2. Scripta. Reſtant hodie de ſcriptis eius I. opus *contra Nouatianos* ſ. tres epiſtolae ad Sympronianum Nouatianum 1) *de catholico nomine;* 2) *de Semproniani literis;* 3) *contra tractatus Nouatianorum,* quas poſt a. 377. ſcriptas Tillemontius arguit. II. *Paraeneſis* ſeu *libellus exhortationis ad poenitentiam.* III. *Sermo de baptiſmo.* *Interiit* libellus *Ceruus* inſcriptus.

§. 3. Editiones. Haec Paciani opuſcula edidit primum *Io. Tilius* Epiſcopus Meldenſis, idem qui princeps etiam Luciferum in lucem emiſit, eiusque editio, poſtquam varie in Bibl. PP. repetita fuit, nuper a *Gallandio* retractata eſt, adeo vt praeter *Latini Latinii, Caſparis Barthii* et *Cardinalis de Aguirre* ſymbolas nihil ex doctorum Virorum lucubrationibus in libellos iſtos collatum ſit, vt ſequens indiculus declarabit.

1538.

Pariſiis, ap. Carolum Guillard. 8. D. Paciani, Barcilonae Epiſcopi, paraeneſis ad poenitentiam, altera eiusdem de baptiſmo, et epiſtolae duae. acceſſit tractatus eiusdem contra Nouatianos: omnia nunc primum edita ſtudio *Ioannis Tilii.*

Cum haec nobis deſit, indicare nequeo, ex quibus libris Tilius hauſerit. Sed fortaſſe de his ne monuit quidem, vt apud Luciferum experti ſumus. Ioanni Gagneio nuncupatam eſſe Ittigius commemorat.

1564.

1564.

Romae, ap. Paulum Manutium Aldi F. in aedib. Populi Rom. f. Paciani Barcilonenſis de poenitentia et confeſſione, cum *Saluiano* et *aliis* a p. 183-211.

Quamquam in titulo vnus tantum *de poenitentia* libellus laudatus ſit, reliqua tamen omnia continet hoc volumen curante *Petro Galeſinio* editum; quod recte olim coniectura tetigit *Nicol. Antonius.* *) Sed cum caeteris fere omnibus notae aliquae ſint adſperſae, Pacianus tamen expers manſit et nudus exhibetur.

1575.

Pariſ. ap. Mich. Sonnium. f. Paciani opera in *Bibl. PP. Bigneana.* T. I.

1589.

Pariſiis. f. Paciani Barcil. Ep. epiſtolae III. eiusd. paraeneſis ad poenitentiam, item ſermo ad fideles et Catechumenos de baptiſmo, in *Bibl. PP.* ed. ſecundae T. III. p. 427. 457 et 58.

1610.

Pariſ. f. Eadem in *Auctuario Bibl. PP.* ed. tertiae p. 93. 113. 119. Nec in *quarta* eius editione deeſſe putamus, quae a. 1624. prodiit.

1628.

Colon. Agripp. f. Eadem in *Bibl. PP.* T. IV. p. 235. 244. et 46.

1644 et 1654.

Pariſ. f. Eadem in *Bibl. PP.* ed. quartae T. III. col. 49. 69. 75.

*) In Bibl. Hiſp. l. 2. c. 7. praef. p. LXX.

1655.

Cygneae, typ. et ſumt. Melch. Goepneri. 8. Paciani Ep. Barc. Paraeneticus ad Poenitentiam, cum *Claudiani Mamerti* libris III. de ſtatu animae, quibus etiam Gregorii Thaumaturgi libellus de anima et Hermae Paſtor acceſſerunt ſtudio *Caſp. Barthii* a p. 933-952. Merus textus hic proſtat, ſed ad emendationem et illuſtrationem libelli lector ad Aduerſaria Barthii ablegatur. *)

1677.

Lugduni, ap. Aniſſonios. f. Paciani opera in *Bibl. Max. PP.* T. IV. col. 305. 315. 317. —

1694.

Romae, typ. Io. Iac. Komark Bohemi. f. S. Paciani, Ep. Barcilon. Epiſtolae tres ad Sympron. Novat. Collatae modo cum MS. pulcherrimo Sereniſſ. Suecorum Reginae, octingentorum circiter annorum antiquitatis, exſtante nunc in Bibl. Vaticana, addita ad marginem varietate lectionum. Accedit eiusdem libellus exhortationis ad poenitentiam; in *Ioſ. Saënz de Aguirre Card. T.* II. p. 79-112.

Inſerenda haec Cardinali viſa ſunt, vt Defenſio Patrum Concilii Eliberitani, quae proxime procedit, maius robur acciperet, vberiusque conſtaret Nouatianorum errorem ab iis, immo a tota Hiſpania quarto ſaeculo abfuiſſe. Addere ſtatim decreuerat *libellum de baptiſmo*, ſed omiſit, quod et alias cum exſtare videret, nec propter anguſtiam temporis conferri ille poſſet cum MS. Reginae Sueciae, denique nec ad reſutandam

*) Horum loca, vt ibi notata ſunt, huc ponamus: Lib. XLIII. c. XV. XLIV. c. XXX. XLV. c. VIII. CLXIV. c. I.

tandam haereſin Nouatianorum ſpectaret. Sunt autem non ſolum Variantes LL. non infrequentes margini adſcriptae, ſed ſingulis etiam epiſtolis breues, poſt omnia vero ampliores, notae Cardinalis adiunctae.

1770.

Venetiis, ex typogr. Io. Bapt. Albritii. f. S. Paciani, Barcil. ep. Epiſtolae tres ad Sympronianum Nov. Acceſſere eiusdem S. Patris Paraeneſis ad poenitentiam et Sermo de Baptiſmo, curante *Andrea Gallandio* in *Bibl. Vet. PP. et SS. Eccl. T.* VII. p. 257-276.

Tilianam ed. pro fundamento huius recenſionis eſſe iam diximus. Caeterum in capita ſeu ſectiones diſtinxit, quae antea minus commode continuo ductu ferebantur deſcripta. In illud vero ſe maxime animum intendiſſe ſcribit, vt textus in praecedentibus editis, pluribus in locis deprauatus ad priſtinam integritatem reſtitueretur, quam in rem aliquae obſeruationes ad veram lectionem Latinii plerumque confirmandam ſubinde ſunt adſperſae.

18.

A M B R O S I V S.

Mediolani Epiſcopus, origine Romanus, nobili et ſplendida familia. Natus exiſtimari ſolet inter annum 335 et 340. Pater fuit Ambroſius Galliarum tunc temporis praetorio praefectus, quem vi huius muneris alii Arelate, Galliae Vrbonenſis Metropoli, alii Lugduni, alii rurſus Auguſtae Treuirorum commoratum eſſe dicunt, ac pro diuerſa ſententia ſua, diverſum natale ſolum Ambroſio adſignant. Cum pater mature deceſſiſſet, mater cum ſorore Romam ſe §. 1. Vita.

 con-

contulit, vbi pueritiae atque adoleſcentiae anni literarum ſtudiis dicati fuerunt. Quibus cum egregie profeciſſe putaretur, cauſis in auditorio Praefecturae Praetori dicendis admotus eſt, quas tanta eloquentia tantoque ſucceſſu egit, vt Probus Praetorio Praefectus eum Conſiliarium adſciſceret, mox etiam inſignia Conſularia ei deferret, commiſſis ipſius regimini Liguria et Aemilia Prouinciis, quarum cauſa Mediolani conſedit. Atque hic accidit ei imprudenti, vt, dum poſt mortem Epiſcopi Auxentii a. 374. Arianorum et Catholicorum de eligendo nouo Praeſule partes acriter contendentes alloquio ſuo atque auctoritate ſedaturus in eccleſiam prodiret, plebs oris eius ac formae totius habitu auguſto ſimul et facundia captus Ambroſium Epiſcopum creandum tumultuatim exclamaret, atque ipſum re improuiſa perculſum, fugientem et multifariam reluctantem tamdiu prece ſua vrgeret, donec vinci ſe et efflagitari pateretur. Quo facto ſacro baptiſmate tinctus (erat enim adhuc Catechumenus) vt muneris initia rite capeſſeret atque totum ſe rei ſacrae vindicaret, bona ſua diuendidit et in pauperum vſum erogauit, et [Simpliciano Presbytero Romano duce] ſtudiis Theologicis vacauit. Mature autem ingenio indulſit et cum ab initio ſtatim muneris ſanctitas et excellentia animum penetraſſet, adeo deinceps intimis eius ſenſibus ſeſe inſinuauit, vt nihil non muneris et religionis ſuae eſſet, ſiue memoriae et fidei mandandum ſiue ad ritus eccleſiaſticos et alias functiones pertinens, ſanctum, a communibus notionibus remotum et μυστηριώδες putaret. Quapropter cum citius quam meditando aſſequi poterat, ſcribendas ſumſiſſet res V. T. traditas, in allegorias et myſtica acumina incidit. Sed eadem de cauſa acer erat et in ea, quae formulam catholicae eccleſiae ſpectabant, intentus, grauis porro in officio adminiſtrando

ſtrando et magnificus, ſed nec a faſtu liber et religionis cauſa arrogantior, quam per debitam imperatoribus reuerentiam licuiſſet, apud quos plus gratia poterat et auctoritate efficiebat, quam vllus Latinorum Epiſcoporum ante et poſt eum. Nam erat aulae gnarus et ingenio facili ad excitanda principum ſtudia et eloquentia tantum pollens, vt grauiſſimas pro imperatoribus legationes ſolus ſuſtineret. Hoc igitur animo atque his artibus, quae ab eo inſigniter facta ac geſta ſint breuiter, temporis ſeriem ſequentes enarrabimus. A primis muneris initiis operam dedit, vt Arianorum res, quamuis in eius electionem lubenti animo conſenſiſſent, labefactaret, quo Concilium iuſſu Valentiniani a. 375. in Illyrico coactum pertinet, in quo fides Nicaena denuo confirmata eſt, cumque Valentinianus hoc ipſo anno e viuis exceſſiſſet, non minus apud filios eius, Gratianum imprimis, qui ab a. 378. omni Occidentis imperio praeeſſe coepit, vt illorum viribus detraheretur, contendit. In eorum quoque perniciem cum Orientis Catholicis conſpiratum eſt Baſilio M. conciliatore. Pari ſtudio a primis ſtatim epiſcopatus annis coelibatum laudauit et adiuuit. Anno 378. cum Gratianus Valenti auunculo contra Gothos auxilium laturus, fide catholica inſtitui cupiiſſet, opus *de fide* inchoauit Ambroſius, quod anno poſt, cum Gratianus rediiſſet, perfecit. Annis 380 et 381. cum Arianis iterum conflictatum eſt. Fauebat horum partibus impenſe Iuſtina imperatrix, Quae cum a. 380. Arianum Sirmii in Illyrico Epiſcopum fieri vellet, Ambroſius a Catholicis Illyrici Epiſcopis inuitatus et ardore ſuo impulſus eo venit atque Catholicae factionis Epiſcopum, Anemium nomine, eligi curauit, plebe licet aduerſante et vehementer fremente. Eodem anno ac inſequenti in Oriente iuxta quam Occidente a Gratiano oppreſſi ſunt. Imprimis

primis Ambroſius in Concilio a Theodoſio a. 387. habito duos Illyrici epiſcopos Arianos Arianiſmi, quem celabant, conuicit et damnari fecit. Anno 383. Gratianus cum vix annum XXIV. attigiſſet, in expeditione contra Maximum imperii vſurpatorem perfidia militum ſuorum periit, magno Ambroſii dolore. Poſt mortem eius imperium ceſſit Valentiniano II. vix tum annorum XII. puero. Quamobrem cum magna trepidatio res omnes inhiberet, Iuſtina Ambroſio perſuaſit, vt legationem ad Maximum ſubiret eumque exoraret, ne vlterius pergeret; quod haud ſegniter praeſtitit, quamquam pacem aegre impetraret. A. 384. interdixit Ambroſius, ne ſuper ſepulcris Martyrum commeſſandi porro venia eſſet. Circa idem tempus Auguſtinus Mediolanum venit et Ambroſius contra Symmachum obtinuit apud imperatorem, ne Ara Victoria reſtitueretur. Quid quod adeo Iuſtinae imperatrici obſiſtere auſus, eccleſiam quam extra Mediolani moenia poſceret a. 381. ipſi pertinaciter denegauit. Anno 387. Maximus denuo Italiam inuadere minatur, iterumque Ambroſius legationem obire iubetur Treuiros, ſed aſperiorem ſe gerens nihil profecit. Iam vero alterum, qui poſt Ambroſium mittebatur, legatum Maximus decepit, amicum Valentiniani ſe ſimulans, cui copias contra Barbarorum incurſiones cum ipſo miſſurus eſſet. Quas celeriter ſecutus Alpes ſuperauit et Aquileiam, in qua Imperator cum matre degebat, ex improuiſo paene oppreſſit. Sed iam Theodoſio ſuccurrente victus et ſupplicio affectus eſt 388. Quo facto Theodoſius aliquantiſper Mediolani ſubſtitit ibique Ambroſii precibus conceſſit, vt Chriſtiana plebs, quae Iudaeorum ſynagogam et lucum in Meſopotamia incendio perVaſtauerat, impune hoc facinus ferret. Hoc et aliis Theodoſii facilitatis exemplis accidit haud dubie, vt

tantos

tantos ſibi aduerſus eundem ſpiritus ſumeret. Omnibus nota eius Excommunicatio ob caedem in Theſſalonicenſes ſine cauſa rebelles nimis praecipitanter commiſſam. Anno 392. etiam Valentinianus II. cui aeque ac Gratiano olim, Ambroſius carus ac dilectus fuit, vicennis ab Arbogaſte in Gallia occiditur, dum Ambroſius ipſe ab eo arceſſitus in iter ſe contuliſſet. Quo paene dolore oppreſſus eſt. Neque cum Eugenio, quem Arbogaſtes imperatoria dignitate veſtiuit, rem habere voluit, ſed tamdiu Mediolano exceſſit per literas tantum eum admonens, ne quid contra eccleſiam auderet. Tandem hic quoque a Theodoſio a. 394. prope Aquileiam caeſus eſt. De qua victoria Ambroſius Theodoſio gratulatus, vt ſontibus ignoſceret, flagitauit et obtinuit. Moritur ineunte a. 395. Theodoſius eumque luxit oratione ſolemni Ambroſius, neque diu ſub Honorio ei ſuperſtes fuit, mortuus d. 4. April. 397.

Ambroſii *ſcripta* ex ordine, quem *Benedictini* inſtituerunt, enumerabimus: §. 2. Scripta.

Hexaëmeron l. VI. ſcr. circa a. 375.
De Paradiſo liber, c. idem tempus.
De Cain et Abel libri II, eodem a.
De Abraham libri II, ⎫
De Iſaac et Anima liber, ⎪
De bono mortis, ⎪
De fuga ſaeculi, ⎬ c. a. 387.
De Iacob et Vita beata libri II, ⎪
De Ioſeph Patriarcha, ⎭
De benedictionibus Patriarcharum,
De Elia et Ieiunio, ſcr. c. a. 390.
De Nabuthe Iezraelita, c. a. 395.
De Tobia liber, c. a. 377.
De interpellatione Iob et David l. IV. c. a. 383.

Apolo-

Apologia Prophetae Dauid ad Theodoſ. Aug. c. a. 384.

Apologia altera Prophetae Dauid. Dubitant Benedictini an genuina ſit.

Enarrationes in (XII) *Pſalmos:* I. XXXV-XL. XLIII. XLV. XLVII. XLVIII. LXI.
Expoſitio in Pſ. CXVIII. viginti duobus ſermonibus conſtans,
Expoſitio Euangelii ſecundum Lucam libri X.
} Diuerſis temporibus ſcriptae.

De officiis miniſtrorum libri III. ſcr. c. a. 391.

De Virginibus ad Marcellinam ſororem l. III. c. a. 377.

De Viduis liber.

De Virginitate, c. a. 378.

De Inſtitutione Virginis ad Euſebium liber, c. a. 392.

Exhortatio Virginitatis, ſcr. c. a. 393.

De lapſu virginis conſecratae,
De myſteriis liber, c. a. 387.
De ſacramentis libri VI.
} Horum fides admodum eſt ſuſpecta.

De poenitentia libri II.

De Fide libri V. ad *Gratianum Aug.* ſcr. ab a. inde 377.

De Spiritu Sancto libri III. ad eundem c. a. 381.

De Incarnationis dominicae ſacramento ſermo c. a. 382. habitus.

Epiſtolae XCI. in duas claſſes diſtributae, quorum prior eas continet, quae certis annis aſſignari poterant, numero LXIII. poſterior reliquas incerti temporis complectitur.

De exceſſu fratris ſui Satyri libri II. *ſermones* duo a. 379. habiti.

Conſo-

Conſolatio de obitu Valentiniani iunioris a. 392. habita.

Oratio de Obitu Theodoſii Imp. habita a. 395.

Hymni duodecim, quos pro genuinis acceperunt Benedd.

His inſuper annumeres *Commentarium in Cantica Canticorum e ſcriptis S. Ambroſii a Guillelmo quondam Abbate S. Theodorici poſtea monacho Signiacenſi collectum* ad calcem Tomi primi ed. Benedd. vulgatum. Neque vero minori iure hiſce genuinis Ambroſii foetibus accenſendi erunt, quanquam a Benedictinis omiſſi ſunt et peculiariter ei abiudicati, poſt Mazocchii et Gallandii nuperas vindicias *libri V. Hiſtoriae Egeſippi (Ioſephi) de Bello Iudaico et excidio Hieroſolymitano. Suppoſitorum* ſcriptorum ingens numerus eſt, ex quibus Benedictini ad calcem Tomi ſecundi reiecta ſunt: *De XLII. Manſionibus Filiorum Iſrael. Commentaria in Epiſtolas XIII. B. Pauli. De Trinitate* ſ. *in Symbolum Apoſtolicum. De Fide orthodoxa contra Arianos* ſ. *de Filii Diuinitate et Conſubſtantialitate. De Dignitate Sacerdotali. Ad Virginem deuotam. Sermones LXIII.* in dies dominicas. *Epiſtolae quinque* ex reliquorum catalogo exemtae, quarum duo priores *ad ſacram Virginem Demetriadem* et *ad Virgines ſacras* in omnibus edd. vulgatae fuerant: tres vero poſteriores *De inuentione Sanctorum Geruaſii et Protaſii, De inuentione SS. Vitalis et Agricolae* atque epiſtola *ad Florianum* a Romanis editoribus primum in lucem emiſſae ſunt. Sed primam, quae ab aliis Leoni M., ab aliis Proſpero vindicata eſt, in diuerſorum PP. Opera recepta plane omiſerunt Benedictini. — *Precationes duae ante Miſſam. Berengaudi expoſitio in Apocalypſin. De Poenitentia. De Spiritu Sancto. Concordia Euangeliſtarum Matthaei et Lucae. De digni-*

dignitate conditionis humanae. Exorciſmus. — Omnino excluſa ſunt a Benedictinis in editione ſua: *Fragmentum de fide Reſurrectionis* a Gillotio primum editum, ſed quod ex Hieronymi epiſtola ad Pammachium conflatum conſtaret, a Romanis iam omiſſum. *Meditationes* ab eodem editae ex archiuis Cartuſiae Pariſienſis inter Auguſtiniana etiam reperiundae et a Romanis pariter remotae; *Epiſtolae duae de Monacho energumeno* ex Cod. vno Germanenſi, in quo tres Officiorum libros proxime ſequebantur, a Gillotio prolatae, quarum vnam tantum Romani repudiauerant; porro, quibus Romani locum non negaverant, *Libri de vocatione gentium*, Liber *de vitiorum virtutumque conflictu; Expoſitio fidei Symboli Nicaeni contra Arrium et Photinum; Exhortatio ad poenitentiam agendam; De moribus Brachmanorum; Sermo de purificatione S. Mariae; Acta S. Sebaſtiani.* Quibus addi poteſt *Miſſa Ambroſiana*, in quam tamen plurima a compilatore, quisquis ille fuerit, ex ipſius Ambroſii ſcriptis translata videntur. Denique *Sermones duo de natali Domini* Ambroſii nomine a Daumio prolati. Inter *Deperdita* referuntur *Commentarii in Eſaiam. De ſacramento Regenerationis ſiue Philoſophia ſeu de Philoſophia aduerſus Platonem* libri ab Auguſtino laudati. *Homiliae in librum ſapientiae. Sermo de iudicio Salomonis. Expoſitio in omnes D. Pauli epiſtolas. Catechiſmus epiſtolaris ad Fritigildem Marcomannorum Reginam. De puerilis aetatis inſtitutione ad Panſophiam.*

§. 3. Editiones. Si quis certis finibus temporumque diſcrimine diſtinguere amet, quicquid ad ſingulos auctores veteres illuſtrandos et corrigendos doctorum virorum diuerſis ſtudiis collatum fuerit, haud inepte quatuor aetates editionum

tionum Ambroſii deſcribere poſſit. Prima harum concluditur annis 1472-1492. qua ſinguli eius libri vel collectiones paucorum in Germania atque Italia editi ſunt. Imprimis *Mediolanenſes* hac ex parte officioſi erga Antiſtitem olim ſuum fuere, ex qua vna vrbe praeter alias *Maſelli Veniae, Georgii Cribelli* et *Nicolai Antiquarii* editiones emiſſae ſunt, pauca tantummodo et inter ea, complura, quae non Ambroſii eſſent, complexae.

Iuſtam operum collectionem tribus voluminibus *Baſileae* 1492. prodire iuſſit *Io. de Amerbach*, raro ſane his temporibus exemplo; quippe quae cuncta fere genuina Ambroſii ſcripta, paucis, quae poſtea ei abiudicata ſunt, interiectis continebat. Hinc ergo alteram ordiri aetatem poſſis a. 1527. finiendam, per quod tempus Amerbachiana in eadem vrbe per *Io. Petr. de Langendorf*, duabus vicibus a. 1506. et 1516. totidem voluminibus, ſed *repertorio* adiecto inſtructior recuſa eſt. Interea, qui tot aliorum ſcriptorum eccleſiaſticorum labes ac ſqualorem feliciter deterſit, *Eraſmus* manum Ambroſio admouerat exiitque noua eius recenſio e prelo Frobeniano a. 1527., nouum editionum genus exorſa, quod ad a. 1567. plurimis Vv. Dd. operam in eam ferentibus perfectum eſt. Magnum enim huic Eraſmianae editioni iſto tempore ſtatutum fuit pretium, optimo iure. Quis enim praecedentium vnam, ſeu textus veritatem ſeu partitionis ac deſcriptionis ſpeciem luculentam ſpectet, cum hac comparandam putet? At Benedictini, vt Amerbachium in vitioſos codices incidiſſe dolent, ſic Eraſmum arguunt, quod doctrinae et famae ſuae fiducia audacior plus ingenio ſuo et propriis coniecturis quam MStorum auctoritati detulerit. Recte ſane. Sed eadem cantilena ab omnibus h. Ord. fratribus, qui PP. Latinorum editiones curauerunt, quibus Eraſ-

mus quoque inſudauit, ſigillatim inculcata eſt, quaſi non plus ille ingenio ſuo in iſtis ſcriptoribus profecerit quam centum male feriati, quibus nihil praeter aliquot PP. paginas lectum codicibus ſuis. Qui de codicibus iudicare iisque recte vti ſcirent, hac aetate perpauci erant. Necdum niſi grauiſſima menda exemta eſſe referebat, cum ad minutiores maculas detegendas ingenia iſtorum hominum nondum doctrina liberaliori atque vſu maturuerant. Tantum autem literarum ambitum vnius Eraſmi ingenium capiebat, vt ad hoſce ſcriptores perpurgandos facile multis codicibus careret. Tametſi equidem nec eis repugnabo, qui Ambroſii editionem reliquis Eraſmianis inferiorem cenſeant. Sed hoc de Benedictina etiam valet ac huius rei cauſae non magis in Eraſmo quam ipſo Ambroſio quaerendae ſunt, qui adeo plerumque rebus exilis eſt quam inanis verbis; quamquam non idem ſenſiſſe Eraſmus videri vult, et ſiue quod ſaeculi ingenio concederet, ſiue ne in re tenui laboraſſe videretur, immenſis laudibus Ambroſium eiusque imprimis dicendi genus extollit. Caeterum haec Eraſmiana editio fundus veluti factus eſt, quem alii deinceps aſſidue colerent. Sic caſtigatiorem eam repraeſentarunt *Sigiſm. Gelenius*, Baſil. 1533. typographus Pariſienſis *Geruaſ. Chevallonius* 1539. et *Ludouicus Miraeus Pariſ.* ap. vid. *Guillard* 1549. et 51. quorum diligentiam longe ſuperauit *Io. Coſterius* Canonicus Louanienſis in ed. *Baſ. ap. Epiſcop.* 1555. qua plus quam duo millia errorum a ſe ſublata eſſe affirmat. Hunc ipſum vero et ſubſidiis et cura praeſtitit *Io. Gillotius*, cuius recenſio *Pariſ. ap. Guil. Merlinum et ſocios* a. 1568. prodiit. Hanc Benedictini omnium, quae prius factae fuerant, abſolutiſſimam ſtatuunt ac ſortem iniquam dolent, qua omnium propemodum maxime ignota remanſerit, oppreſſa ſcilicet

cet a Romanae, quae proxime illam ſecuta eſt, editionis fama. Ad hanc, quacum *tertiam* auſpicari *aetatem* licebit, ſuſcipiendam *Felix Perettus* Cardinalis *de Montalto* poſtea ſub nomine *Xyſti V. Pontifex max.* animum applicuit, dum adhuc ordinis Minorum Generalem Romae ageret. Deinde vbi ſedem Romanam occupauerat, Io. Bapt. Bandinio profligandam commiſit. Abſoluta eſt intra annos 1579-87. Romae ap. *Dom. Baſani,* VI. Voll. atque auctoritate pontificia cautum, ne quis per vniuerſam eccleſiam catholicam alia Ambroſii editione in poſterum vteretur. Quod cauſae fuit, cur omnem illa ad ſe famam raperet, et neglectis caeteris ſola fere recuderetur. Quippe obſeruant Benedictini, ab a. inde 1586. quo primum Lutetiae recudi coepta eſt, eam ſingulis fere decenniis in eadem vrbe, nulla, quae alicuius momenti eſſet, mutatione inducta, eſſe repetitam. Satis ſit, ſi forte ab aliis grauius quid in eam dictum videatur, Benedictinorum cenſuram huius editionis legiſſe, quam paucis verbis contractam auctores M. Bibl. Colonienſis reddiderunt, *Romanam editionem confuſam, truncatam vitiis et erroribus miſere inquinatam* dicentes. Iam quomodo his malis centum annis poſt medicati ſint *Iac. du Friſch* et *Nic. Nourry* e S. Mauri congregatione, ſuo loco docebitur. Nunc vltra centum anni elapſi ſunt et adhuc ſola regnat non tantum recenſio haec Benedictinorum, ſed ipſa adeo vnica Pariſienſis deſcriptis a. 1686. et 90. duobus Voluminibus facta. Nouae enim ſpes a Dom. *Lemeros* excitata, quae tribus voluminibus conſtaret, cuiusque primus Tomus iam a. 1731. ſub prelo ſudavit, vt Col. Bibl. auctores ex typogr. Pariſ. monito narrant, plane euanuit et obliuioni credita eſt.

SAEC. XV.

1472.

Auguſtae; per Io. Schübler. f. Ambroſii Hexaemeron. Ab initio: *Hexaemeron beati Ambroſii Mediolanenſis epi. Incipit feliciter.* In fine: *beati Ambroſii Epiſcopi mediolanenſis opuſculum quod hexaemeron vocatur; jucunde explicit. Per Iohannem Sſchübler* (ſic) *imperialis vrbis Aug. ciuem q̄m diligenter impreſſum Anno ſalutiſere incarnationis hieſu ſaluatoris, milleſimoquadringenteſimoſeptuageſimoſecundo. Circiter ydus maijas XI.* Charactere gothico antiquo absque paginarum et plagularum numeris et cuſtodibus. Margines ampli folio XXXV. lineas complectente.

1474.

Mediolani, per Chriſtoph. Valdarfer. 4. Vita S. Ambroſii per Paulinum Epiſcopum Nolanum ſcripta; S. Ambroſii Vita glorioſe Virginis Agnetis; Paſſio SS. Martyrum Vitalis & Agricole, & Protaſii, & Gervaſii; de inventione corporum SS. Protaſii & Gervaſii, & de Officiis Libri tres.

In fine:

Nectar et Ambroſiam coeleſtia munera quaeris
Hoc Sanctum Ambroſi perſpice lector opus.
Arida qui tali compleverit ora ſapore
Non ſitiet. nullam ſentiet ille famem.

Impreſſus mediolani *p* Chriſtoforum Valdarſer Ratisponenſem. M. ccccIxxiiii die vii Januarii.

Character Romanus eſt, pagina 28. lineas complectitur, numeri, ſignaturae et cuſtodes deſunt. Singulorum librorum et capitum tituli literis capitalibus ſunt impreſſi. — Ita fere apud SAXIVM Hiſtor. lit.

ſit. typ. Mediol. (in Argelati Biblioth. SS. Mediol.) p. CXLV. et DLX. et in Cat. Bibl. Crevennae nuper divenditae T. I. (8.) p. 99. haec editio deſcribitur. Quod ipſum tamen exemplum non integrum fuit, ſed Vita Ambroſii, niſi titulus negligentius ſit exſcriptus, quod vix credam, deerat. Plenus, qualem nos repraeſentavimus, titulus in Cat. Bibl. Bunav. T. III. P. I. p. 148. et Firmianae T. I. p. 43. legitur. In Pinellianae indice contra T. I. p. 84. Officia Ambroſii tantummodo h. a. l. et typogr. laudantur, vt huius adeo exemplaris maxima pars deeſſet; cuius iacturae occaſionem deſcriptio in Crevennae indice data quodammodo prodere videtur.

1476.

Auguſtae, per Anthon. Sorg. f. Ambroſii Expoſitio in Evangelium Lucae. — Folii primi pagina interiore: *Incipit Expoſitio ſeu explanatio ſancti Ambroſii ep. in corpus evangelii ſancti luce evangeliſte. Et dividitur in decem capitales libros. ſed nulli eorum ſingularis praefatio aut prologus premittitur.* Rel. Dehinc folio ſecundo operis eſt exordium. In fine:

> *Magni eccleſie militantis luminaris Ambroſii: ſup luce euangeliſte euangeliis: ſcripta: per Anthonium Sorg incolam opidi Auguſtenſis: ob nature naturantis gloriam hujusque exilii ampliorem eruditionem: ſtanneis karacteribus artificialiter effigiata. Actus puriſſimi preſidio finiunt feliciſſime: dominice incarnationis Anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto.*

Character eſt itidem gothicus, ſed multis verborum compendiis difficilis et aſper. Folium lineas 39. numerat. Abſunt cuſtodes paginarum et plagularum numeri.

 1480.

1480.

Tarviſii typis Mich. Manzolii. f. S. Ambroſii Hexaemeron — Liber de Paradiſo — Sermo de ortu Adae — Sermo de Cain et Abel. Praecedente S. Paulini Ep. Nolani Vita S. Ambroſii Ep. Med. ad B. Auguſtinum Ep. cum praef. *Maſelli* — cum *Euſebii praeparatione Euang.* ex *verſione Ge. Trapezuntii.* — *Cat. Bibl. Chig.* p. 19. 20. 185. ſed non ſatis mihi liquet, vtrum ad idem Euſebii volumen pertineant, an tantum compacta ſint haec opuſcula; nam alibi cum huius ed. Euſebii commemoratione non laudata vidimus. Deinde vero cogitatio ſubiit, num forſan haec ipſa ſit editio a Benedictinis ſtrictim ac per transennam quaſi oſtenſa Maſelli Veniae, de qua poſt plura dicentur.

1488.

Mediolani per Vldericum Scinzenzeler. 4. S. Ambroſii Opuſcula: *nempe:* Vita illius per Paulinum, de Officiis, Vita S. Agnetis: Paſſio SS. Martyrum Protaſii, et Gervaſii; Epiſtola de inventione corporum eorundem ad Marcellinam Sororem, Oratio in obitu Satyri fratris, de Reſurrectione ac Cruce Domini, et de Bono mortis. *Ad calcem:* Mediolani impreſſum per Magiſtrum Vldericum Scinzenzeler Teutonicum opera et impenſa Domini Philippi Lavagniae civis Mediolanenſis, Anno Domini. M. CCCC. LXXXVIII. die vero XVII Ianuarii.

Nectar et Ambroſiam etc. vt ſupra.

Expreſſa ſunt Charactere latino minori, ſine titulis et paginarum numeris. Saxe p. DLXXXIII. Intelligitur autem primo intuitu ed. Waldarf. 1474., hac eſſe recuſam et tractibus quibusdam locupletatam. Quocirca ne miremur idem huic editioni ſubinde accidere,

cidere, quod illi, vt manca interdum et parte aliqua truncata occurrat. Tale fortaſſis exemplum erat Bibl. Pinellianae T. I. p. 84. vbi *Officia* tantummodo notantur. Integrum etiam profert Bibl. Bunov. T. III. Vol. I. p. 148.

1490.

Mediolani, ap. Leon. Pachel. f. S. Ambroſii Epiſtolae. — In calce: *Mediolani per Magiſtrum Leonardum Pachel MCDXC. die XVIII. Decembris.* Editor fuit *Georgius Cribellus Presbyter,* Mediolanenſis. Complectitur volumen *Epiſtolarum libros* X.: *de Vocatione omnium gentium* l. II.: *Sermones* XC.: *Orationes dicendae ante Miſſam* II.: *de Sacramentis et Myſteriis* lib. I.: *de Virginibus* libr. III.: *de Cohortatione Virginum, et Dedicatione Templi, a Iuliana ſtructi* lib. I.: *de Inſtitutione Virginis ad Euſebium* lib. I.: *De Ieiunio* lib. I. Character minutus eſt, ſed nitidus. In fronde reperitur Ordo Epiſtolarum. In fine Ge. Cribelli Epigramma, quo in aduerſarios, qui ab inſtituta Ambroſii editione eum prohibere conniſi fuiſſent, inuehitur. Sequitur eiusdem Adnotatio ad Lectorem de ordine et emendatione facta in hiſce Epiſtolis euulgandis. Saxe p. DLXXXVII. et CCCXX, vbi ipſum editoris Epigramma recuſum videas.

1491.

Mediolani, ap. Ant. Zarotum. f. S. Ambroſii Epiſtolae et alia opuſcula. *Ad calcem:* Glorioſi et irrefragabilis Eccleſiae Catholicae Doctoris et Reuerendiſſimi Eccleſiae Mediolanenſis Archiepiſcopi S. Ambroſii de Epiſtolis: de vocatione omnium gentium: de aedificatione Vrbis Mediolani: de Iſaac et anima et de fuga Seculi Opera feliciter impreſſa ſunt in

in inclyta Ciuitate Mediolani per Antonium Zarotum Parmenſem Anno Domini MCCCCXCI. in Calendis Februarii. *Bibl. Pinell.* T. I. p. 85. SAXE p. DLXXXVIII. Curam huius editionis geſſerunt *Nicolaus Antiquarius*, Medicinae Artis tunc apud Mediolanenſes Profeſſor, Iacobi Antiquarii ex fratre nepos et *Stephanus Dulcinus*, Presbyter et Scalae Canonicus, quem ille octo Epiſtolarum libros impreſſoribus iam traditurus corrigendo et perpoliendo operis admouebat. Prodiit auſpiciis *Ludouici Mariaè Sforṭiae Vicecomitis et Ducis Barii*, cuius virtutes ſingulares, amorem in literas ac bonas artes, religionem in fide propugnanda, templis erigendis, prouidentiam denique in imperio adminiſtrando dum praefixa Epiſtola*) iuſtis laudibus condecoraret et ingenioſa virtutum S. Ambroſii comparatione illuſtraret Stephanus Dulcinus praeclaram de opera ſua, vndique eximii ingenii et doctrinae elegantis luminibus ſpem excitauit, vt dolendum ſit, hanc editionem vt omnes omnino hoc ſeculo in Italia factas nondum ab editoribus eſſe conſultam.

1492.

Baſil. ap. Ioh. de Amerbach. f. Ambroſii Opera. T. I. II. III. Tituli loco eſt effigies Ambroſii ligno impreſſa quam ſupra literis gothicis: *Auctor operum ſequentium;* iuxta: *Stus Ambroſius Mediolanen̄ Ep̄s: eccleſie doctor celeberrimus* adſcriptum. In ima pagina epigramma in Ambroſium, romano charactere expreſſum, legitur. Ad calcem vero paginae quartae a fine voluminis tertii, quod *ſermonibus* finitur, extat haec ſubſcriptio:

Expli-

*) Extat apud Saxium p. DI. cf. CCCXIII.

Explicitum eſt opus ſermonū beati Ambroſii epi Mediolanenſis: Baſilee per Magiſtrum Iohannem de Amerbach: Anno ſalutiferi virginalis partus nonageſimo ſecundo ſupra milleſimum quaterque centeſimum.

Similis ſubſcriptio poſt epiſtolas, quae primum tertii Voluminis locum occupant, cernitur. *) Contenta totius Operis pagina tituli auerſa ſiſtit, item quae ſingulatim Tomo altero et tertio inſunt, titulus vtriusque ſpeciatim deſcribit. Sunt autem numero et ordine ſequentia opuſcula: *Libri primi:* De officiis libri III. De vocatione omnium gentium libri II. Hexaemeron libri VI. De dignitate humanae conditionis liber I. De Paradiſo lib. I. De Cain et Abel libri II. De Noe et arca liber I. De Abraam patriarcha lib. II. De Iſaac et anima lib. I. De Bono mortis lib. I. De Fuga ſacculi lib. I. De Iacob et Vita beata libri II. De Ioſeph patriarcha lib. I. De Benedictionibus patriarcharum lib. I. De Nabuthe Ieçraelita lib. I. De Helia et jejunio lib. I. De Tobia lib. I. De Interpellationibus libri III. De apologia David lib. I. De Salomone lib. I. De myſteriis initiandis lib. I. De Sacramentis libri VI. De Dignitate ſacerdotali: vel Cura paſtorali lib. I. Orōnes praeparatiuae ad miſſae celebrationem II. *Libri ſecunde partis:* Expoſitionis in Pſalmum CXVIII. videlicet: Beati imaculati ſectiones XXXII. Expoſitionis in Euangelium ſecundum Lucam libri X. Expoſitionis in tredecim Epiſtolas Pauli apoſtoli libri XIII. *Libri tertie partis:* Epiſtolarum libri X. (Epiſtolae LXXXIIII.) De

*) Hinc ſeparatim etiam venit hoc Epiſtolarum Volumen a reliquo opere cum ſubſcriptione tum charactere romano eleganti disiunctum. cf. DENIS *ſuppl. ad Maitt.* T. I. p. 319. n. 2623.

De Fide ad Gratianum libri V. De ſpiritu Sancto libri III. De Fide contra Arrianos liber I. De Incarnationis Dominicae ſacramento lib. I. De Myſterio paſchae lib. I. De Exceſſu fratris lib. I. De Fide reſurrectionis lib. I. De poenitentia libri II. Adhortatio ad Poenitentiam. De Virginibus libri III. De Viduis lib. I. Adhortationis ad virgines lib. I. De Inſtitutione virginis lib. I. Ad Virginem deuotam lib. I. Ad Virginem corruptam lib. I. In Corruptorem virginis obiurgatio. Ad Virginem corruptam exhortatio. Nonaginta quatuor ſermonum declamatoriarum lib. I.

Fuit aliqua operae pars in hac editione fratris *Ioannis de Lapide* Monachi ordinis Carthuſienſis, cuius ad Io. de Amerbach epiſtola in limine operis conſpicitur, ex qua pauca, quae ad rem faciunt, delibemus. Poſteaquam igitur multa in laudem Amerbachii propter inſignia de re litteraria et eccleſia impreſſis tum biblicis libris, tum ſcriptoribus eccleſiaſticis merita, diſſeruit, *Iſtorum* (Patrum SS.) *igitur ſcripta*, inquit, *ut arte tua multiplicares, iam olim monui: aſſenſiſti. Et cum divi Auguſtini iam aliquid perfeciſſes: inciderunt manibus tuis diſponente domino quaedam diſertiſſimi Ambroſii mediolanenſis epiſcopi opuſcula. Vidi: gaudebam: et ut per te in lucem prodirent, hortabar. Futurum id pollicebaris: dum ſaltem etiam reliqua ab eodem viro edita ſuperioribus adiungere poſſes. Effeciſti diligentia tua, ut fere cunctorum ipſius librorum exemplaria a longe diſtantibus regionibus ad te fuerint congregata. Poſtulas nunc a me (quia pro tua conſuetudine ac decentia nihil pateris e manibus tuis aufugere: quod non ſit accurato ſtudio emendatum: ordinatum: elaboratum ac perfectum) poſtulas, inquam, ut eadem exemplaria (quorum ſingula pene continuatim et abſque*

que diſtinctione interpoſita conſcripta ſint) ego per capitula diſtinguere et quibusvis libris ac capitulis argumenta quibus ſententia et effectus eorum explanetur: anteponere curem: quo ſic minus taediosa et magis intelligibilia lectoribus reddatur. — Qua tua petitione cunctis Ambroſii noſtri libros lecturis rem utilem valde poſtulas. — Verum quoniam laborem non modicum haec res poſtulat: cui ſolas vires meas ſubiicere non auſim praeſumere: velis et alios viros doctos adhibere: quorum ope fraetus operam dabo, ut ſingula noſtri diuini doctoris opuſcula per capita diſtinguantur: quibus et ſua argumenta breui compendio totam ſententiam complectentia praenotabuntur: quo lectoris animus ad intelligentiam facilius praepararetur. Tuum igitur iam erit officium ingenioſe magiſter: ut quod propoſito coepiſti: facto exequaris: et illius celeberrimi doctoris — opuſcula: celeri diligentia: arte tua et noua facias et quo cuncti copiam habere poſſint: multiplices. Admoneri te non oportet, ut vigilem curam apponas: qua recte caſtigentur: emendentur: et accuratius elaborentur: Hoc enim pro more tuo circa omnes quos uſque hodie tuis labore et impenſis impreſſiſti libros diligenter obſervaſti. rel.

Satis hinc apparet, opinor, non curam huius ed. Io. de Lapide geſſiſſe, vt Hambergerus*) ſcripſit, ſed ea tantummodo opuſcula, quae adhuc in MSS. Codicibus laterent, ipſi tradita fuiſſe diſpungenda. Omne vero emendandi et corrigendi textus officium ſoli Amerbachio incubuit, qui nec moli tantae, nec vitiis, quibus oppleta omnia erant, ſolus par eſſe poterat. Quod deſcriptionem et cultum typographicum attinet, charactere, quo et alibi plerumque Amerbachius

*) T. II. p. 908.

chius vti ſolitus erat, gothico, et paginae columnis ſectis impreſſae ſunt praeter libros officiorum initio Tomi Imi et epiſtolas initio Tomi tertii, quae latis paginis charactere romano ſunt exarata. Cuſtodes et paginarum numeri deſunt.

* *

Mediolani per Vldericum Scinzenzeler. 4. S. Ambroſii *Liber Paſtoralis;* Libri novem ad Gratianum Imperatorem; *quinque* primi *de Fide,* vnà cum *epiſtola Gratiani; tres de Spiritu S.,* vltimus *de Incarnatione Verbi:* de obitu S. Satyri Fratris ſui libri 3. in quibus Tractatus de non metuenda morte: de reſurrectione: de bono mortis: de Reſurrectione, et Cruce Domini: Expoſitio ſuper Pater noſter. *Ad calcem:* Mediolani opera et impenſa Venerabilis Presbyteri Andree de Boſſiis Prepoſiti S. Tecle, Magiſter vero Vldericus Scinzenzeler impreſſit MCCCCXCII. die XVI. Iunii. — *Cat. Biblioth. Firmianae* T. I. p. 44. coll. Character gothicus eſt, ſed nitidus. Praemittitur admonitio ad Lectorem his verbis: *Non mirabere, Lector humaniſſime, ſi aliqua depravata invenies in primo Libro, et ſecundo de Fide; id enim defectu Exemplaris fuit: Nam poſtea emendatiorem codicem habuimus, ex quo haec inferius adnotata decerpſimus* etc. Adiectum eſt quoque Epigramma: *Nectar et Ambroſiam* etc.

* *

Denique huius ſaeculi ſunt quoque editiones opuſculorum quorundam Ambroſii absque anni nota euulgatae.

* *

Romae, per Io. Philippum de Lignamine. f. S. Ambroſii officiorum libri III. *In fine:*

Expli-

Expliciunt Libri Beati Ambroſii
Epiſcopi Mediolanenſis de Officiis
B. R.

Ab *Audiffredi* p. 84. n. XV. ad annum 1471. relata eſt quandoquidem typographus Io. Phil. de Lignamine in praefatione operi Dominici Caualcae, *Pungi lingua* inſcripto, quod anno 1472. publici iuris fecit, huius Ambroſii de officiis editionis ante impreſſae mentionem fecerit. Ex eo laudauit *Denis Suppl. ad Maitt.* T. 2. p. 487. Character romanus eſt; folio minori.

* *

Sine loco et anno. 4. Iidem libri. Praecedit index capitum. *In fine: Explicit liber tercius et ultimus Beati Ambroſii de officiis. Deo gracias.* — Character gothicus eſt, eo ſimilis, quo Olricus Zel de hanau uſus eſt. Caret ſignaturis, cuſtodibus, numeris, Pagina 27. lineas complectente. — Laudavit *Debure* in Cat. Vall. T. I. p. 158. curioſius inſpexit inter libros amici cuiusdam exiſtentem et denotauit *Denis* l. I. p. 487. Eandem puto, ſed mancam, quam Cat. Bibl. Reg. Pariſienſis T. I. p. 372. profert duos tantum libros exhibentem.

* *

Sine l. et a. fol. Sancti Ambroſii epiſcopi Exameron: id eſt de ſex dierum operibus in principio mundi. *Char. Goth.* profert *Deburius* in Cat. Bibl. Vall. T. I. p. 157. et haec addit: Ce Volume ſans date, ſans nom de Ville etc. avec des ſignatures depuis a-i, eſt imprimé avec les caracteres de Jean Guldenſchaff de Maience, ſur 2 Colonnes, dont celles qui ſont entieres ont 37 lignes. Il a à la tête 3 feuillets de Tables et il finit ainſi: *Explicit Exameron ſci Ambroſii.*

S. l.

S. l. a. et typographi nota. (Mediolani 1477.) f. Ambroſii quaedam: *Hexaëmeron ſeu de principiis rerum; de Paradiſo; de ortu Adae;* Sermo *de Arbore interdicta; de Abel et Cain;* nec non *Vita* Ambroſii a *Paulino* conſcripta.

Charactere rotundo, nitido, qui, Saxio iudice,*) Antonii Zaroti eſſe videtur. Procurauit hanc editionem *Maſellus Venia Beneventanus*, Monachus Auguſtinianus, eamque dicauit *Ambroſio de Cora*, *Generalis Ordinis Emeritani S. Auguſtini* tunc *Vicario*, poſtea, a Pentecoſte Anni MCCCCLXXVII. *Praefecto Generali.* Hinc egregia diuinatione huius editionis natales ad hunc ipſum annum retulit laudatus Saxius, incomparabilis vir diligentiae, et exhibita Maſelli epiſtola,**) in qua Ambroſii Corani res per varias munerum vices geſtas non ſtrictim proferuntur, ab omni dubio vindicauit. Verba eius, quibus Maſelli epiſtolam breuiter complexus eſt, non aliena ab hoc loco erunt.***) „Nouam hoc anno, inquit, collectionem Operum S. Ambroſii, ſedula partam induſtria, praelo ſubiecit Maſellus Venia Benev. Dolebat Vir iſte de noſtra Ciuitate ac literis bene meritus, inter ceteras Italiae clades a Barbaris illatas, recenſeri debere eam librorum, praeſertim ſacrorum, qui potiſſima pars ſunt antiqui ſplendoris, ſeque mirari aiebat incurioſam adeo fuiſſe ſuperiorem aetatem, vt de reparandis grauibus hiſce damnis minime cogitaret; inde ſermonem ad Mediolanenſes conuertens, iiſdem negligentiam exprobrabat, qua paſſi fuerant, vt erectis

*) *Hiſt. Lit. Typ. Med.* in *Argelati Bibl. SS. Mediol.* T. I. p. DCVIII.

**) ib. p. CCCCLXVII. n. XVI.

***) ib. p. CLXXXI.

ctis moenibus domibusque proſtratae Vrbis, pretioſiora coeleſtis doctrinae monumenta, quae S. Pater et Patronus Ambroſius condiderat, deiecta ac ſepulta in ruinis iacerent. Hiſce querelis nuncupatoriam exorſus Epiſtolam, referre pergit, quo ſtudio diligentiaque libros Sanctiſſimi huius Doctoris conquiſierit, erutosque e latebris in lucem produxerit.*) Paruus quidem riuulus eſt, quem ex vaſto flumine, adhuc latente,

*) Vt eius quoque ingenium pateat, pauca ex epiſtola illa depromere iuuat. Poſtquam Ambroſium loquentem et Mediolanenſes increpantem induxerat, Haec, vel his ſimilia, pergit, aut queritur, aut queri poteſt Ambroſius. Quam plane culpam ego Maſellus Venia Beneuentanus, emendare potius quam damnare cupiens, libros eius Sanctiſſimi Viri, omni mea cura, induſtria, omni ſtudio, omni denique vigilantia perquiſiui, perquiſitos ſumma diligentia imprimendos curaui. Et quoniam in omni re ſeruatus ordo decorem ac venuſtatem affert, ab *hexahemero* de principiis rerum, neque enim altius licuit indicare, principium ſumpſi. Quia vero id volumen per ſe ſolum perexiguum videbatur, cum totum, quod de Ambroſio repperero, promere in lucem intendam, ſimul ne tot libelli per Scamna volitent; de *Paradiſo* etiam libellum; Sermonem de *Ortu Adae*, et item Sermonem de *Arbore interdicta*, vna cum libello de *Cain et Abel* praepoſita tamen auctoris vita ſubtexere collibuit. Quam profecto ſententiam illa quoque ratio confirmauit, quod ibidem prima huius mundi aetas terminatur. Sed admirabitur quiſpiam, quod *hexahemeron* dixerim, cum a vulgo *hexameros* abſque ſecundo *e* aſpirato proferatur. Non eam inficias, Pater optime, cum ego in titulo operis de eadem dictione dubitarem, Virum et latinorum et graecorum peritiſſimum Ioannem Placentinum Monachum conſuluiſſe, ab eoque, quae infra ſubnectam, perdidiciſſe. — Nec expectet tua Reuerenda Paternitas, vt me ad laudes eius glorioſiſſimi Viri (Ambroſii) recenſendas accingam; ſus enim Mineruam attrectare dedecet.

latente, mellifluae Ambroſii Eloquentiae decerpere tunc potuit Maſellus Venia. Siquidem quinque tantum eidem adſcriptos foetus editio iſta complectitur. Nihilominus laudem meretur non modicam, cum ampliori quam antea manipulo rarae huius meſſis, publicum horreum ditauerit, ſtimulosque aliis addiderit; vt ſpicas omnes hinc inde diſperſas in vnum congerentes, illud tandem pretioſa hac ſegete implerent. Patronum in hac curanda editione ſibi delegit *Ambroſium de Cora* ad ipſum Epiſtolam dirigens, cum Vicarii Generalis Eremitani Ordinis S. Auguſtini munere fungeretur. Hinc vero tempus clare dignoſcimus, quo apud nos prodiit hic liber nulla anni adnotatione ſignatus; Cum enim in ea dignitate duobus vltra annum vnum menſibus perdurauerit, ad Supremam illius Ordinis Praefecturam promotus in Pentecoſte anni MCCCCLXXVIII.; cumque quamplura in huiusmodi regimine egregie iam acta ab eodem Maſellus commemoret, dubitari vix poteſt, ineunte hoc anno fuiſſe typis commiſſum.“ Talia Saxius, quae facile deſiderio noſcendae huius editionis per Benedictinos patres diu ſuſpenſo ſatisfacere poſſunt. Illorum enim negligentiae neminem fuiſſe putamus, quin ſuccenſeret, quos, cum manibus ſuis editionem hanc verſauiſſent, non puduit tamen adſcribere a *Maſello Venia*, Auguſtiniani Ordinis factam et A. Corano ſ. *Coriolano* ordinis eius Generali inſcriptam eſſe. Interim de libris qui contenti eſſent, ſecuri halucinabantur in Italia et ante annum 1485. impreſſam eſſe oportere, quoniam eo anno Coranus ille diem ſuum obierit. Atque haec oracula meruerunt nihilominus, vt ab Oudino, Fabricio,*) Ceillier et aucto-

*) In Bibl. Lat. Lib. IV. c. 3. ed. Venet. T. II. p. 511. Quod non animaduertit Saxius, haud dubie Maſellum pro

auctoribus M. Bibl. Col. *) repeterentur, quibus adeo nihil de hoc libro innotuit, vt ab illorum effatis non vngue tenus recederent.

Saec. XVI.

1504.

Pariſ. per Ioh. Petit. 4. S. Ambroſii liber officiorum. *Cat. Bibl. Bunav.* T. III. Vol. I. p. 148.

1506.

Baſileae, ap. Iohannem Petri de Langendorf. 4. Ambroſii opera Tomi III. *In fine:* Libri B. Ambroſii Ep. Mediolan. doctoris diſertiſſimi, catholicae fidei propugnatoris acerrimi, accuratiſſima diligentia, ne quid ab integritatis tramite exorbitans admitteretur, adhibita; ad Chriſtianiſmi cultum, praefati doctoris doctrina interueniente, amplectendum et ampliandum per Ioannem Petri de Langendorf Baſilee ciuem. Finiunt feliciter. Anno domini 1506. die vero penultimo Menſis Maii.

Repetitio Amerbachianae, acceſſit index copioſus. Regiſtrum florigerum inſcriptus cum praefatione Conradi Mulbronnenſis ex ordine Ciſtercienſi. Epiſtolae Tomo tertio vt in Amerbachiana alio charactere romano puto, nam ad manum ipſa nobis non eſt, impreſſae ſunt. Sed multo plura etiam continet quam

pro Maſellum operarum vitio excuſum apud Fabricium arbitratus. Alioquin eum non teſtem aduocaſſet, quo Monachum Auguſtinianum fuiſſe Maſellum probaret, p. CLXXXIV.

*) Hi commentis etiam nouis lectoribus impoſuerunt, dum partim confidenter anno 1485. excuſam editionem, partim Maſellum illum V. ab aliis quoque Maſſaeum Vaneum dici produnt.

quam Amerbachii editio. Quippe ab initio Tomi tertii additi ſunt:*) De Synagoga liber I. Contra Symmachum lib. I. Contra Auxentium lib. I. De traducendis baſilicis lib. I. Conſolatorium Valentiniani lib. I. De morte Theodoſii lib. I. De inſtructione ſacerdotum lib. I. De Iudiciis lib. I. De Circumciſione lib. I. De eligendo Pontifice lib. I. — Poſt ſermones vero: De Paſſione ſanctae Agnetis et de Inuentione vel Reuelatione ſanctorum Geruaſii et Protaſii. Admodum rara eſſe debet haec editio, pauciſſimis viſa, et nonniſi a Fabricio Bibl. Lat. lib. IV. c. 3.**) diligentius notata: hic enim contentorum elenchum dedit. Adde *Ge. Pray* in *Indice Rar. libr. Bibl. Vniu. Reg. Budenſis* P. I. p. 46. Memoratur etiam ſed tertio Tomo manca in *Cat. Bibl. Ord. S. Ioh. Argent.* 1749. f. p. 6.

1509.

ſ. l. per Baccalaureum Martinum, Herbipolenſem. f. S. Ambroſii officiorum libri tres. — *Cat. Bibl. Monaſt. ad S. Emmeran. Ratisbonae* (1748. 8.) P. I. p. 39. n. 424.

1512.

Sine loci nota (Liptzk) *per baccalaureum Wolfgangum Monacenſem.* f. Ambroſii Officia. Sic in titulo literis maiuſculis rubris impreſſum; deinde ſubiicitur minoribus et colore conſueto: *Diui Ambroſii Mediolanenſis Eccleſiaſticorū ſcriptorum litteratiſſimi: tres officiorum libri totam viuendi rationem complectentes.* Reliquum ſpatium occupant duo epigram-

*) Horum bona pars poſtea inter Epiſtolas locum occupauit.

**) Ed. Venet. T. II. p. 311. 12.

grammata ad lectorem, alterum fratris Andree Metzler Ordinis diui Bernhardi, alterum Iohannis Bildenaueri Egrani philoſophie magiſtri; pagina interiori ſiſtitur praefatio aut dedicatio potius editoris Ioannis Bildenaueri ad Andream Metzler artium Mag. et priorem patrem Cenobii Walthſaſſen. data Liptzgii ex cubiculo literario. Anno a reconciliata diuinitate ſupra ſeſquimileſimum octauo. Subiicitur Epigramma Georgii Hendel Reſani in laudem diui Ambroſii ad lectorem. Nec in calce deſunt muſarum dona. Quippe proxime poſt finem ſequitur Carmen Sapphicum Raphelis Souenzonii Poete in paſſione domini noſtri Ieſu Chriſti, nec non eiusdem ad beatiſſimam Virginem. Tertio loco denique Ioannis Wildenauer Egrani ad eundem Andream Metzler diſticha. Poſtremo ſubſcriptio: *Finitum hoc opus Sancti Ambroſii per Baccalaureum Wolfgangum monacenſem. Anno Dn̄i* 1512. character gothicus eſt. Impreſſum eſt lineis late diſtantibus. Plagulae numerantur.

1516.

*Baſileae, ap. Adam Petri de Langendorff impenſis Io. Koberger civis Norimbergenſ.**) Tomi III. f. *Diui Ambroſii* Epiſcopi Mediolanenſis *omnia opera* accuratiſſime reuiſa: atque in *tres partes* nitidiſſime excuſa. Eiusdem *ſanctiſſimi Ambroſii* vita: a *Paulino Epiſcopo* eleganter conſcripta. *Repertorium* in tripertitum opus *beatiſſimi Ambroſii* alphabetica ſerie: *certiſ-*

*) Colligenda haec fuerunt ex praefationibus Tomo primo] et Repertorio praemiſſis. Neſcio enim, quo caſu niſi bibliopigae incuria acciderit, vt tertia pars in noſtro exemplari deſit eiusque loco prima in duplo extet; quocirca ſubſcriptionem deſidero.

certiſſimoque foliorum numero exquiſitiſſime digeſtum. Anno M. D. XVI.

Praefuit operi *Andreas* quidam *Hartmannus, Argentinus.* Continet eadem opuſcula, eodemque ordine ac Amerbachiana, item ſimili paene forma typis exſcripta. Poſt titulum generalem, cuius pagina altera operum omnium elenchum habet, ſequitur Paulini vita Ambroſii et Hartmanni praefatio cum epigrammate Decaſticho. Haec praeter titulum ipſum literis romanis exarata ſunt. Dein poſt primi Tomi titulum altera extat Hartmanni *praefatio prooemialis* et commendatitia in *opera Ambroſiana,* vna cum primo officiorum opuſculo literis romanis expreſſa. Reliqua gothico charactere, columnis ſectis impreſſa ſunt, niſi forte in epiſtolarum opere etiam Amerbachianam repraeſentauerit. Hartmannus ille vero in priori praefatione (data Baſ. ex off. Adae Petri — III. Cal. Iun. 1516.) poſt pauca de Ambroſio verba ad hanc operum eius impreſſionem ſe conuertens in hunc modum diſſerit: „Quo ſtudio, quibusque vigiliis ii Ambroſiani codices, nouis etiam formulis, quam nitide quamque emaculate ſint excuſi, tute lector ſuauiſſime, periculum facito. Nihil equidem verborum phaleris opus, vbi rei veritas eniteſcit. Sed nolo me his adnumeres, qui ſingula in fronte librorum ſe reſtituiſſe atque correxiſſe pollicentur: cum in proceſſu vel reſtaurarint nihil: vel complura deſtituerint corruperintque. Ego nonnulla hoc in Ambroſiano opere, praeſertim graeca, acriorem quandoque limam expoſcere ingenue fateor. Quandoquidem Graecis tanta inerat deprauatio, vt nedum inconcinna mutilarum dictionum cohaerentia lectorem diſturbaret: immo pleraque vocabula, ex conſonantium creberrimo concurſu, nulla vocali littera intermediante, nec concipi nec effari a quopiam quantum viro docto poſſent.

poſſent. Quo fit, vt illa abſque eorundem archetypis, ab omnibus prorſum labeculis abſoluere, cuique etiam Graecanicae linguae peritiſſimo, difficillimum duco. Itaque et nos, conſultis originalium librorum exemplis, aliquotque illuſtrium virorum hac in re nequaquam poenitendorum ope, quos deprehendimus errores, eliminauimus. Caeteros cuilibet ſtudioſo, ſaniora ſi forte exemplaria nactus fuerit, expungendos relinquentes." Rel. inuehitur data hac occaſione in obtrectatores ſtudii linguae graecae. In epiſtola ſecunda (d. Cal. Iulii ei. a.), quae ab initio *Baſileae* vrbis, praeſtantiam cum a multarum aliarum rerum pulcherrimarum copia, tum imprimis quod *expunctiſſimis* et *emendatiſſimis impreſſoribus* ea *tempeſtate excelleret*, mirifice extollit et amplificat, deinde in Ambroſii laudes excurrit, poſtremo de Repertorii ratione et vſu ita tradit: „Vt tibi, lector ſuauiſſime, labor in quaerendo, quid Ambroſius in omnibus his voluminibus dicat, minuatur: et diligenti ſtudio ſedulitati tuae prouideatur: ecce *tabulam alphabetariam* magno labore et exquiſita induſtria collectam: quam *alphabeticum repertorium* nuncupari placuit: in omnes Ambroſianos codices tibi ſubſeruiens *in principio vel in fine* appreſſimus. Cuius ordinationem breuiter aduerte: te docebo. Primum ſcias has tres partes librorum Ambroſii per omnia folia numero ſuperius eſſe ſignata, ab vno et deinceps ordine ſuo continuata. Deinde autem vnumquodque folium octonis alphabeti litteris eſſe ſignatum. In prima facie A. B. C. D. In ſecunda autem E. F. G. H. ita vt dum quidquam quaeris: numerum folii aſpicias: deinde habito folio, literam alphabeti teneas: circa quam quod quaeris inuenias. Hoc tam commodo ac facili repertorio et hac pulcherrima et expunctiſſima expreſſione viſa: mecum quaeſo lector non ſolum

lum ampliſſimam ciuitatem Baſileam: ſed potiſſimum illos egregios et praeſtantes viros: imprimis Ioannem Koberger Nurenbergenſium ciuem: cuius ductu atque expenſis praeclariſſimum illud opus tam ſplendide (vt cernis) eniteſcit. Hinc Adamum Petri praefatae ciuitatis Baſileae ciuem: qui ſua induſtria magnisque laboribus hoc tale opus ſic omni ex parte nobiliſſimum et perfectiſſimum effecit: immortalibus laudibus extollere; magnificareque ſummo quo potes ſtudio contende: Bucolicum illud et paſtorale carmen ſuccinens proclama: ſemper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.“ Acceſſit etiam ipſi repertorio praefatiuncula quaedam eiusdem Hartmanni data IIII. Idus Aug. 1516. ſed quae non niſi ad vtilitatis eius amplificationem et commendationem comparata eſt.

1527.

Baſileae, *ap. Frobenium.* f. Tomis IIII. (2 Volum.) Diui Ambroſii Ep. Mediolanenſis omnia opera, per eruditos viros, ex accurata diuerſorum codicum collatione emendata, Graecis, quae vel aberant, vel erant corruptiſſima, pleriſque in locis feliciter reſtitutis, in quatuor ordines digeſta, quorum primus habet mores, ſecundus pugnas aduerſus haereticos, tertius orationes, epiſtolas et conciones ad populum, quartus explanationes voluminum veterum veteris et noui teſtamenti. — Inſpice lector et comperies alium Ambroſium quam antehac habuiſti. —

Eraſmus auctor huius editionis fuit, cuius prima cura, vt titulus adeo declarat, in libris per certas claſſes diſtinguendis verſata eſt: porro ad libros genuinos a ſuppoſititiis diſcernendos ſe applicuit, ea lege, vt non ſemoueret ſtatim, quae νοϑα viderentur, ſed criſin ſuam de ſingulis in Tomi cuiusque praefatione pro-

proponeret. Denique ad emendandum etiam textum ſe dedit non ex ingenio ſolum, ſed et codicibus, quibus tamen inclinandis pro more ſuperſedit. Verba eius apponamus ex epiſtola nuncupatoria ad Ioannem a Laſco Archiepiſcopum Gneſnenſem et totius Poloniae Primatem (dat. Baſ. Id. Auguſt.) 1527. quae de Ambroſii indole et meritis fuſe praecipit. „Quantum ſudoris exhauſtum ſit in hoc reſtituendo, dum collatione veterum codicum emendantur deprauata, reſtituuntur amputata, reſecantur aſſuta, reponuntur graeca, quae vel aberant prorſus, vel figuris nihil ſignificantibus fuerant addita, tuae prudentiae fuerit aeſtimare.“ Sed citra inuidiam hoc concedere poſſis, plurimum ab ingenio virum ingenioſiſſimum ſumſiſſe; nempe quod temporum et librorum ratio poſtulabat. Ad calcem operis acceſſit index rerum non amplus, ſed diligenter confectus. Frobenius denique in imprimendo Ambroſio plus praeſtitit, quam a multorum bibliopolarum hodienum honeſtates expectes. Perperam Oudinus de SS. eccl. T. I. p. 675 ſqq. quinque Tomis conſtare hanc primam Eraſmianam ait et elenchum contentorum Coſterianae tanquam huius repraeſentat. Sed quid vetat, quo minus Eraſmianae elenchum demus, vnde et intelligas, quam multa, quae poſt Amerbachium adiecta erant, reſecuerit, et ſimul de incrementis inſecutis iudicium ſit expeditius. *Tomus I. continet:* Officiorum l. III. de Virginibus III. ad Virgines exhortatio I. Inſtitutio Virginis I. ad Virg. deuotam. ad Virg. corruptam. de Viduis I. de poenitentia II. exhortatio ad poenitentiam. de fuga ſeculi I. de bono mortis I. *Tomo II:* de vocatione gentium II. de fide ad Gratianum V. de ſpiritu ſancto ad eundem III. de fide contra Arrianos I. de incarnationis dominicae ſacramento I. de myſterio paſchae I. *Tomo III. inſunt:*

Oratio funebris de obitu Valentiniani imperatoris; de exceſſu fratris ſui Satyri funebris; de fide reſurrectionis de eodem; funebris de morte Theodoſii imperatoris. Epiſtolae ad diuerſos varijs argumentis. Conciones ad populum breues. *Tomo IV:* Hexaemeron l. VI. de Paradiſo l. et reliqua quae primo et ſecundo primae et ſecundae Baſileenſis ed. continentur; hac diſcrepantia, quod tractatus de interpellationibus libris IV. et de ſacramentis opuſculum libr. VI. conſtet.

1528.

Baſileae, excudebat Henr. Petri. — fol. Ambroſii Epiſcopi Mediolani de Reſurrectione liber ἀκέφαλος. in libro, cuius titulus inſcribitur: *Antidotum contra diuerſas omnium fere ſeculorum haereſes, a Joanne Sichardo,* Theologo quodam edito — p. 92 vſque ad 94. Pleraque, quae volumen illud continet, recens ex vetuſtis membranis eruta ſunt, ex quibus Treuirenſis et Murbacenſis bibliothecae codices in praef. ad Sigismundum Poloniae regem laudat, ſed in quo Ambroſii liber repertus ſit, non ſignificat.

1529.

Pariſ. repetitio Eraſmianae, paulo auctior. — Laudat Pariſienſem h. a. *Ceillier* Tom. VII. p. 689. cuius fidem etſi praeſtare nolim, non negauerim tamen, hoc anno Eraſmi editionem additis quibusdam eſſe repetitam. Vt autem ita ſtatuam, facit praefatiuncula Eraſmi libellis duobus breuiuſculis *de apologia Dauid* et *de interpellatione Dauid* praemiſſa et Principi Guilhelmo Duci Cliuenſi, Iuliacenſi etc. e Friburgo Briſgouiae Kalendis Iuliis MDXXIX. inſcripta, quae in ed. Coſteriana T. IV. p. 393. legitur, vnde, quae ad eorum notitiam faciat, adſcribere non defugiamus. Incipit ergo: „Vos in opacis ſaltibus, „clariſ-

„clariſſime princeps, nos in vetuſtis bibliothecis ve-„nari ſolemus, in quibus nuper nacti ſumus duos li-„bellos, titulo quidem diuum Ambroſium autorem „praeferentes, ſed ipſa phraſi, Ambroſianae dictio-„nis aemulum: verum ita feliciter aemulum, vt do-„tibus aliquot praecurrat. Nam et explicat diſuci-„dius, et minus a re digreditur, nec apte pariter ac „denſe citandis ſcripturarum teſtimoniis, nec pietate „ſententiarum, nec alluſionum gratia, nec aculeo-„rum acrimonia, Ambroſio tot ſuſpiciendo nomini-„bus inferior, mea quidem ſententia. Huius arbi-„tror eſſe libellos duos, quos habemus Ambroſii titu-„lo de vocatione gentium." Reliqua ad argumentum librorum ſpectant. Sed quid ipſe egerit, vtrum ſeorſim, an corpori omnium operum inſertos Principi tradat, nihil amplius. Quare in medio haec relinquenda ſunt.

* *

Coloniae, ap. Io. Gymnicum. 8. S. Ambroſii Officiorum libri III. accurata diuerſorum Codd. collatione emendati.

* *

Ibidem apud eundem. 8. — De Helia et Ieiunio liber vnus. Vtramque ed. laudatam inuenies in *Ioh. Nic. Weislinger Cat. Bibl. Ord. S. Ioh. Hieroſol. Argentinae* 1749. f. p. 6. Poſteriorem oculorum aberratione, quae in iſto Catalogo facillime etiam curioſiſſimis viris accidat, pro innominata habuit et in Suppl. Maitt. T. II. p. 487. poſuit *Deniſius.*

1532.

Coloniae, ap. Io. Gymnicum. 8. D. Ambroſii — commentarii in omnes D. Pauli epiſtolas ex recenſione

ſione *Deſiderii Eraſmi. Cat. de la Bibl. Roy. T. I.* p. 372.

1538.

Baſileae, apud Frobenium. fol. Tomis V. Ambroſii — opera omnia cum per *Deſ. Eraſmum Roterod.* tum per alios viros eruditos, accurata diuerſorum codicum collatione nunc denuo emendata, in quinque digeſta ordines: quorum I. habet orationes: II. pugnas aduerſus haereticos: III. orationes, epiſtolas, conciones ad populum: IV. et V. Explanationes voluminum vet. et noui Teſtamenti, vna cum indice rerum copioſiſſimo. Inſpice, Lector, et comperies, Ambroſium ita caſtigatum, vt deinceps m... rem editionem fruſtra exſpectes.

Repetitio Eraſmianae curante *Sigiſmundo Gelenio.* Textum multis in locis emendatiorem reddit. Additum nihil eſt, ſed qui apud Eraſmum Tomum quartum conſtituebant libri exegetici, in duo hic diſtincti ſunt, quorum alter V. T.; alter, quintus, N. T. expoſitiones complectitur. Confer, ſi lubet, *Conradi Geſneri Biblioth.* ed. Tigur. 1583. p. 36. *Pray* in *Cat. Bibl. Budenſis* T. I. p. 46.

1539.

Pariſiis, apud Geruaſ. Chevallonium. f. D. Ambroſii opera omnia diuerſorum codd. collatione emendata. accedit eiusdem enarratio in epiſtolam ad Hebreos nunquam impreſſa: ex editione Desiderii Erasmi. (*Cat. de la Bibl. Roy.* T. I. p. 371.)

Eraſmus in editione prima, vbi de variis Ambroſii deperditis aut ipſi affictis libris monet, praeter alia etiam huius in ep. ad Ebraeos commentarii meminit, dum inquit: „Ex Anglia quidam docti miſerunt ad me ſpeciminis loco paginam deſcriptam ex commentariis

tariis in Ep. ad Hebraeos, quibus praefixum erat Ambroſii nomen, ſed tota phraſis magis referebat Remigium aut Anſelmum, aut alium eius notae ſcriptorem quam Ambroſium." — Ergo fortaſſis ex Anglia allati in manus Pariſienſium typographorum peruenerunt. Certi nihil affirmare licet, cum ad manus editio non ſit, nec in ſequentibus, vbi hi etiam commentarii occurrunt, editionibus admonitio vlla ſuper hoc extet. Hanc editionem de a. 1540. apud Bellarminum laudari, Fabricius*) et Ceillier,**) ex illo haud dubie, tradunt; at vero apud Bellarminum***) eſt, 1549, eaque prorſus diuerſa editio, vt ex elencho operum patet et ſuo loco apparebit.

1540.

Antverpiae, ap. Guil. Montanum. 8. S. Ambroſii — expoſitio in Epiſtolam B. Pauli ad Hebraeos, nunc primum edita. *Cat. de la Biblioth. Roy.* l. l. Quam verum ſit illud *nunc primum* ex praecedentibus noris.

1541.

Geneuae, ap. Mich. Syluium. 8. S. Ambroſius de Vocatione omnium gentium. *Cat. Bibl. Teller.* (Pariſ. 1693.) p. 32.

1542.

Antverpiae, ap. Io. Steelſium. 8. D. Ambroſii — libri III. officiorum ex recenſione *Deſid. Eraſmi. Cat. de la Bibl. Roy.* l. ante l.

1548.

*) Bibl. Lat. l. IV. c. 3. ed. Venet. p. 313.
**) T. VII. p. 689.
***) Coloniae Agr. 1645. 8. p. 93.

1548.

Lutetiae, apud Vaſcoſanum. 4. Beati Ambroſii expoſitio in Apocalypſin D. Ioannis. —

Editor fuit *Cuthebertus Tonſtallus* Dunelmenſis Epiſcopus, qui a. 1548. dum varias bibliothecas excuteret, inuenit, et euulgari curauit. Adiecit rationes, quibus Ambroſii legitimum foetum eſſe iudicaret, quas apud *Poſſeuinum* p. 61. legas. In *Catal. Bibl. Muſ. Britt.* hic liber eod. l. et typogr. et forma ſed de anno 1554. laudatur.

1549 et 1551.

Paris, chez la veuve Guillard et Guillaume de Bois. fol. Tomis V. Curante Ludouico Miraeo.*) Bellarminus loco ſupra laudato recenſum operum editionis huius anni dedit, vnde apparet, quod dudum etiam Geſnerus indicauerat, primum hic edi coeptos eſſe commentarios in 12. Pſalmos Dauidicos. Acceſſerunt item in Tomo quarto libelli *de Apologia Dauid***) et *de interpellatione Dauid;* Tomo quinto verò

*) Ita Ceillier l. l. de Geleniana primum verba faciens: „Eraſme, Gelenius et quelques-autres habiles gens l'aiderent dans ce travail. Quelques ſoins qu'ils ſe fuſſent donnés pour rendre le texte de ſaint Ambroiſe dans ſa pureté, il y eut des endroits defectueux, qui leur echapperent. *Louis le Mire* en corrigea quelques-uns et en prit occaſion de faire reimprimer les oeuvres de ſaint Ambroiſe. Cet edition fut commencée en 1549. en deux volumes in fol. — et ne s'acheva qu'en 1551. J'en trouve une dans la même ville en 1549. chez Ouën Petit. Haec propter poſtrema verba neſcies fortaſſe, alterutram putes a Geſnero et Bellarmino verſatam.

**) Ab Eraſmo reperti, cuius praefatio, de qua ad a. 1529. nobis conſtitit, haud dubie iſtic etiam, vt in Coſteriana, praemiſſa eſt. Geſnerus tantum libellum

vero *de fide reſurrectionis liber acephalus* ex Sichardo, nec non Meditationes et Hymni et Canticum ſancto-rum Ambroſii et Auguſtini, quod incipit Te Deum laudamus.

1549.

Baſileae. 8. D. Ambroſii — Epiſtolae duae, quibus reſpondetur ad Epiſtolam Symmachi, quam Relationem Ambroſius vocat ad Imp. Valentinianum, de non reſtituenda ara Victoriae Senatui etc. *Cat. Bibl. Bodl.* edit. nouiſſimae p. 40.

1554.

Baſileae. 8. Philoſophorum aliquot Epiſtolae. Latine partim *Diuo Ambroſio,* partim aliis interpretibus incertis. — *Cat. Bibl. Bodl.* p. 317.

1555.

Baſil. per Hieron. Froben. et Nic. Epiſcopium. f. Tomis V. Omnia quotquot extant D. Ambroſii Ep. Mediol. Opera, primum per *Deſid. Eraſmum Roterod.*, mox per *Sigiſm. Gelenium,* deinde per alios eruditos Viros diligenter caſtigata: nunc vero poſtremum per *Ioannem Coſterium* ad plurium antiquorum codicum collationem, plus bis mille erroribus ſublatis, praeter integros verſus pluribus locis deſideratos, quos nunc adiecit: ita emendata vt ſuperioribus editionibus, vbicunque gentium euulgatis longe praeſtare aequus lector, ſi vel vnicum tantum librum cum ſuperioribus impreſſoribus contulerit, facile diiudicet. Quae ſingulis tomis contineantur, cum catalogus eorum poſt vitam D. Ambroſii ſuccedens, tum Epiſtolae

lum de Apologia Dauid laudat, ſed diligentior Bellarminus vtrumque conſignauit.

lae Eraſmi, cuilibet ſectioni ſeorſum praemiſſae docebunt. Index genuinus ſub finem operis adiectus eſt foecundiſſimus. —

Satis in propatulo ſpectanda ponit ſua bona haec editio. Sed quo melius eorum ratio conſtet, excutiamus, quae fuſius ab ed. pro inſtituto ſuo diſputata ſunt in epiſtola nuncupatoria, ad *Claudium Carondoletum* eccleſiae D. Donatiani Brugis Praepoſitum, totius Flandriae Cancellarium etc. qui liberaliſſime ſumtus, quo opus proficeretur, impenderat. Ibi poſtquam varie de iniqua veterum librorum ſorte et de corruptelis ingentibus eorum, quas partim deſidia et ignorantia hominum, partim temporis et ſitus iniuria inuexerit, nec non ſigillatim de pluribus, quae Ambroſium vſque dum obſidebant, mendis per codices melioris notae eximendis diſſeruit, tandem de ſua hac opera verba prolixius facit. Excitatum ſe affirmat ad operam Ambroſio nauandam codice Epiſtolarum vetuſto et nitido in coenobio D. Laurentii iuxta Leodium reperto. Vnde cum largam variarum egregiarum lectionum meſſem ſibi cecidiſſe videret, nactus primam occaſionem ſtomachandi in eos omnes, qui ingenio freti antiquas membranas ſpernerent, et quos maxime petebat, Gallicanae editionis curatores, qui ſpecioſo, ſed mendaci titulo omnia caſtigatiſſima et tanquam feliciori παλιγγενεσίᾳ renata polliciti, deprauatiora et antiquis ſordibus conuoluta dediſſent, mox ſe impelli ſenſit, vt Ambroſii textum ſartum tectumque praeſtaret. Vt igitur plura circumſpicere coepit Critices praeſidia et abunde reſponderunt eius deſiderio, bibliothecarum locupletium vetuſtis codicibus poſſeſſores Monachi Laurentiani et Iacobiniani, qui ſunt Leodii, tum Haffliginienſes, quorum Coenobium haud ita procul a Bruxella diſtat et Parcenſes, Louanio vicini, vltro etiam Ricardus Brandisbaeus

exem-

exemplar offerret vnicum in Anglia, quod olim conſcriptum dicit, quod omnia alia longe ſuperaret, tum denique lucubrationi ſe dedit et duorum annorum ſedula lectione et collatione praeſtitit, quod in titulo ſine rubore profiteri poſſe exiſtimaret. Adegit etiam prece ſua *Petrum Nannium* latinae linguae tunc temporis apud Louanienſes profeſſorem, vt epiſtolas Ambroſii ſcholiis ſuis illuſtraret. Quod ad librorum diſtributionem attinet, prima, ſecunda et tertia pars eadem paene complectitur, quam apud Eraſmum, niſi quod libelli *de fuga ſaeculi* et *bono mortis*, qui ibi primo annumerabantur, hic quarto Tomo additi ſint; et qui quartum Eraſmianae Tomum conſtituebant, libri exegetici hic in duos diſtincti ſint, quorum alter, quartus, V. T., quintus, N. T. expoſitiones exhibet. Inſerti quoque ſunt libelli per Eraſmum reperti, *de Apologia Dauid*, et *de interpellatione Dauid*, de quibus ad a. 1529. mentio facta eſt. Haec praeter acceſſit vita Ambroſii ex ipſius potiſſimum ſcriptis ſatis prolixe per Coſterium contexta, et index copioſiſſimus, a Michaele Martino Stella, qui et caſtigando Ambroſio operam nauaſſe ſe affirmat, confectus et Abbati Murbacenſis et Lutrenſis collegii Io. Rud. Stoer inſcriptus. Nannii ſcholia eidem Carondoleto, ad quem totum opus dirigitur, nuncupata, explicant potiſſimum Orationem apte et docte.

1556.

Lugduni ad Salamandrae apud Senetonios fratres. f. D. Ambroſii melliloquium ſummam totius doctrinae illius Ambroſii ſub titulis, ſeu generalibus capitibus ordine alphabetico digeſtis, complectens; ſtudio et labore *Bartholomaei ab Vrbino*, Vrbinatis Epiſcopi. *Cat. Bibl. Reg.* l. ſaepius l. et *Cat. Bibl. Bunau.* T. III. Vol. I. p. 148.

1562.

Romae, apud Paulum Manutium. 4. SS. Ambroſii, Hieronymi et Auguſtini Opuſcula *de Virginitate.*

En Aldinam Ambroſii editionem, quam Poſſevinus *) laudat, et ab eo confictam putabat Fabricius. **) Videtur liber ſummae raritatis, cuius aliquoties tantum indicium factum deprehendimus. Conf. *Cat. Bibl. Pinellianae* T. I. p. 85. n. 523.

1563.

Baſileae. S. Ambroſii Hymni. Inter *Poetas Eccl. G. Fabricii* a col. 363. et 784.

1567.

Baſileae, per Euſebium Epiſcopium et Nicolai Epiſcopii haeredes f. Tomis V. — Editio Coſteriana ad paginas ſingulas expreſſa. Error Scriptoris aut typothetae in Cat. Bibl. Benteſianae Amſt. 1702. anſam dedit procudendae ed. *Baſ. ap. Frob.* 1557. II. Voll.

1569.

Pariſiis, ex typogr. Guiliel. Merlini, Sebaſtiani Niuellii et Michael. Guillardae. fol. D. Ambroſii opera, nunc ad plurium antiquorum codd. collationem repurgata, emendata, aucta et indicibus illuſtrata, ſtudio et opera *Iaonnis Gillotii*, Campani.

Noua codicum vetuſtorum congerie facta praecipue e Pariſienſibus Bibliothecis, Victoriana, quae libris exquiſitiſſimis exſtructa erat, et Dionyſiana, (in quod Monaſterium et Francorum Reges veterum ſcripta

*) Apparat. ſacr. T. I. p. 55. ed. Col. Agripp. 1608.
**) Bibl. Lat. lib. IV. c. 3. T. II. ed. Venet. p. 313.

ſcripta vndique ſummo ſtudio comportari et Monachos aſſeruare curauerant, vt in eo ſolius Ambroſii viginti et amplius volumina inuenta ſint,) *Ioannes Gillotius*, quod iis conferendis vix plures, nedum vnum hominem ſufficere animaduerteret, ipſe paucos, quibus euoluendis par eſſet, codices delegit, caeterosque aliorum induſtriae commiſit. Addidit ex Coſteriana Scholia Petri Nannii et varietatem eius, lectionum diſſidentium cumulo ex antiquis voluminibus auctam, adiecit. Poſſeuinus, *) ex quo praecipuam huius notitiae partem deſumſimus, etiam lectiones a Manutio obſeruatas additas eſſe notauit; quod ad editionem Aldinam paucis abhinc nobis commemoratam ſpectat.

Quanti Benedictini hanc editionem faciant, ſupra declarauimus, et nos aegre illa in contexendis editionum annalibus caruimus. Nunc, quoniam nemini dignum viſum fuit, notare, quot qualesue tractatus denuo in ea acceſſerint, nobis etiam ignorare fas ſit. Sigillatim Poſſeuinus commemorat tractatum *de Concordia Matthaei et Lucae ſuper Genealogia Chriſti*, ex duobus vetuſtis exemplaribus S. Victoris et S. Dionyſii Pariſiis erutum, *Epiſtolas aliquot Philoſophorum D. Ambroſio interprete* et alias duas ſub Ambroſii nomine in exemplari Pariſienſi S. Germani ad Pratum Scholaſticorum inuentas calci adtextas.

1576.

Coloniae. S. Ambroſii Homiliae aliquot. in *Collect. Albini Fl. Alcuini.*

1579

*) Apparat. ſacr. T. I. p. 55. ed. Col. Agripp. 1608. f.

1579 - 87.

Romae, apud Dominicum Baſam. f. Tomis VI. Voll. 3. S. Ambroſii opera omnia ad veterum MSS. et emendatiorum codd. fidem reſtituta, cura et labore *Felicis* Cardinalis de *Monte Alto.*

Quoniam ipſam hanc a maximi nominis pontifice inſtitutam Ambroſii editionem oculis vſurpare non licet, gratia habenda erit Poſſeuino, quod de partitione et deſcriptione operis ea, quae deſiderabamus, ſuppeditauerit, vberiorem vero conſilii editoris declarationem ex ed. Pariſienſi a. 1614. Romanam quodammodo referente petamus. Quinque autem tomis ab initio editor, quicquid Ambroſii Scriptorum circumferebatur, complexus erat, quibus ſextus poſt ipſius operis decurſum additus eſt, qui vitas, indices et quae porro ad vſum operis facerent, contineret. *) Ac priores IV. Tomos h. ed. ipſe Card. de Mont. curavit et dedicauit opus Gregorio XIII. Praedeceſſori ſuo in ſede Apoſtolica, reliquos excudi curauit *Io. Bapt. Bandinius* a Caſtello Florentinus, eorumque rationem Xyſto V. reddidit in ep. (T. V. ed. Pariſ. praemiſſa) d. Romae VI. Cal. Sextilis 1585. Iam vero ad quodnam conſilium hanc editionem Montaltus comparauerit, age videamus. De immenſa, qua SS. PP. ſcripta vſque dum oppreſſa iacerent, barbarie longum queſtus, „Huic malo, pergit, vt quoquomodo tandem occurrerent Pius IV. et deinde Pius V. fel. rec. Summi Pontifices, praedeceſſores S. V. mihi tunc iuxta meae profeſſionis inſtitutum in conuentu ordinis Minorum

*) Sic *Poſſeuinus,* quocum conſentit *Cat. Bibl. Caſanatenſis et Regiae Pariſ.* Qui aliter referunt vel incurioſius faciunt, velut Benedictini et per eos *auctores Bibl. Magnae Colonienſis*; vel cum Pariſienſi a. 1586. ſicuti *Labbeus* confundunt.

Minorum degenti, — Ambroſii opera, perinde atque aliorum huius generis ſanctorum Doctorum deprauata ac violata, et proinde interdicta, denuo diligenter euoluenda ac recognoſcenda, et ab interiectis erroribus repurganda, atque ad priſtinam auctoris ipſius puritatem, veterum collatione exemplarium et alio quocunque aptiori ſtudio reformanda mandarunt. — Quapropter antiquiores illico bibliothecas luſtrare ac cum manuſcriptis veteribus, emendatioribusque excuſis codicibus conferre, nec non aliquos praeter impreſſos, ſi quos reperirem libellos, inueſtigare, quae denique loca ex ſancti h. Doct. ſcriptis, tum in Conciliis generalibus et prouincialibus, tum in priuatis lucubrationibus maiores noſtri citauerint, exquirere ſedulo coepi: opusque procul dubio abſoluiſſem, niſi variis itinerum et aliarum curarum diſtractionibus praepeditus id imperfectum deſerere coactus fuiſſem. Qualemcunque poſtea nactus quietem, hortatu iuſſuque S. V. inchoatum opus repetens, praeclaros doctores, viros doctrina et pietate graues, et linguarum intelligentia, et hiſtoriarum cognitione inſignes, praeterea in ſcholaſtica Theologia et Patrum lectione admodum verſatos delegi, mihique laboris ſocios adſciui. Itaque onus alacriter ſubeuntes munerique plures annos ſtrenue vna incumbentes, tandem multis vigiliis, plurimoque impendio, Deo bonorum omnium largitore nobis propitio, opus abſoluimus, munus perfecimus, abſolutumque S. V. quae beatiſſimi Petri fidem tenet et ſedem, vt ſtudium noſtrum comprobare, gratoque ſuſcipere animo dignetur, reverenter offerimus. Inſigniores vetuſtioresque diuerſarum prouinciarum bibliothecas perueſtigauimus: manuſcriptos ac excuſos codices contulimus: Philonem, Ioſephumque Hebraeos ac Euſebium Caeſarienſem, ſanctum Baſilium, re et cognomento magnum, ac

ac reliquos ſuperiores, quorum lectione imitationeque ſanctus hic delectatus eſt Doctor, accurate legimus: plura Concilia generalia et prouincialia diligenter euoluimus: ſanctum Auguſtinum, Theodoretum, caeteroſque poſteriores, qui aliqua ab eo ſunt mutuati, legentes perpendimus: quorum ope atque adiumento obſcura explicuimus, manca ſuppleuimus, adiecta reiecimus, transpoſita repoſuimus, deprauata emendauimus, omnia demum vt genuinam Ambroſii phraſin redolerent, eiusque dignitati atque grauitati reſponderent, ſedulo curauimus: et vt ipſemet auctor loqui videretur, ſuppoſititiis quibuscunque abſciſſis, pro viribus ſtuduimus. Nonnullos praeterea tractatus et epiſtolas ac ſermones nuſquam adhuc typis datos, a maioribus tamen diu deſideratos, multo conquiſitos labore operi addidimus. Quae omnia in vniuerſum quinque Tomis comprehendimus: in quorum diſtributione commentitiam illam Eraſmi ſeriem in recentioribus editionibus obſeruatam validiſſimis rationibus adducti ſequi noluimus: verum aptiorem quandam, rationi, nec non S. Doctoris propoſito atque inſtituto magis conſentaneam aliam nacti ſumus, nimirum vt Primus, Secundus et Tertius tomus ordinem SS. Bibliorum teneant: Quartus eam, quam poſtea in ſcholis ſibi vendicarunt Theologi: Quintus, quo ſermones et epiſtolae continentur, quantum ad ſermones attinet; pro maiori ſtudioſorum vtilitate, vt ad Miſſalis Romani ordinem accommodetur; quod autem epiſtolas; vt proprios habeant libros ad materiarum diuerſitatem diſtinctos. Caeterum vbi S. ipſe Doctor ordinem proſcripſit, eum ipſum fideliter ſecuti ſumus. Primo, Secundo et Tertio tomis commentaria et explanationes continentibus SS. librorum contextum vel propria auctoris verſione, prout ex eius Scriptis haurire nobis licuit, vel ex LXX Interpretum translatione,

ne, qua potiſſimum auctor vſus eſt, ad faciliorem intelligentiam ſummo ſtudio adiunximus." — Hos tantos tamque multiplices in inſtruenda hac Ambroſii editione exantlatos labores non abs re putabis dignos viſos eſſe auctori ſuo in ſupremum apoſtolatus apicem euecto, vt, qua pollebat auctoritate, perfectos atque omnibus numeris abſolutos eſſe et ab omnibus haberi iuberet; quod tamen non obſtitit, quo minus reperirentur, qui aliter cenſerent, non ſolum heterodoxarum partium, ſed ipſius Romanae eccleſiae filii obſequentiſſimi, Benedictini e Congreg. S. Mauri. Quibus hoc imprimis feſtiuum accidit, quod dum ipſi ſatis ſeueram, veriſſimam tamen, eius editionis cenſuram ſcriberent, atque acerbe, quamquam verecundia adhibita, ſummi pontificis ambitionem caſtigarent, heterodoxos tamen, eadem ſentire et eloqui non ſine ſtomacho laturos ſe ſignificarent. Redeunt autem, quae in ea reprehendi poſſunt, ad quatuor potiſſimum capita. Primum, nempe quod longi illi Scripturae textus, qui non ſolum initio certorum tractatuum praefiguntur, ſed etiam mediis inſeruntur capitibus, nimium auctoris orationem interſecent atque ſeriem, voluminis molem ac pondus grauent, nec ab vllo fere vnquam legantur. Deinde operis partitionem non ſatis concinnam cenſent cum vniuerſe, tum ſingillatim etiam, imprimis quod epiſtolae atque conciones aliquot ex ordine proprio exemtae, a Tomo quinto in primum ſub annotationum nomine reuocatae, quin immo reuulſae nonnullorum librorum partes alio ſint relegatae. Hoc praeterea reprehenditur, quod tractatus quosdam valde dubios receptis ac legitimis quaſi indubitatos implicauerint, cum e contrario in iis etiam commentationibus, quas editionum ſuperiorum conſenſus admiſerat, ad ſecernendas veras a falſis, certas ab ambiguis, delectu et cenſura opus fuiſſet.

 Sed

Sed nihil in his omnibus magis offendere aiunt, quam quod multa in ipſo textu ſibi permiſerint, quae ei corrigendo Montaltus adhibuerit, quod ſane moleſtiſſimum legentibus accidat neceſſe eſt, cum nec emendationum ratio vlla detur, nec variantum adeo lectionum, cum tot bibliothecae ab eo excuſſae dicantur, mentio fiat. Sed ipſum ecce tandem operum conſpectum, vnde ea, quae ſecundo loco reprehenſa ſunt, non vana fuiſſe intelliges.

Primo igitur *Tomo*, qui Romae 1580. editus eſt, inſunt, quae ad librum Geneſeos ſpectant vſque ad cap. 49. ſiue: de operibus ſex Dierum, de Paradiſo, de Abel et Cain, de Abraham Patriarcha et aliis, de Bono mortis, de fuga ſeculi, de benedictionibus Patriarcharum, *de dignitate conditionis humanae, de Arbore interdicta*, de Noë et Arca, de Iſaac et anima, de Iacob et vita aeterna, de Ioſeph patriarcha; *Annotationes in Exodi cap. 8. 16. 24. 30. 32. Leuitici cap. 10. 12. 26. Numerorum c. 33. Tractatus de 40. manſionibus Filiorum Iſrael; Annotationes in c. 22. Deuteronomii, in cap. 11. libri ſecundi Regum ſub titulo prioris Apologiae Dauid; Apologiae poſterioris Dauid lib. I.;* in lib. III. Regum de Elia et ieiunio; *de Ieiunio Eliae in eadem capita;* de Nabuthe Iezraelita in cap. 21. libr. III. Regum. *Annotationes in cap. 6. libr. IV. Regum.*

Tomo ſecundo, qui a. 1581. prodiit, inſunt: In Librum Tobiae, ſiue aduerſus foenoris, foeneratorisque prauitatem l. 1. In Librum Iob., ſiue de interpellatione S. Iob. l. IV. In eiusd. Libri caput ſeptimum Sermo. In Librum Pſalmorum Argumentum. In Pſalmum 1. 21. 34. 36-41. ſiue de interpellatione Dauid. In Pſalmum 42. ſiue de interpellatione Dauid. In Pſalmum 43. 45. 47. 48. 50. ſiue de Apologia Dauid. In Pſalmum 61. 62. ſiue de interpella-

pellatione Dauid. In Pſalmum 104. 109. 117. In Pſalmum 118. enarr. 22. In Librum Prouerbiorum ſ. de Salomone. In idem caput fragmentum enarrationis. In caput 31. Prouerbiorum ſ. de muliere forti enarratio. In caput 4. libri Eccleſiaſtes, Exhortatio ad Clericos. In Libri Eccleſiaſtici caput tertium Sermo, et in cap. 52. enarratio. In Hieremiae cap. XVII. enarratio. In Danielis cap. XIII. ſermones duo. In Ionae prophetae cap. 3. et 4. enarrationes duae. In Michaeam prophetam obſſ. duae. In Haggaei cap. I. et II. Obſeruatio. In Malachiae cap. I. ſermo.

Tomus tertius, qui ante omnes a. 1579. fuit editus, exhibet:

Commentaria in Euang. Lucae, l. X. et in Epiſtolas omnes Pauli; Commentarium tamen in Ep. ad Hebraeos in fine mancum.

Tomo quarto, a. 1583. edito continentur:

De off. l. III. tractatus in Symbolum Apoſtolorum, de fide ad Gratian. l. V., de Sp. S. ad eundem l. III., de filii Diuinitate et conſubſtantialitate contra Arianos l. I., de myſterio Paſchae, de paſchalis celebritatis ratione enarratio, de Satyri fr. obitu, de fide reſurrectionis, de initiandis, de ſacramento l. VI. de ſacerdotum dignitate, de poenitentia contra Nouatianos l. II. de Virginis inſtitutione, hortatio ad Virginem, ad Virg. deuotam, ad Virg. lapſam, de Virginibus ad Marcellinam Sor. l. III., de Vocatione omn. gent. l. II.

Tomo quinto, qui a. 1585. prodiit,

Sermones de tempore LXVII. Conciones pro variis actionibus VI. Sermones de Sanctis per annum XXXVI. Epiſtolarum libri octo. Precatio prima praeparans ad Miſſam. Precatio ſecunda ad idem. Hymni

Hymni XXXIV. diuerſis temporibus concinendi. *Opuſcula item Ambroſio adſcripta, quae non ſunt eius:* Commentarii in Apocalypſin b. Ioannis. De vitiorum virtutumque conflictu Liber ad Simplicianum. Expoſitio fidei ſ. Symboli Nicaeni explicatio contra Arium et Photinum, cum notis Wilhelmi Damaſi Epiſcopi Ruraemundenſis. — De Spiritu S. libellus ſ. fragmentum. — De Concordia Matthaei et Lucae in genealogia Chriſti deſcribenda Tractatus. De Poenitentia Liber. Ad poenitentiam agendam exhortatio. De origine et moribus Brachmanorum Tractatus. Expoſitio in Canticum Canticorum e libris B. Ambroſii excerpta ab Antonio Demochare.

Tomus ſextus denique a. 1587. editus comprehendit:

Poſt literas Priuilegii Sixti V. P. M. Epiſtolam ad Lect. de Stylo et Diſtinctione operum Ambroſij. Sermonem de Purificatione S. Mariae Virginis nunquam antea excuſum et e vetuſtiſſimo exemplari MS. monaſterii Meſſanenſis S. Placidi erutum. Vitam S. Ambroſii a Caeſare Card. Baronio collatam. Vitam eiusdem a Paulino Presb. conſcriptam. Indicem locorum S. S. quos Ambroſius libris ſuis paſſim explicuit. Indicem alterum Verborum ac Rerum. Notationes ex P. Nannii et aliorum ſcholiis ſelectas, ad h. ed. vſum accommodatas.

1580.

Pariſ. 8. D. Ambroſii Epiſtolae duae ad Valentinianum Imp. etc. cum *Epiſtolis Symmachi a Iureto* editis. a p. 304.

1586.

Pariſiis per Io. Mettayer. (c. inſigni magnae Nauis) f. S. Ambroſii opera ad Editionem Romanam

nam emendata. *Tomis V. Voll.* 3. al. Tomis IV. Voll. 2. Prius habet *Cat. Bibl.* Caſanatenſis, poſterius *Cat. Bibl. Reg. Pariſienſis.* Tres priores tomi iuxta exemplar Romanum expreſſi ſunt, reliqui, quoniam longius protrahi videretur Romana, a Theologis Pariſienſibus peculiari opera caſtigati. Cf. *Poſſevinus.* p. 55.

1588.

Lugduni. S. Ambroſii Expoſitio et Sermones in Euangelia; in *Bibl. Homiliar. Cumdii* ſparſim.

1589.

Pariſiis. D. Ambroſii Diſticha de variis rebus ſacris. In *Bibl. PP. T.* 8vo col. 1203.

1598.

[*Geneuae.* 8.] — Epiſtolae duae ad Valentinianum Imp. etc. cum *epiſtolis Symmachi a Lectio* editis a p. 553.

Saec. XVII.

1602.

Moguntiae, apud Io. Albinum. 8. S. Ambroſii de Officiis libri III. cum Ciceronis libris totidem de eodem argumento, e regione reſpondentibus collati.

1603.

Pariſiis, ſub inſigni magnae Nauis. fol. Tomis V. S. Ambroſii Ep. Med. Opera ex ed. Romana. Sacrae Scripturae contextum ad faciliorem lectorum intelligentiam, ex ipſa ſancti Doctoris lectione, et ex LXX. Interpretum, quos potiſſimum ſequitur,

 trans-

tranſlatione erutum complectente. In qua, quae vitio vel incuria erant adiecta, ſunt reiecta: quae ſublata, reſtituta: quae tranſpoſita, repoſita: quae deprauata, emendata: omnia ad veterum manuſcriptorum et emendatorum codicum excuſorum fidem ſumma cura examinata et aliorum Patrum lectione priſtinae integritati ac puritati reddita.

Eſt plenior hic titulus ex Romana editione, vt ex Montalti verbis ſupra allatis patet, deſcriptus. Quinque Tomis omnia ita comprehenſa ſunt, vt Vitae Ambroſii, vna cum Baronii ad Card. Montaltum epiſtola (d. ex oratorio S. Mariae ad Vallicularn. Idib. Decembr. 1583.) Primo ab initio acceſſerint, easque tantum a limine praecedant Montalti dedicatio et praefatio ad Lectorem. Priuilegium Sixti V. in ipſius tituli pagina auerſa legitur. Indices ad calcem quinti ſunt reiecti. Primo inſuper tomo ante reliqua opuſcula, quae ſub annotationum nomine ibi exhibentur, inſertae ſunt Epiſtolae tres, ad Horontianum duo, de diuiſione ſex dierum, et homine poſt beſtias creato, tertia ad Sabinium de Paradiſo. Textus impreſſus eſt columnis ſectis.

1604.

Pariſiis. S. Ambroſii Epiſtolae duae ad Valentinianum Imp. c. alia ad Eugenium Imp. eodem de argumento. Cum *Symmachi Epiſtolis* a p. 318.

1609.

Pariſiis. 16. S. Ambroſii de officiis l. III.

1614.

Pariſiis, ſub inſigni Magnae Nauis. f. Tomis V. S. Ambroſii Opera, impreſſione ad editionem Romanam facta.

Franco-

✲ ✲

Francofurti. S. Ambroſii Epiſtolae VII. de poteſtate Imperiali, et Epiſcopali, et Oratio in Auxentium de Baſilicis tradendis etc. in *Goldaſti* Monarchia T. II. p. 1.

✲ ✲

Pariſiis. S. Ambroſii libri duo aduerſus Relationem Symmachi, in *Comment. Iſaaci Grangaei* p. 213.

1616.

Ingolſtadii. S. Ambroſius de inuentione S. Crucis ex Oratione de obitu Theodoſii Imp. — cum *Iſ. Gretſero* de S. Cruce. col. 1140.

1617.

Neapoli Nemetum. 8. S. Ambroſii Epiſtolae duae ad Valentinianum etc. in calce *epiſtolarum Symmachi* ex rec. *Ioh. Phil. Parei* p. 468.

1621.

Francofurti. S. Ambroſii Epiſtolae VII. de poteſtate Imp. etc. in *Goldaſti Monarchia* S. R. I. p. 313.

1624.

Pariſiis. f. S. Ambroſii Diſticha de variis rebus ſacris; in *Bibl. PP.* T. 8vo p. 941.

1634.

Antwerpiae. f. S. Ambroſii Epiſtola ad Epiſcopos Aemiliae de Feſto Paſchali: cum *Aegid. Bucherio* de doctrina temporum.

1642. 1643.

Pariſiis, ſub inſigni Magnae Nauis. f. To. V. 2 Voll. S. Ambroſii Opera omnia ex editione Romana,

mana, cum duplici eiusdem Sancti Vita, tum a Caeſare Baronio, tum a Paulino Presb. conſcripta; et cum notis Petri Nannii, et aduertentiis *Ferdinandi Veloſilli.* Editio ſecunda aucta.

1643.

Antwerp. f. S. Ambroſii Vita S. Sebaſtiani; in *Actis SS.* per *Bollandum* p. 265. d. XX. Ian. To. 2.

1644.

Argentorati, ex officina Io. Phil. Mülbii. 12. Diui Ambroſii Ep. Med. de Officiis libri tres.

Edidit *Io. Henr. Boeclerus*, qui vberiori eos alloquio nuncupauit Conrado Barthio et Chph. Kerſtenio Iuuenibus, quo loco de vi et ambitu nominis officii fuſe diſputat.

1662.

Pariſiis. S. Ambroſii Sermones. In *Bibl. Concionatoria Fr. Combefiſii* ſparſim.

1668.

Pariſiis. S. Ambroſii Epiſtola ad Attonem Ep. Vercellenſ. *de nuptiis non probandis inter virum et eiuſdem viri ſpiritualis patris filiam.* In Spicilegio Dacherii.

* *

Londini, typis T. R. S. Ambroſii tractatus, in quo loca, doctrina et mores Brachmanorum deſcribuntur — cum *Palladio Galata* de Gentibus Indiae et Brachmanibus, editus ab *Edwardo Biſaeo.*

1685.

Pariſiis. 8. S. Ambroſii Confeſſio Fidei. Expoſitum de Canticis Cantic. Recapitulationes de paradiſo,

diſo, fonte, ac fluminibus et ligno vitae; *tum* de ſerpente, deque excuſatione peccati Adae; in *Iac. Hommey Supplemento PP.* a p. 259 ſqq.

1686-90.

Pariſiis typ. et ſumtib. Ioh. Bapt. Coignard. via S. Iacobi ſub Bibliis aureis. f. Tomis II. 2 Voll. S. Ambroſii Med. Ep. Opera ad Manuſcriptos Codices Vaticanos, Gallicanos, Belgicos etc. nec non ad editiones veteres emendata *ſtudio et labore Monachorum Ordinis S. Benedicti, e Congreg. S. Mauri.* Tomus Primus. Alter ib. ap. eund. et fil. Io. Bapt. 1690.

Superiorum editionum vitia et incommoda bene perſpecta atque cognita habuerunt editores *Iac. du Friſch* et *Nic. le Nourry*, nec defuit illis, quicquid ex Codd. MSS. vetuſtis expectari poterat auxilii; ipſi pectus probe Ambroſiani ingenii latice perfuſum et penitiori eius doctrina delibutum gerentes atque in ſe quantum eſſet de eo condecorando praeſidii confiſi, hanc potiſſimum ſibi ſperabant atque exoptabant felicitatem, vt Ambroſianis libris totis tandem ſua opera expolitis haeretici conuerterentur, in quo negotio armis profligando tunc ſemel Ludouici XIV. pietas accenſa eſſet. *) Quamobrem hanc ſibi ab initio ſtatim legem

*) Non aliud quidquam, inquiunt, magis declarat, quanta doctrinae atque eloquentiae vis fuerit in Ambroſio, quam Auguſtinus ab errore ad veram fidem Doctoris noſtri opera et concionibus reuocatus. Hac quippe vna victoria ſibi trophaeum ac monumentum aere perennius erexit ſanctus hic Praeſul. Vtinam vero neotericis etiam heterodoxis Magni Auguſtini exemplum imitari libeat! Illud profecto iure affirmare poſſumus, de Chriſti praeſentia in Sacramento, de poteſtate atque clauibus Eccleſiae, de neceſſitate bonorum

legem ſcripſerunt, vt nullam omnino, cuiuscunque ea eſſet, coniecturam in textum admitterent; quo imprimis tela, quae aduerſarii eccleſiae Catholicae perpetuo contra Ambroſii auctoritatem torquerent, ereptum iri ſibi perſuaſum habent. Atque vt legendo illud conſtaret, codd: non ſolum catalogum ad calcem voluminis exhibuerunt, quibus ad ſingulos tractatus recognoſcendos vſi eſſent, ſed ſingulis etiam paginis in inferiori margine, quid et qua auctoritate commutatum eſſet, annotarunt, adiectis quae momenti alicuius eſſe viderentur reliquis codicum lectionibus. Diligentiores etiam in ſcripturae locis, qui ab Ambroſio citantur, ſe fuiſſe pollicentur, quorum varietates interdum etiam haud ita graues, non ſolum ex Ambroſii codicibus, ſed e diuerſis quoque bibliorum idiomatis enotaſſe ſe affirmant. Porro ſubmouerunt longiores illos contextus, quibus in Rom. ed. libri et capita ſingula diſcerpebantur, ſed retinere placuit breuiora quaedam vetera argumenta, at, quatenus ſenſum minus perſpicue vel minus latine repraeſentarent, correcta. Atque vt iunioribus potiſſimum theologis conſulerent, receptam iam olim tractatuum in capita diuiſionem retinuerunt, ipſa capita in ſectiones diſtribuerunt, voces obſcuras aut parum vſitatas, nec non ea, quae ad hiſtoriam, diſciplinam atque doctrinam ſpectarent, explicuerunt. Quod in ſecundo Tomo

norum operum, veneratione reliquiarum, beatorum caelitum inuocatione tam diſertis verbis locutum eſſe Ambroſium, vt nihil apertius aequo prudentique lectori expetendum ſit. Caeterum cum inter alia iſti refractarii codicum editorum deprauationem criminentur quam inuidiſſime, editionem noſtram *hoc tempore, quo Regis pietas omnem ſuam auctoritatem ad haereticorum conuerſionem confert*, ſperamus non ſine fructu exiturum.

Tomo frequentius atque fuſius quam in Primo accidit. Vniuerſe autem de hiſce annotationibus iterata vice teſtantur doctioribus non eſſe ſcriptos. Iam vero in diſpertiendo opere cum neque Romana neque Eraſmiana ſatis ipſis probaretur, quod vtrobique multa eſſent proprio ſuo loco non poſita, nec legitima ab adulterinis ſecreta, tres tomos facere placuit, quorum duo priores genuina, tertius, appendicis loco, ſuppoſititia contineret. Et vt hac noua etiam diſtributione Romanam non prorſus defererent, primo ea, quae ad Scripturae expoſitionem pertinerent, altero reliquas eius commentationes, epiſtolas et orationes complexi ſunt, quibus omnibus admonitiones de aetate, propoſito auctoris, et aliis id genus quaeſtionibus praefiguntur. Quod ſuppoſititia autem attinet, non contenti ab legitimis ea ſecreuiſſe, partem aliquam in quibus videlicet fraus aut ignorantia hominum male feriatorum manifeſta appareret, abiecerunt, non omiſſis tamen, quibus ad ſingula loco mouenda compulſi fuiſſent, rationibus. Denique haud poſtrema illis cura fuit, naeuos Ambroſii imprimis in Scripturae interpretationibus, dum Origenem imitando vbique allegorias et ſenſum myſticum captat, conſpicuos, cum in praefatione, tum in admonitionibus et notis pro viribus obtegere aut excuſare, nec minus vero neruos intenderunt, quo eas aſſertiones, quas ex Ambroſio pro variis fidei ſuae formulis ducere ſolet Romana eccleſia, ſuo denuo conuocio adſtruerent. Nuncuparunt Benedictini opus Ambroſianum Franciſco de Harley Archiepiſcopo tunc Pariſienſi. Poſt literas dedicatorias et praefationem ad Lectorem ſubiecta ſunt in Tomo primo ſelecta Veterum Teſtimonia de S. Ambroſio; ſubnectuntur autem primo et ſecundo indices locorum Scripturae, verborum et phraſium locupletiſſimi. Quod typotheticas dotes attinet,

attinet, haec quoque editio nulla reliquorum Patrum, qui Benedictinorum obſtetricias manus experti ſunt, eſt deterior.

1698.

Stutgardiae, ſumpt. et lit. Melch. Gerh. Lorberi. 8. Diui Ambroſii Ep. Med. de Officiis libri tres. Cum Commentatione loco Manuductionis ad Philoſophiam Moralem et Iurisprudentiam Naturalem et Chriſtianam veterum Eccleſiae Doctorum Michaelis Foertschii SS. Theol. D. et PP. Tub. nec non Stipend. ibid. Superattend.

Comparatus eſt liber in vſum Stipendiatorum Ducal. Tubingae. Commentatio in titulo laudata quinque diſſertationibus conſtat, quorum argumenta ſunt ſequentia: *De officiis Ambroſii, de Patrum Philoſophia Morali, de natura et indole officii iuxta diſciplinam moralem ad lib. I. de officii efficientia ad lib. II. de comparatione officiorum ad lib. III.* Ad Boecleri editionem eique praefixam praefationem ſaepius reſpicit. Inſcripſit Duci Eberhardo Ludouico.

Saec. XVIII.

1770.

Venetiis ex typogr. Io. Bapt. Albritii. f. S. Ambroſii Med. Ep. Hiſtoriae de excidio vrbis Hieroſolymitanae libri quinque, ſub ementito *Egeſippi* nomine paſſim euulgati: nunc vero eidem S. Doctori reſtituti, ac recenſiti. Acceſſerunt Hymni tres ex MS. codice Vaticano deſcripti atque inter opera Thomaſiana nuper editi; in *Bibl. Vet. PP.* cur. *Andrea Gallandio T. VII.* p. 655-772.

Auctor huius Bibliothecae iam pridem aegre ferens hunc librum, qui ipſi veriſſimus Ambroſii foetus videba-

videbatur, a tam multis iisdemque doctis ac ſagacibus viris eidem abiudicari, compluribus literarum monimentis congeſtis ac digeſtis ſe accinxerat ad Ambroſio quod deberetur pro viribus vindicandum: quum ſubito in manus eius incidit *Alexii Symmachi Mazocchii* luculenta plane hac de re diſſertatio,*) qua omni argumentorum genere opus illud docte ſimul et acriter Ambroſio aſſeruit. Promtum erat conſilium; abiectis incunctanter, quae in eandem ſententiam ipſi praeſto erant, ne actum ageret, ipſam Viri laudati lucubrationem, ex VII. tamen capitibus in V. contractam, Prolegomenis ſuis cp. XX. p. XXVIII ſqq. inſeruit.

Codices. Immenſa eſt librorum MSS., quibus Ambroſii ſcripta condita ſunt, copia. Nulla fere bibliotheca vetuſtior, imprimis vero coenobiorum et eccleſiarum cathedralium eſt, quin plures eius libros diuerſae aetatis et conditionis praebeat. Primis autem circa typographiam inuentam temporibus non moris erat, codices curioſius ſeligere et explorare. Igitur nec deſcribere, nec indicare quidem opus facile ducebant: tantum abeſt, vt de *Amerbachianis* aut *Eraſmianis* libris poſt ipſos edocearis, nedum vt a ſuperioribus editoribus hoc expectare poſſis. *Gelenius, editio Pariſienſis apud Cheuallonium* facta et *Ludouicus Miraeus* complures codices appellant, ſed non indicant. Nec multo diſertius *Coſterius Codices Coenobiorum S. Iacobi* et *Laurentii, Leodii*, tum *Haffliginienſis* haud procul *Bruxellis* et *Parcenſis* prope *Louanium* commemorant. Duo ſigillatim notat *Codicem S. Laurentii* Epiſtolarum Ambroſii, vetuſtum

*) In Eiusd. *Comment. in Kalend. eccl. Neap.* Vol. III. pgg. 780-792.

vetuſtum et nitidum, qui inſignem Variarum LL. copiam praeberet et *Codicem Anglicanum Ricardi Brandisbaei* aliis ſimilibus longe potiorem. Complures *codices Bibliothecarum Pariſienſium, S. Victoris, Dionyſii* et *S. Germani ad Pratum* haud nominatim indicatos *Io. Gillotius* in vſum vocauit. *Romanae editionis* copias prorſus ignoramus, nec ſi ſciremus, multum prodeſſet, cum omnia pro arbitrio, non ad rationes criticas, curatores illius mutauerint. Sed hoc facile pro ſe quisque animaduertat, vnumquemque Ambroſii editorem iis codicibus, vtpote ſat multis, fuiſſe contentum, quorum in propinquo eſſet occaſio. Idem plane in Benedictinorum recenſione occurrit, qui ingentem librorum MSS. copiam, ſed ex Gallicis plerumque Bibliothecis ac non adeo procul Pariſiis extantibus adhibuerunt, quos nec deſcribere nec enumerare quidem ordine continuo ſuſtinuerunt, ſed vt ad vnumquemque librum codices praeſto fuerunt, ita laudant et identidem eosdem libros MSS. in ſubiectis Tomo vtrique indicibus, addita plerumque aetatis aeſtimatione recenſent. Iuxta alphabeti ſeriem hi ſunt: *Albinianus*, *Alnetinus*, *Audoënianus*, *Beluacenſis*, *Benignianus*, *Carnutenſis*, *Carolilocenſis*, *Claromontanus*, *Coenomacenſes*, *Colbertini*, *Compendienſis*, *Corbeienſes*, *Creſpienſis*, *Dionyſianus*, *Ebrulphenſis*, *Fiſcanenſis*, *Floriacenſis*, *Fulientinus*, codex *S. Gatiani apud Turones*, *Gerneticenſis*, *Illidiani*, *Foyacenſis*, *Laetienſis*, *Laudinus*, *Laudunenſis*, *Longipontinus*, *Lyrenſis*, *Mazarinus*, *Michaelinus*, *Nauarrici*, *Pratellenſis*, *Pontiniacenſis*, *Regiomontanus*, codex *Regius*, *Remenſis*, *Remigianus*, *Sagienſis*, *Sangermanenſes*, *Sorbonici*, *Tellerianus*, *Theodoricenſis*, *Thuanei*, *Tornacenſis*, *Valliclarenſis* (Vallis-Clarae), *Vallilucenſis* (Vallis-Lucentis), *Vaticanorum lectiones*, *Victorini*, *Vindocinenſis*.

cinenſis. Accedunt ad quos praeter iam laudatos libri in appendicem reiecti ſunt caſtigati: *Baluzianus, Beccenſis, Lugdunenſis* et *Souchetianus.*

19.

MARTINVS TVRONENS.

Sabariae Pannoniarum oriundus, natus circa a. 316. *ſed intra Italiam Ticini altus eſt parentibus ſecundum ſaeculi dignitatem non infimis, gentilibus tamen. Pater eius miles primum, poſt tribunus militum. Ipſe armatam militiam in adoleſcentia ſecutus, inter ſcholares alas ſub rege Conſtantino: deinde ſub Iuliano Caeſare militauit: non tamen ſponte,* quia mature admodum et, ſi credere licet, a prima adeo infantia vitam religioſam ſeu monaſticam appetebat. *Sed cum edictum eſſet a regibus, vt veteranorum filii ad militiam ſcriberentur, prodente patre, qui felicibus eius actibus invidebat, cum eſſet annorum quindecim, raptus et catenatus ſacramentis militaribus implicatus eſt.* Per hoc ipſum tamen militiae ſuae tempus Catechumenus factus eſt. Quam primum autem miſſio a militia data eſt, Hilarium Pictaui epiſcopum, cuius tunc in Dei rebus ſpectata et cognita fides, adiit, atque aliquamdiu apud eum commoratus ad parentes reuiſendos et, quod vitae eius auctor Hilarii conſiliis tribuit, ex paganiſmi erroribus exſoluendos patriam rediit, vbi matrem quidem ad ſanctiorem Dei cultum traduxiſſe fertur, patre in malis perſeuerante. Omnino autem male habitus et ſuppliciis affectus eſt in Illyrico propter Arianam haereſin, quae tunc per iſtas regiones late ſerpebat, quamque ille nullo non modo impugnare ſtudebat. *Igitur Italiam repetens, cum intra Gallias quoque diſceſſu Hilarii turbatam eccleſiam comperiſſet, Mediolani ſibi mona-* §. 1. Vita.

monaſterium ſtatuit, ſed ab Auxentio, Arianorum in ea vrbe et per omnem paene Italiam tunc *auctore et principe, inſectatus et exturbatus ad inſulam Gallinariam ſeceſſit, presbytero quodam comite.* Deinde cum Hilario a. 360. Gallias redeundi poteſtas eſſet facta, ad eundem rurſus, quam celerrime potuit, accurrit *ac gratiſſime ab eo ſuſceptus haud longe ſibi ab oppido monaſterium collocauit.* Inde circa a. 371. ad epiſcopatum eccleſiae Turonicae petebatur et cum reluctaretur *et erui e monaſterio ſuo facile non poſſet,* dolo eductus et plaudente multitudine ad ſacerdotium raptus eſt, paucis tantum inuitis, qui *contemtibilem eſſe perſonam, indignum epiſcopatu, hominem vultu deſpicabilem, veſte ſordidum, crine deformem* criminabantur. Tum vero magis etiam fama de eo percrebeſcere et in vulgus emanare coepit, et tanta vndique viſendi eius cauſa et miracula poſtulantium confluxit multitudo, vt ab vrbe ſecedere et in huius propinquo locum monaſterio quaerere cogeretur, cui ſumma cum grauitate ad finem vſque vitae praefuit, quod octuageſimo anno die XI. Nouembris a. 399. vel 400. vel, quae magis adhuc recedit ſententia, 397. contigit.

Virum ſanctum et pium ſummaque in Deum religione deuotum fuiſſe non dubitamus. Sed cum plane exſors literarum ab ineunte aetate manſiſſet, naturaque ipſi eſſet ingenium viuidum, fieri aliter vix potuit, quin vacuus ab omni labore inter continuas preces interdum a mente abeſſet. Quodſi adeo deliraſſe eum credideris ac Vitae eius auctor inſulſiſſimus Sulpicius Seuerus memoriae prodidit, vereor, ne aduerſarii eius fide ſint digniores, qui ſtuporem oris, deformitatem habitus et ſordes veſtium in contemtum ei ducerent; quippe cui ipſe bonus Sulpicius aliud intendens tribus Anticyris inſanabile caput exprobrauit.

brauit.*) Nec humilitatem cordis valde in eo demiretur, qui, quantis poſt patratum bonum opus ſomniis inquietaretur, lepidiſſime apud eundem Sulpicium narratum legerit.**)

§. 2. Scripta. Fertur ſub Martini huius nomine vnius paginae *Confeſſio Fidei de S. Trinitate,* quamquam non defuerint, qui non illius arbitrarentur.

§. 3. Editiones. Prodiit primum a. 1511. ex editione Iodoci Clichtouei, tum emendata et illuſtrata per Thomam Beauxamis a. 1571. Inſerta deinde in omnibus fere Bibliothecis PP. Conciliorum tomis et aliis collectionibus diligenter recognita eſt a Caſparo Barthio, Combefiſio et Chriſt. Daumio. Nuperrime Gallandius Thomae Beauxamis editionem retractauit. Sequitur ſeries editionum.

1511.

Pariſiis, apud Io. Paruum. 4. cum ſequentibus opuſculis: *Sulpicii Severi* de Vita ſancti Martini libri duo, *Odonis Cluniacenſis* de ſancto Martino. *Gregorii Turonenſis* edita ab *Hieronymo Chlictovaeo.*

Iodocum Clichtoveum, virum multis et propriis ſcriptis et aliorum editis iſto tempore clarum, primum Martini confeſſionem a. 1512. cum aliis veterum auctorum opuſculis edidiſſe, quotquot de Martino literis aliquid conſignarunt, conſtanter aſſeuerant, praeter

*) *Sulpic. Sev.* in Vita Mart. cap. VI. n. 5. *Hic* (in inſula Gallinaria) *aliquamdiu radicibus vixit herbarum: quo tempore elleborum, venenatum, vt ferunt, gramen, in cibum ſumſit. Sed cum vim veneni in ſe graſſantis vicina iam morte ſenſiſſet, imminens periculum oratione repulit, ſtatimque omnis dolor fugatus eſt.*

**) c. III.

praeter Auctores Hiſtoriae litt. Galliae,*) qui Hieronymum appellant. Erat is affinis Iodoci, fratris eius filius, quod ad huius opuſculi titulum obſeruat nuperus Bibliothecae Lelongianae editor.**)

1514.

Trajecti. . . . . S. Martini Tur. Ep. Profeſſio Fidei de Trinitate. Ex priſcis membranis edita a *Theod. Pulmanno* Craneb.

1566.

Pariſ. . . . . 8. vide ſequentem editionem.

1571.

Pariſiis. . . . . Sulpicii Severi de vita beati Martini liber, cui ipſius Turonenſis praeſulis profeſſio Fidei de Trinitate ſubiicitur.

Libellus admodum rarus, quem manibus verſauit atque ſecutus eſt Gallandius, cuius propterea de eo notitiam hoc loco repetere non abs re erit. Prae caeteris, inquit, commendanda videtur Thomae Beauxamis ſollertia; qui tres vetuſtiſſimos codices nactus, eorum collatione diligenter inſtituta, eumdem ſancti praeſulis Turonenſis libellum breui commentario illuſtratum ſubiectumque vitae beati Martini a Sulpicio Severo conſcriptae, prelo commiſit Pariſiis anno 1571. Quandoquidem vero hanc editionem reliquis multo emendatiorem ſecuti ſumus, qui praeterea inter rariores recenſetur; iuuerit proinde nonnulla ex eodem Pariſienſi editore in medium proferre, quibus, dum

*) Tom. I. p. 417.

**) *Le Long* Bibl. Hiſt. de la France ed. par M. *Fevret Fontette.* Tome prem. (Par. 1767. f.) p. 663. n. 10275.

dum ille ſtudium ſuum in hanc opellam impenſum prodit, eius pariter ſiue integritatem, ſiue pretium adſtruit. Sic igitur ille: „Tria, inquit, e diuerſis bibliothecis volumina mihi prolata ſunt, quae manus ipſa, ſatis antiquiſſima eſſe conteſtabatur: characteres enim cum aliis, qui ante mille annos in uſu erant, collati, perſimiles omnium teſtimonio habiti ſunt. Porro tribus hiſce voluminibus emendicatis, triplex Severi Sulpicii hiſtoria contexebatur. — Verum quum primo in libri cuiusque veſtigio *compendium noſtrae fidei* a D. MARTINO conſcriptum agnoviſſem; obſtupui ſane, cur, quum toties Severus e prelis prodiret, illius ne mentio quidem facta ſit. Sed, ut arbitror, praeter characterum antiquitatem, rei ipſius eos difficultas deterrebat. Nec enim ſuis periodis, virgulis caeteriſve notulis contextus definiebatur: adeo ut quibusdam ambiguus, aliis mancus, omnibus abſtruſior appareret. Nam quum ſumma breuitate rem omnium difficillimam complectatur; quis inter dictiones incircumſcriptas adeo perplexas, quid certi dicere potuiſſet? — Operae pretium igitur duxi, ſuis punctis, quaſi vinclis, effluentes dictiones cohibere, ſicque facile D. MARTINI *Confeſſionem* reddere. Et ne quid deeſſet, adnotatiunculas addidi, ne cuius vocis obſcuritas diutius lectorem ſuſpenderet." Deinceps vero noſter editor Pariſienſis libelli praeſtantiam ediſſerere pergens, complures haereſes hac ſua Confeſſione B. Martinum euertere oſtendit, Ebionis, Cerinthi, Marcionis, Manetis, Apollinarii, Arii, Macedonii ac Eunomii. Quibus enarratis, ita concludit: „Vides, Chriſtiane lector, ut compendioſe multas haereſes noſter Martinus enecet? Illis quippe temporibus extitit, quibus aut qui Trinitatem, aut qui unicam divinitatem evertere nitebantur, pullularunt. — Expende vero, quot ſchiſmata, factiones et ſectae, quo tem-

pore floruit, emerſerint: tum facile agnoſces non abs re hanc de Trinitatis et unius divinitatis fide editam ſententiam.“ Haec ille. Quae quidem omnia ſi quis accurate perpendat, arguet enimuero, mea quidem ſententia, nonnullos viros eruditos eiusmodi Confeſſionem minus recte ſuſpectam habuiſſe; quae nimirum in primis vetuſtiſſimorum codicum fide et auctoritate munitur: digna plane quae cum *Expoſitione fidei* Gregorii Thaumaturgi conferatur, ſi paucas demas duriuſculas voces, librariis forte vitio vertendas. Laudatur Editio Thomae Beauxamis de anno 1566. in *Catalogo Bibl. Bodlej.* ed. nou. voce *Martinus Tur.*

1575.

Pariſiis. fol. S. Martini profeſſio Fidei *in Bibl. PP. de la Bigne Tomo V.* p. 765.

1586.

Pariſiis, apud Sebaſt. Niuellium. 4. S. Martini Epiſcopi profeſſio fidei catholicae de Trinitate; in *Veterum aliquot Galliae* Theologor. ſcripta per *Petrum Pithoeum.*

1589.

Pariſiis. ſol. Profeſſio fidei facta a B. Martino Archiepiſcopo Turonenſi; *in Tomo IV. Bibl. PP. Bign.* p. 1099.

1610.

Pariſiis. f. S. Martini Profeſſio fidei; *in Bibl. PP. Bign. T. IV.* p. 985.

1618.

Coloniae Agripp. fol. S. Martini Ep. Turonenſ. profeſſio fidei; in *Bibl. PP. Tomo IV.* fol. 933.

1623.

1623.

Francofurti, typ. Wechel. 8. B. Martini Tur. Ep. profeſſio fidei de Trinitate, ex ed. Pithoeana in *notis Caſpari Barthii ad Galli Confeſſoris* Chriſt. Doctr. Compend. p. 120-123.

Ad manum erant editio Pulmanniana et exemplar a Theod. Pullmanno ex membranis priſcis deſcriptum, quod Lugduni Batau. ex Raphelengiorum Bibliotheca Barthius redemerat. Ex vtroque paucas lectiones variantes adiecit. Titulum in membranis eſſe dicit: *Sancti Martini Sabarienſis Pannonii de Trinitate liber;* ſequi deinde Martini Epiſcopi (Dumienſis) librum, qui *formula honeſtae Vitae* inſcribitur. Fatetur B. obſcura in tam paruo de maximis rebus libello pleraque omnia eſſe, quae illuſtrare velle, operae ſit non perfunctoriae.

1644.

Pariſiis. fol. Profeſſio Fidei facta a b. Martino Archiep. Turon. *in Tomo IV.* ed. *Bibl. PP. Bign.* huius anni nec non alterius, quae a. 1654. prae ſe fert.

1662.

Pariſiis. fol. S. Martini Sermo de Sancta Trinitate; in Tomo VIII. *Biblioth. PP. Concionatoriae Franc. Combefiſii* p. 470.

Adhibuit Combefiſius codicem ex Bibl. Card. Mazarini, ſed ita in eo, inquit, vitioſum, vt non viſum ſit repraeſentare: id inde factum videtur, quod antiquarius ex vetuſtioribus membranis aut ceris non ſatis feliciter potuerit exſcribere.

* *

Cygneae . . . . S. Martini Sabarienſis Pannonii Ep. Turon. profeſſio Fidei de Trinitate; cum *Hieronymi*

nymi Theol. Graeci dialogo de Trinitate et *Gennadii Scholarii* dial. III. de via ſalutis hum. ex ed. *Chriſt. Daumii.*

1677.

Lugduni, apud Aniſſonios. S. Martini profeſſio Fidei in *Tomo IV. Bibl. PP. Max.* p. 1084.

1770.

Venetiis, ap. Io. Bapt. Albritium. f. S. Martini epiſcopi Turonenſis, Trinae vnitatis et vnius Trinitatis Confeſſio; in *Andreae Gallandii Bibl. Vet. PP. Antiquorumque Script. Eccleſiaſt. Tomo VII.* p. 599. de cuius opera iam ſupra nobis dictum eſt. Pertinet autem ad *Martinum* cap. XVIII. prolegg. p. XXVI.

20.

HIERONYMVS.

§. 1. Vita. Natus eſt *Stridone* oppido quondam in confiniis Dalmatiae et Pannonii ſito, quod a. 377. a Gothis late has regiones deuaſtantibus euerſum dicitur, cuiusque locum diuerſis rationibus hodie indagarunt et deſignarunt. De anno, quo natus ſit, grauior paulo diſceptatio eſt et implicatior: cum nonnulli ad a. 331. alii ad a. 340. ſ. 342. quin alii ad a. 346. natales eius referant. In hac ſententiarum diuerſitate ii, qui a. 331. vrgent, proxime a veritate abeſſe videntur.*) Pater erat Euſebius, qui, poſtquam filium domi haud perfunctorie inſtituendum curauerat, Romam miſit, vt

*) Ita S. Proſper in Vita eius, cui quamplurima Hieronymi loca optime accommodari poſſe oſtendit Stillingius ad Act. SS. T. VIII. p. 429.

vt Latinae linguae, rhetoricae et philoſophicis diſciplinis operam daret. Quod quidem felici ſucceſſu propter indolis bonitatem et aſſiduitatem non caruit, ſed moribus paulo diſſolutior fuit, vt identidem conqueritur. *) Tinctus vero ſacro fonte baptiſmatis, exeunte a. 362. iter in Galliam ſuſcepit et Treviris aliquando ſubſtitit, ibique Hilarii libros de Synodis et in Pſalmos explicationes in Rufini, amici tunc familiariſſimi, vſum deſcripſit. Hic quoque primum eum inceſſit ardor de vita emendanda et ad chriſtianam regulam conformanda. Sed ſingula ignoramus. Redux e Gallia a. 370. Aquileiae in conſortio Rufini et Gaudentii aliquantiſper vixit et primo quaſi guſtu monaſticae vitae imbutus eſt. Creditur etiam primum libellum, epiſtolam nempe *de Muliere ſepties percuſſa* hic ſcripſiſſe. Hinc neſcio quo ſubito infortunio decedere coactus a. 373. iter in Orientem parat et comitibus adiunctis Innocentio et Euagrio Antiochiam, per mare Aegaeum Thraciam, Bithyniam, Galatiam, Cappadociam et Ciliciam petiit, vbi alter comitum Innocentius diem obiit, ipſe vero cum morbo graui conflictatus eſt.

Probabile eſt morbo iſto alacritatem et animi vires aliquantiſper eſſe imminutas et quaſi reſtinctas ex eoque tempore accedentibus cum Innocentii morte, tum ſomnio, quod paganorum ſcriptorum lectione ipſi interdixiſſe fertur, ad triſtitiam et auſteritatem propenſiorem eſſe factum. Ex hoc ſane tempore vitam ſolitariam amplecti et adamare coepit, et poſtquam aliquamdiu ab Apollinari Laodiceae Epiſcopo, haeretico poſtea, interpretandorum librorum SS. rationem edoctus fuerat, a. 374. Antiochiam reliquit et deſertum, quod ab vrbe huius prouinciae primaria Chal-

*) Ep. V. p. 9. VI. 14. et al.

Chalcidene nomen traxerat, inter Euphratem fluuium et Antiochena iuga ſitum ſeceſſit.

Hic corpus ieiuniis et aſſiduo labore et aerumnis ferendis macerauit, animumque moerore et contritione continua de peruerſitate ſua compunxit et afflixit, nec tamen ingenium incultum iacere paſſus eſt, ſed partim epiſtolis ad familiares datis, partim commentariis in libros biblicos conſcribendis exacuit et extra limites deſerti ſui exſplendeſcere fecit. Attamen in hac remota ſolitudine non a vexationibus tutus fuit. Meletianae turbae Antiochiae adeo creuerant, totque aſſeclas Meletius nactus erat in his regionibus, vt Hieronymum, qui, quoniam ex Occidente huc delatus eſſet, Paulino addictior putabatur, non diu liceret tranquille ſententia ſua frui. Accedebat altera cauſa, lis ſuper voce ὑπόϛασις, ex quo Euſtathiani cum Paulino in Synodo Alexandrina a. 362. *tres hypoſtaſes* in Deo eſſe, contra ſententiam aduerſariorum, qui vnam tantum dicebant, defenderant. In hoc ancipiti rerum ſtatu ad Damaſum literis a. 377. et 378. ſcriptis ita confugit, vt ex eius arbitrio plane ſe pendere ſignificaret. Interea a. 378. ſ. 379. deſerto relicto Antiochiam ſe receperat, ibique a Paulino, cuius partes ſequebatur, quamquam inuitus, presbyter conſtitutus eſt, ea tamen conditione, vt liber ab officiis eccleſiaſticis maneret. Anno 379. ſ. 380. Conſtantinopolim ad Gregorium Nazianzenum viſendum et audiendum profectus tres ibidem annos transegit, cuius iucundiſſimae commorationis memoriam et vberrimos, quos ex familiari Nazianzeni vſu ad ſe deriuauerit, fructus non ſemel deinde grata mente praedicauit. Hic praeter alia ex Graecis ſcriptoribus Euſebii Chronicon transtulit.

Anno 387. moritur Meletius. Nec vero morte eius ignes ſub fauilla latentes extinguebantur, ſed in locum

locum eius Flauiano arrogato manſit vtriusque partis ſtudium. Vt enim Paulinum Italici cum Aegyptiacis et Arabicis Epiſcopis ſequebantur, ita Flauiani partes reliqui fere Orientis Epiſcopi. Videbatur diſſidium in concilio componi poſſe. Romae edicebatur ab Occidentalibus. Paulinus Epiphanio Salaminis Epiſcopo et Hieronymo comitatus a. 382. eo ſe contulit. Sed Meletiani venire renuebant ac Paulinum a congregatis Occidentalium prouinciarum Epiſcopis confirmatum nihilominus reſpuebant. Ad huius concilii acta pertinere videntur negotia ab Hieronymo geſta, cum *ſe in chartis Eccleſiaſticis iuuiſſe Damaſum et Orientis atque Occidentis ſynodicis conſultationibus reſpondiſſe* dicit. *) Pro eodem Damaſo etiam fidei formulam compoſuit, quam Apollinariſtis ſubſcribendam propoſuit.

Plurima etiam inter eos de literis ſacris erat diſputatio, cuius luculenta ſunt ſpecimina plures Hieronymi epiſtolae ad Damaſum etiamnunc ſuperſtites. Sed quod longe laude digniſſimum eius impulſu ſuſcepit, erat emendatio veteris latinae Bibliorum verſionis, quali tunc in eccleſia vtebantur. Sed fama eruditionis, eloquentiae ac pietatis etiam ad mulierculas percrebuerat, quarum complures ab eo inſtitui cupiebant. Quod animo ipſius tanti coelibatus et viduae vitae patroni **) longe exoptatiſſimum erat. Nec quicquam facile tanta aſſiduitate tantoque cum ardore egit, quam vt virgines ac viduas *ad ſaeculi huius contemptum*

*) Ep. CXXIII. al. XI. ad Ageruchiam.

**) Circa hoc tempus a. 384. librum *contra Heluidium de perpetua virginitate Mariae* ſcripſit, quem mox Epiſtola ad Euſtochium *de ſeruanda Virginitate* et alia ſecuta ſunt.

temptum prouocaret et ſuaderet, vt omne, quod in mundo cernerent, putarent eſſe pro nihilo.

Tirunculարum harum nomina et elogia paſſim in ſcriptis eius occurrunt. Ad complures etiam epiſtolae et libelli ſacram ſcripturam aut quaeſtiones ex ea petitas enucleantes pertinent. Sed haud paucis etiam conuenticulae inter ſanctiſſimum virum et nobiliſſimas vrbis feminas agi ſolitae diſplicuere. Palam et occulte cauillationibus et calumnia petebatur horridum et auſterum vitae genus, quod hoc monacho duce matronae tot ſpectabiles ſibi elegerant, vndeque nec conſanguineorum precibus et obteſtatione auocari, nec multitudinis fremitu, qui haud raro ad conuicia et minas proceſſit, auerti et retrahi poterant. Hieronymus autem tam parum curabat, quo gliſcenti inuidiae materiam ſubtraheret, vt potius epiſtolis et adhortationibus ad feminas iſtas ſcriptis et in vulgus ſparſis vltro pergeret odia potentiorum propinquorum et obtrectatorum ſuorum liuorem ciere, et ſtimulis quaſi ſubditis laceſſere, donec Damaſi, cuius patrocinio multum confiſus erat obitu, et morte Blaeſillae, Paulae filiae, virginis viginti annorum, quae ieiuniis et aliis id genus corporis ſimul et mentis afflictionibus contabuerat, vt grauiora, quae ipſi intentabantur, declinaret, accelerare diſceſſum coactus fuit. Sed cum iam antea ſaepius vrbis incommoda, et innumera ſanctitatis, ad quam adſpirare mulierculas docebat, in tanto hominum ſtrepitu et neceſſitudinum impedimentis pericula ingerendo Paulae oblique ſeceſſum ab Vrbe ſuaſiſſet, iam vel ſolo deſiderio ſui vel adhortatione addita eam cum Euſtochio filia ad viſanda ſacra Palaeſtinae loca pellexit, non ſine maxima aegritudine et indignatione eorum, ad quos cura harum feminarum pertinebat, vt et cordatiorum omnium. Diſceſſit a. 385. menſe circiter Auguſto

Pame-

Pameliano fratre comite atque abiens epiſtolam ad Aſellam illuſtrem feminam reliquit, qua egregie ad omnium querelas reſpondere et contumelioſorum hominum tela reprimere ſibi viſus eſt. Non multo poſt quam Antiochiam acceſſerat, eodem delatae ſunt Paula cum filia Euſtochio, quibuscum per hiemem ſubſequentem Palaeſtinam peragrauit, imprimisque ſolum Hieroſolymitanum vna perluſtrarunt. Ineunte a. 386. cum Paula in Aegyptum profectus eſt et Nitriae monaſteria inuiſit. Alexandriae Didymum, libros ſacros interpretantem, audiuit. In Palaeſtinam deinde eiusdem anni aeſtate reuerſis, cum domicilium in his regionibus ponere decreuiſſent, praeter omnes angulos, Bethleem, locus, in quo Salutis humanae reparator natus eſſet, arriſit, vbi initio *anguſto hoſpitiolo* contentos eſſe oportuit, donec monaſteria Paulae ſumptibus exſtructa inhabitare inciperent; in quibus ipſe quidem virorum viuendi rationem moderabatur, mulieribus Paula ad mortem vſque a. 404. inſecutam, deinde Euſtochium praefuit, praetereaque peregrinantium in ſancta haec loca manſiones munificentia eorum paratae erant. Atque hic tandem omne vitae reliquum tempus inter monachorum curas et ſtudia aſſidua diuiſit, vt, dum illis vnice vacare videretur, immenſa ſcriptorum volumina foras mitteret, ex quibus vtramque tantum bibliorum V. T. verſionem ex Graecis et Hebraicis fontibus commemorare ſufficiat; quarum illam a. 390. vel 391. ex ſeptuagintauirali textu ita condidit, vt ſecundum textum Hexaplarem Origenis, textui των LXX. ea, quae in textu hebraico erant, prout illa Theodotion interpretatus fuerat, adderet, praepoſitis tamen, quibus diſtinguerentur, aſteriſcis, iis vero, quae apud ſolos LXX. extabant, obelis notatis. Hanc autem, poſtquam a. 387. magiſtro Iudaeo, Baranina, literas hebraicas, quas

quas olim in Chalcidene eremo tantum deguſtauerat, didicit, ab a. 390 vel 391. aggreſſus eſt et per viginti quinque continuos annos, interpoſitis paſſim aliis opuſculis, feliciter profligauit. Turbata eſt ſubinde alta tranquillitas, quae coelitus quaſi in hunc locum demiſſa erat, lite inter ipſum et Ioannem Hieroſolymitanum Epiſcopum a. 395. exorta, et multo magis ſimultate, quam ab a. 394. cum Rufino exercuit, quae ad tempus quidem remiſſior facta ac reconciliatione vtriusque paene ſublata videbatur, ſed grauius poſtea recruduit, et in manifeſta odia prorupit, in quibus animum plane impatientem Hieronymus oſtendit. Ac mirum profecto hoc videri debet, quo pacto in hac tranquilla et placida vitae extremae ſtatione animum manſuetum depoſuerit magis quam in ſe auxit, ita, vt leuiſſimis etiam de cauſis exaſperari ſe pateretur. Nam cum Auguſtino quoque, quocum ab a. 394. familiariter literas miſcere coeperat, ni ille ſtomacho eius pepercisſet, parum abfuit, quin amicitiam recens contractam rurſus diſſolueret. Perinde etiam varias haereſes ex receſſu ſuo acriter oppugnauit, veluti a. 392. Iouinianum, qui coelibatum et matrimonium, ieiunium et vſum ciborum ἀδιαφορα dicere auſus erat. Impar tamen eius aduerſus Pelagianos fuit conditio, ſiquidem non verba verbis, ſed arma et furorem concitatae multitudinis argumentis ſancti Doctoris ii oppoſuiſſe dicuntur,*) atque caede et incendio in monaſterium eius et Euſtochii ſaeuitum eſt, vt ipſe vix cum vitae periculo in locum ſecretum euadere poſſet. Accidiſſe hoc putant a. 416. quibus ad monaſterium reuerſus non ante a. 418. videtur.**) Sed vires morbo ac languore diutur-

*) Auguſtinus de geſtis Pelagii.

**) Stilling. §. LX. p. 623.

diuturno aliquoties acciſae, poſtremoque hoc terrore penitus conturbatae, non diutius vitam ſuſtentare valebant placideque fatis a. 419. (die XXX. Septembris) conceſſit.

Scriptorum Hieronymi recenſum ex editione Vallarſiana proponimus, notatis ſimul quae in ſingulis ille praeſtitiſſe vel primus, vel poſt ſuperiorum editorum, de quibus plerumque iudicium ſuum inſeruit, ſtudia, pollicetur. §. 2. Scripta.

I. *Epiſtolae* CXVI. Veteres Editiones eas non ad temporum ordinem, ſed materiae quandam ſimilitudinem et quaſi cognationem exhibent, tribus maxime claſſibus, *Theologicas, Polemicas* atque *Morales*. Quae quam vaga ſint, quisque facile per ſe intelligit. Benedictina igitur Editio huic vitio vt mederetur, nouum earum ordinem inſtituit ſic, vt reſectis ab ipſo corpore et diſtributis per ſingulos tomos compluribus, quas Criticas appellat, reliquas ad temporis leges exigeret, ſucceſſu tamen non pariter felici, vt Vallarſius iudicauit et demonſtrauit. Relicta igitur erat haec prouincia Vallarſio, vt turbatum ordinem chronologicum reformaret et ex integro inſtitueret; id quod egregie ipſi ceſſiſſe nemo abs inuidia negauerit. Remotis nempe aliis, quae in vulgatis Epiſtolarum collectionibus venditabantur, ſuffectisque aliis, quae deſiderabantur, ſeriem caeterarum ad argumenta momentaque ſingula expenſam et ad quinque maxime claſſes ſeu periodos redactam ita exhibuit, vt ſimul vniuerſis et ſingulis cauſas rationesque, quibus motus locum, quem obtinent, ipſis tribuerit, in indice chronologico adſcriberet. *Prima claſſis* illas exhibet, quas Hieronymus ab a. 370., antequam eremum peteret, potiſſimum vero in eremo ſcripſit vſque ad a. 381., quo dudum, relicta ſolitudine, Romam contendit. *Alteri* inſunt,

quas Romae ſcripſit ab a. 382. ad vltra medium 385., quo Romae pertaeſus diſceſſit et Hieroſolymam nauigauit. *Tertia* complectitur, quas ab a. 386. e Bethleemi monaſterio ſcripſit vsque ad a. 400., quo demum in Alexandrina Synodo Origenes damnatus eſt. *Quarta* eas habet, quas ab a. 401. vſque ad vitae finem ſ. a. 420. S. Doctor exarauit. In *Quintam* claſſem eas redegit, quarum tempus incertum eſt, adiectis tribus incerti auctoris, minore charactere exſcriptis. Praeter haec Vallarſiana editio omnia ſuppeditat, quae vſum ipſius facilem et commodum reddere poſſint; velut tabulam in fronte operis, qua nouus ordo veteris et Benedictinae editionis comparatur, tum Argumenta, quae Editio Benedictina ex Eraſmo potiſſimum exſcripſerat, caſtigatiora, capitulationes et id genus alia, nec non indicem triplicem.

II. *Opuſcula ſ. Tractatus.* In editionibus veteribus paſſim Epiſtolis permiſta habebantur. Eraſmus eumque ſecutus Victorius, quibus materiarum ordo cordi erat, nonnullos in altera Claſſe ſiue Tomo, arrepta identidem ex Epiſtolis occaſione, collocant, quod ἐλεγκτικὰ καὶ ἀπολογετικὰ, ſiue quae ad diverſas haereſes et maledicorum calumnias pertinent, continerent: alios ad prioris Tomi calcem recenſent, ipſo interdum propoſito et argumenti diſſimilitudine reluctante. Editor Benedictinus Epiſtolarum ordinem chronologicum paſſim interpoſitis tractatibus interrupit, nulla temporis ſed materiarum potius ratione habita; quo factum eſt, vt, dum vtrique ſemitae inſiſteret, ab vtroque ſaepius aberraret. Vallarſius, nulla diſtributionis ratione habita, in Tomum ſecundum coegit. Inſunt igitur P. I.

Vita S. Pauli primi Eremitae.
Vita S. Hilarionis Eremitae.
Vita Malchi Monachi captiui.

Regula

Regula S. Pachomii e Graeco latine reddita.

Eiusdem et S. Theodorici Epiſtolae et verba myſtica.

Liber Didymi de Spiritu S. ex Graeco latine conuerſus.

Altercatio Luciferiani et Orthodoxi.

Liber aduerſus Heluidium.

Libri duo aduerſus Iouinianum.

Liber contra Vigilantium.

Liber contra Ioannem Hieroſolymitanum.

Apologetici aduerſus Rufinum libri tres.

Parti II. praeter nonnulla Rufini, Anaſtaſii, Theodori Mopsveſteni, Gennadii et alia quaedam,

Dialogi contra Pelagianos libri tres.

Liber de Viris illuſtribus, addita Graeca verſione Sophronii.

In Tomo III. Vallarſianae editionis occurrunt apparatus inſtar ad commentarios in libros S. S. probe intelligendos libri duo *de Nominibus hebraicis* et *de Palaeſtinae locis.* Illum a ſuperioribus editoribus neglectum, a Clerico autem plane contemtim habitum, iuſto honore veſtiuit atque vtiliſſimum Vallarſius aſſeruit. Librum autem *de Palaeſtinae locis* cum textu Gr. Euſebii ex MSS. Codd. Vat. Bibl. (nunc n. 1456.) optimae notae et ſpectabilis vetuſtatis, qui ſaeculum Xmum anteuertere dicitur, innumeris in locis emendatum et reſtitutum dedit editor, ita vt affirmare auſus ſit, nunc demum integrum Euſebii textum prodire. Antea tres tantum Codd. MSS. huius libri innotuerant, quorum *primum* e Regia Pariſ. Bibl. Bonfrerius edidit, Martianaeus recognouit; *alterum* Oxon. Academia ſeruat; *tertium* Lugduni Batauorum e Biblioth. Voſſ. in Publicam intuliſſe dicuntur Acad. Curatores. Ad huius inſpiciendi copiam nemini adhuc factam Rhenferdius dolet. Oxonienſe e Pariſino deſcri-

 ptum

ptum eſſe non diffitentur, qui illi Bibl. praeſunt. Ex vno igitur Regio exemplo omnes hactenus editiones deriuantur, quod tamen peſſime habitum. *His duobus libris* ſuccedunt

III. *Commentarii Biblici.*

Quaeſtiones Hebraicae in Geneſin, quas aut minime perfeciſſe aut, quod probabilius exiſtimat, mutato conſilio, cum Commentarios elaboraret, prout congeſſerat, in conſilium adhibuiſſe creditur intra domeſticos parietes cohibiturus nec editionis honori committens. Has pone ſequuntur,

Commentarii in Eccleſiaſten, ad quos ſaepe in Apologia contra Rufinum prouocat et

duae *in Canticum Canticorum Homiliae,* quas ex Origenis Graeco latine explicauit c. a. 383. quamobrem quatuor praecedentes a. 388. aſſignari oportet.

Commentarii in Ieſaiam. (T. IV. Vallarſ.) Ad a. 397. referuntur.*) Nec vno anno perfectum opus, praeſertim cum aliis curis tunc diſtineretur et aegra valetudine affectus, inopia etiam librariorum laboraret. Tillemontius inceptum a. 408., expletum eſſe a. 409. et 410. coniicit ex morte Stilichonis, quam vndecimi libri praefatione indicatam putat. Tutior ratio ex Ezechielis Commentariorum praefatione generali et initio libri III. in Ieſaiam ipſum ducitur, qui ad a. 411. referri debet, vndeque patet, ante a. 410. Ieſaiam non fuiſſe expletum.

Homiliae nouem in Viſiones Iſaiae ex Graeco Origenis. Huc reponimus ex nouiſſima Vallarſii ſententia, quamquam in hac operum genuinorum ſerie locum in vtraque ed. illius non adeptas. Abiudicarat enim in prima ed. Hieronymo, nec commode viſum

*) Vid. Vallarſ. Ep. 68. it. 70. 71. in Ind. Chr.

viſum eſt, ordinem ſemel deſcriptum in ſecunda immutare. Attamen Hieronymi eſſe ineluctabili argumento, teſtimonio nimirum Rufini libro II. Apologiae n. 27. euinci retractatis curis cognouit et noua admonitione praemiſſa T. IV. P. II. p. 1098. demonſtrauit.

Commentarius in Ieremiam. Per interualla dictauit, poſtremum fere ingenii ſui monimentum. Abſoluendo operi vnus modo aut alter liber deſiderabatur. Inter Epiſtolam 133. et Dialogum contra Pelagianos cum vulgo recepta ſententia ſe ſtatuere, inquit Vallarſius. Profert tamen h. l. (p. VII. VIII.) aliqua, quae dubium ciere poſſint.

Commentarii in Ezechielem libri XIV. (T. V. ed. Vallarſ.) Iis adornandis IV. annos impendit Hieronymus, aliis ſcilicet negotiis interpellatus et per interualla tantum dictitans. Inceptus labor vix dum abſolutis in Ieſaiam Commentariis a. 411. ſed in ipſo operis initio (vid. Proleg. et Ep. 126. ad Marcellin. et Anapſychiam) Romanae obſidionis nuntio et amicorum obitus ſeu diſcriminis conſternatus, diu manum remiſit. Repetiit laborem ad eiusdem anni finem ſeu ſubſequentis initio, vt ipſe ait l. ep. *Hoc anno ſubitus impetus barbarorum ſic Aegypti limitem, Palaeſtinae, Phoenicis, Syriae percurrit inſtar torrentis cuncta ſecum trahens, vt vix manus eorum miſericordia Chriſti potuerimus euadere*, nedum vt animum, quem fere deſponderat, ad ſcribendum aduertere potuiſſet. Tandem vrgentibus amicis, furtiuis noctium horis a. 413. *hyeme propinquante* (l. VII.) ad Nonum vſque perſequutus eſt. Reliquos a. 414. additos dubitari nequit ac notauit ſane Vallarſius p. XI. potiora, quibus annus declaratur, momenta.

Commentarius in Danielem ſeptennio prior eſt. Abſoluerat enim (vid. praef. hui. l.) Prophetas minores

nores fueratque adeo a. 406. praetergreſſus, qui in poſtrema explanatione Amos notatione VIti Conſulatus Arcadii Auguſti et Anitii Probi certiſſime deſignatur. Anteuertebat porro a. 408. cuius menſe Auguſto Stilichonis eſt patrata interfectio, quem viuentem adhuc hocce commentario *Barbari exercitus Romani ducis* nomine petierat; vnde interiecto, quod ratio ſuadet, aliquo temporis ſpatio calumniandi maleuolis data fuit copia, quos in Praefatione XI. libri in Ieſaiam miſſos fecit. Tuto igitur hoſce Commentarios a. 407. adnumeraueris.

Homiliae Origenis XXVIII, explanationes *in Ieremiam et Ezechielem* continentes, quae librum ſingularem conſtituunt, id quod ab omnibus editoribus ſuperiorum temporum animaduerſum non eſt, licet ſub vna ad Vincentium Presb. praefatione comprehendantur. Eraſmus et Huetius temere diuiſerunt, eoque ad opiniones de omiſſo in Ieremiam prologo delapſi in aliena omnia abierunt. Sed vna tantum vtriusque explanationem Ezechielis et Ieremiae auſpicatur, quod lectio diligens docet et mentio 28 Homiliarum tanquam vnius libri in Catalogo confirmat. Nec vero vna omnibus ſimul aetas ſed per interualla ex Origenis Graeco latine redditae ſunt, ipſo Hieronymo teſtante in prologo ad Vincentium. Emiſiſſe vero vna iunctas, poſt Euſebii Chronici editionem anteque Ep. XVIII. ad Damaſum *de Seraphim* apparet; quorum illud ad a. 380. certiſſime refertur, alterum ad inſequentis anni medium ſpectat. Minus recte Tillemontius ad a. 386. XIV. in Ezechielis Homilias traducit. Edidit Vallarſius partim ex Genebrardi partim Huetii editione Origenis. Tot tantisque tamen illius editionem vitiis ſcatere narrat, vt a ſe demum priſtinae integritati reſtitutae in publicum primum emitti videri debeant.

Commen-

Commentarii in XII Prophetas minores. (T. VI. ed. Vallarſ.) Hieronymus in praef. libri III. in Amos ad Pammachium: „*Praepoſtero ordine atque confuſo, duodecim Prophetarum opus et cepimus et Chriſto adiuuante complebimus. Non enim a primo vſque ad nouiſſimum iuxta ordinem quo leguntur: ſed vt potuimus, et vt rogati ſumus, ita eos diſſeruimus, Naum, Michaeam, Sophoniam et Aggaeum, primo* φιλοπονωτάταις *Paulae eiusque filiae Euſtochio* προσεφώνησα: *Secundo in Abacuc duos libros Chromatio Aquileienſi Epiſcopo delegaui: Tertio poſt longi temporis ſilentium, Abdiam et Ionam tibi imperanti ediſſerui: Praeſenti anno, qui ſexti Conſulatus Arcadii Auguſti et Anitii Probi faſtis nomen impoſuit, Exuperio Toloſanae eccleſiae Pontifici Zachariam, et eiusdem vrbis Mineruio et Alexandro monachis, Malachiam Prophetam interpretatus ſum. Statimque recurrens ad principium voluminis, Oſee et Ioel et Amos tibi negare non potui.*"

Ex his facile vnusquisque ad tempora certa reuocari poterit. Par eſt igitur, vt primo loco nominatos in *Naum, Michaeam, Sophoniam* et *Aggaeum* et quinto loco commemoratos in *Abacuc* a. 392. perfecerit: quoniam vltimos hos in Catalogo h. a. adornato, diuerſo quidem ab hoc ordine, recenſet; *Ionam* porro a. 397., vt ex ipſius in Prologo teſtimonio patet: nam quod inter hunc et priores temporis effluxerat, id aliis laboribus impendit, ex quibus ipſe Epiſtolam LX. *Epitaphium Nepotiani*, quae certiſſime ad a. 396. pertinet, ibidem laudat; atque ante Matthaeum anno 398. abſolutum *Ionam* procul dubio abſoluerat.

Abdiam ad eundem annum referunt, ſecuti ipſius Hieronymi auctoritatem in Commentariis ad Amos: *Tertio poſt longi* etc. Sed Vallarſius contendit non ad

ad annum eundem, quo elaborauerit, declarandum, iunctos, ſed quo reſpectu ad caeteros ordine ſeſe exciperent, et quinquennio recentiorem facit Abdiam, ad a. 403. referens. Palmare argumentum ex eo petit, quod *in adoleſcentia haec effudiſſe poſt triginta annos repetita et emendata* in Praefatione inquiat Hieronymus. Iam cum illud adoleſcentiae tempus declaret: *quando egreſſi — ſcholam Rhetorum, diuerſo ſtudio ferebamur; quando ego et Heliodorus cariſſimus pariter habitare Chalcidis ſolitudinem nitebamur*, i. e. a. 373: ſequitur manifeſto annus ab hoc triceſimus 403. Reliqui in *Zachariam* et *Malachiam*, nec non *Oſeam* et *Ioelem* et *Amos* a. Conſulatus Sexti Arcadii Auguſti et Anitii Probi, i. e. 406. profligati.

Commentarii in Matthaeum libri IV. (*T. VII. Vallarſ.*) Ad a. 398. pertinere probatum fuit (p. VII.) Vallarſius. *Homilias* vero *ex Origene* redditas in hunc a. 389. reponendas eſſe indicat. (p. XII.) Has vero ex Genebrardi Origenis editione huc adſciuit. „Graeca periiſſe olim credita nunc maximam partem a nupero Editore Origenis reperta inaudimus, inquit."

Commentarii in Pauli Epiſtolas quatuor ad *Galatas* ſcilicet, *Epheſios, Titum* et *Philemonem.* Non in omnes, vt a Caſſiodorio inde, qui in reliquis exquirendis valde deſudauit, creditum, Commentarios ſcripſit. Haec vero opinio fraudi faciendae anſam praebuit, nempe *Commentarium in omnes Pauli Epiſtolas* ſubſtituendi, qui ipſius potius hoſtis infenſiſſimi, *Pelagii foetus eſt.* Referendi vero hi commentarii ad a. 387.

Chronica Euſebii de Graeco translata, aucta et ad ſua vſque tempora deducta. (T. VIII. Vallarſ. ed. P. I. II.) Quod tempus attinet, tuto ſe affirmare poſſe Vallarſius putat, translata ab eo eſſe, antequam Homilias

Homilias Origenis in Ieremiam et Ezechielem de Graeco verteret. Hic autem primus ea ſeorſim antea euulgari ſolita editionis ſuae ſeriei attexuit, textu ex Pontacena editione expreſſo, ſed collatis ſimul Codd. duobus MSS. et editione principe. Tomo ſecundo integra Pontaci addidit Commentaria, quemadmodum in prolegg. Tomo I. praemiſſis de libri Euſebiani ac verſionis Hieronymianae per recentiores editores fatis diligenter pro more ſuo diſſeruit.

T. IX. et X. ed. Vallarſianae ſiſtitur *Bibliòtheca diuina* amplectens *Canonem hebraicae veritatis* et *quos de graeco textu in latinum transtulit*, nec non *N. T. libros.*

I. *Canon hebraicae veritatis* vulgari modo in tres ordines diſtribuitur, quorum *primus*, ordo Legis, Pentateuchum: *ſecundus*, ordo *Prophetarum*, libros Iudicum, Samuel. I. II. Regum I. II. Ieſaiae, Ieremiae, Ezechielis et XII. prophetarum: *tertius*, ordo *Hagiographorum*, Iobum, Pſalterium, Prouerbia, Eccleſiaſten, Canticum Canticorum, Danielem, Paralipom. I. II. Ezrae I. II. et librum Eſther complectitur.

Conſtat, Hieronymum iam ſexagenarium emendationem lat. Bibl. verſionis adgreſſum, diuerſo tempore nec ſeruato Librorum ſacrorum ordine verſiones ſuas perfeciſſe ac edidiſſe. Vallarſius igitur disquiſitione facta ordinem chronologicum experiri ſtuduit atque plane ſibi perſuaſum habet hac ſerie fuiſſe editos:

Regum libros a. 390.

Pſalterium et Prophetas XVI. a. 392. Liber *Iobi* hos proxime ſubſecutus. *His vulgo addunt,* inquit, *Tres libros Salomonis, quos ego quidem ſerius differendos ex Prologi ad Chromatium atque Heliodorum*

dorum verbis exiſtimo: interea tamen haud auſim receptae apud omnes ſententiae refragari. Porro

Eſdram et Nehemiam a. 394.

Paralipomena a. 395.

Octateuchum ab a. 398. ita tamen, vt *Geneſin* citius editam exiſtimet, cum reliqui interim Moſis libri in quartum quintumue annum premerentur. *Ioſua* non niſi poſt a. 404. in lucem venit, omniumque poſtremus fuit liber *Eſther.*

II. Libri, *quos de Graeco vertit,* abſoluto iam Hebraeo Canone. Referuntur illi partim ad *vetus teſtamentum*, quorum *pauci* tantum ſuperſunt, altera parte *omnes N. Foederis libri* comprehenduntur.

Huic recenſioni verſionis latinae ſuae aetatis ad graecos fontes praeluſiſſe quodammodo videri poterat emendatione illa *Pſalmorum*, quam, vt ipſe ait, *Romae poſitus* apud Damaſum, *curſim et magna* tantum *ex parte* adornauerat; in quo negotio *Communi* tantummodo, quae tunc audiebat, editione Graeca vſus videtur. Quae cum nihilominus a Romana eccleſia probata eſſet (vnde etiamnum *Romanum pſalterium* audit), ille animum ad illam vniuerſam ex integro iuxta Graecum atque eum quidem longe emendatiſſimum Hexaplarem textum refingendam appulit. Nec ſane dubium videtur, quin propoſitum per ſingulas partes exſequutus, totum V. T. Canonem continua illa archetypi comparatione expoliuerit: tamen etſi duo nunc ſoli ſuperſint libri ex ea recenſione integri, *Iob* et *Pſalterium* totidemque *Prologi in libros Salomonis et Paralipomenon.* Haſce diuinorum librorum verſiones latinas, a Martianaeo primum Collectioni ſcriptionum Hieronymianarum addi coeptas atque ſpecioſo Diuinae Bibliothecae nomine inſignitas, ſuane editione iterum recudendas curaret, an tanquam onus alienum omitteret, anceps aliquamdiu

haeſit

haeſit Vallarſius. Ac placuit aliquando, vt varietatem tantum lectionis a vulgari textu recedentem admitteret. Mox vero, quantum id ſibi negotii faceſſeret, expertus et plurimorum ſimul eruditorum per Italiam concordi ſuffragio confirmatus, adiicere integras decreuit. Ita vero adiecit, vt non de Benedictina editione deſcriberet, ſed quaſi nouum opus proprio ſtudio coeptum et exactum daret. Cum animaduertiſſet enim, quantis Hieronymiana verſio a ſaeculo inde VIII. vitiis deprauata eſſet, quod attexta breui emendationis Alcuinianae hiſtoria oſtendit, id ſibi negotii datum exiſtimauit, vt natiuam illius indolem ex Codicibus, ſi qui reperiri aut dignoſci poſſent, qui Alcuini recognitionem antecederent aut certe non admiſiſſent, repraeſentaret. Ac quamuis magni res negotii eſſet, eiusmodi codices conquirendi et internoſcendi, non improbum tamen ſibi laborem fuiſſe affirmat, ac fidei faciendae cauſa exemplar Veronenſe Regum libros complectens, quod omnem vt aetatem ita et opinionem facile exſuperet, profert et deſcribit. Omnino autem rationem, qua varietatem lectionis horum librorum aeſtumauerit et adhibuerit, ita explicat, vt nemini non probare ſeſe poſſit.

Hieronymi ſcripta, quae non extant amplius.

Vallarſius duas conſtituit claſſes: I. *quae veriſſime interciderunt*; II. *de quibus dubitari licet, an vnquam extiterint.*

I. 1.

Interpretatio vetus S. S. V. T. ex Graeco των LXX. emendata, de qua ipſe teſtatur ſub fin. *praefationis in libros Paralipomenων* et *Ep. LXXI. ad Lucinum.* Rationem vero emendationis exponit *Ep. CXII.* (ed. Vallarſ.) ad Auguſtinum. it. Praef. ad editio-

editionem *poſteriorem* Pſalmorum. Specimen quoque eius operis Commentarii in Eccleſiaſten et praecipue in Prophetas maiores, minoresque ſuppeditant, in quibus Latinam illam verſionem a ſe recognitam, cum illa ſaepe componit, quam poſtea ad Hebraicum exemplar compoſuit. Quin etiam duo ſuperſunt integri eius operis libri, *Iob* et *Pſalterium* (Vallarſ. in II. P. Diu. Bibl.), qui facile vnumquemque, quod conſilium et quomodo ſecutus ſit, docebunt.

2.

Euangelium iuxta Hebraeos. Chaldaico ſermone, Hebraicis autem literis ſcriptum, cuius deſcribendi facultas cum ipſi a Nazaraeis, in Beroea vrbe Syriae degentibus, eſſet facta, in Graecum Latinumque ſermonem transtulit, quemadmodum ipſe etiam cap. 2. de *Vir. illuſtr.* et *Comment. in Matth.* XII, 13. luculenter profitetur. Num fuerit authenticum illud Matthaei Euangelium, quod ad ſua vſque tempora in Caeſareenſi Bibl. ſeruatum tradit, an, vt Beda docet in Comm. in Lucam, *aliud* intellexerit *ſecundum Hebraeos*, *aliud ſecundum Apoſtolos.* Exercitationis cauſa tantum compoſitam duplicem iſtam verſionem Vallarſius putat. Idem praef. gen. p. XIII. et XIV. latinae verſionis fragmenta quaedam collegit et protulit. Huius vero verſionis nomine a Theodoro Mopsueſteno *Quintum Euangelium* confixiſſe culpatus eſt Hieronymus; velut ex iis patet, quae Photius Cod. 177. ſeruauit.

3.

Specimen Commentarii in Abdiam. De quo ſic ad Pammachium ſcribit: *Mereri debeo veniam, quod in adoleſcentia mea prouocatus ardore et ſtudio S. S. allegorice interpretatus ſum Abdiam Prophetam, cuius hiſtoriam*

hiſtoriam neſciebam etc. Poſt triginta annos *per vetera veſtigia ingreſſus, emendaturus, vbi fieri poterat, curuos apices literarum, vel certe culpam deprecaturus, aetatis praetextu,* tandem telam retexuit. Penitus tamen intercidit, absque vllius fragmenti veſtigio. Suſpicatur vero Vallarſius, latere eos in Bibl. Goth. n. 34. in quo Cod. poſt Commentarium in Ieremiam *Tractatus in Abdiam* commemoretur.

4.

Commentarii in Pſalmos. Redeunt hic omnia ad veterem diſputationem: In omnesne Pſalmos, an in aliquot modo, quorum in eius ſcriptis fit mentio, Commentarios Hieronymus elaborauerit. Notiſſimae falſitatis conuictum eſt: *Breuiarium in Pſalmos.* Ad germana vero ipſius opera pertinent: *in Pſalmos a X - XVI. tractatus VII.* quibus verbis in ſuorum operum catalogo ab ipſo auctore recenſentur. Horum ne fragmentum quidem aliquod ſupereſt, nec veſtigium, niſi in Breuiario iſto multis aſſutis interpolatisque lateat, quod plerisque eruditis viſum eſt. Nihilominus fuere Viri docti, inque his Tillemontius, qui de ipſorum natura pronuntiare auderent. Inquit ergo vir laudatus, expreſſos fuiſſe ſeu excerptos ex Origenis homiliis in vniuerſum Pſalterium. Cuius argumenta, vt erant parum firmata, facile euertit Vallarſius, non prorſus tamen ſententiam abiiciendam exiſtimans, ſed Rufini memor, qui in praefatione ad libros περι αρχων *vltra 70 libellos Origenis homileticos* in Latinum ab Hieronymo translatos dixerat, fauere haec dictae ſententiae oſtendit in hoc, quod, vbi hoſce in Pſalmos tractatus adnumeraueris, optime numerus conſtat, ſin minus vix ſeptuageſimum attingas. Addit tamen, et hinc, et exemplo allato probat, ſatius videri, ex diſſimulante Rufino aliquid

euin-

euincere, quam ex calumniante argumentari. Sed praeter tractatus iſtos ſeptem, *Pſalmum* quoque *nonageſimum tertium* ab Hieronymo fuiſſe expoſitum, teſtis eſt locupletiſſimus Auguſtinus in Commonitorio ad Fortunatianum n. 14. ex eodem nonnulla proferens, quae totidem verbis *in eo Breuiario* leguntur, quod in vniuerſum Pſalterium Hieronymo inſcribitur. Sed cum plane conſtet, Hieronymianum foetum illum haud eſſe, ſed ſtudioſi hominis, qui variorum ſententias et commenta in vnum congeſſit multaque de ſuo aſſuit, quin etiam facile appareat, pleraque omnia eiusdem huius Pſalmi commenta ex S. D. calamo non eſſe profecta, laudatam περικοπὴν ex alio deperdito opere excerptam eſſe, non eſt dubitandum. Quodnam vero illud fuerit, haud expeditum eſt diuinare. Neque enim Commentarios in Pſalmos a ſe elaboratos Hieronymus vnquam tradit. In animo quidem habuiſſe ex ipſius animaduerſione ad Ieſ. cap. 63. (quem expoſuit ad a. 410.) et Ierem. cap. 2. (quem ſub ipſum vitae finem interpretatus eſt) patet, ſed aliis primum de cauſis interpellatum tum ipſa morte interceptum perficere non potuiſſe videtur. Vallarſius porro poſtquam illorum Dd. ſententiam valde improbare ſe declarauit, qui tres Hieronymi epiſtolas, quarum altera eſt in Pſ. 44. ad Principiam, altera in 89. ad Cyprianum, tertia demum in 126. ad Marcellam commentariis in Pſalmos accenſent, coniecturam profert admodum probabilem, laudatam ex Auguſtino in Pſ. 93. ῥῆσιν, ex aliqua, quae interciderit, epiſtola deſumptam eſſe, quam ille ad Aegyptios monachos ſcripſerit, qui Anthropomorphitarum haereſin per ea tempora inſtaurare conarentur.

5.

Commentarioli in Pſalmos. Ita quidem ipſe auctor ſaepius eos laudat in lib. I. adu. Ruſinum. Opus, ante-

antequam Pſalterium ex hebraico in latinum ſermonem conuerteret, inchoatum, ſed non perfectum fuiſſe, Vallarſius tum locis allatis et cum caeterorum operum chronologia collatis, tum ex eo concludit, quod in recenſu SS. ſuorum eius mentionem prorſus omiſerit.

6.

Verſio latini libri Origeniani περὶ ἀρχῶν, quam oppoſuit verſioni a Rufino Origenis patrono et defenſore factae, qua omnes errores eius arte et conſilio diſſimulauerat et occultauerat. Fragmenta Hieronymiani operis in Epiſtola ipſius ad *Auitum* (CXXIV. apud Vallarſ.) ſuperſunt, reliqua vt ipſum Origenis opuſculum periere.

7.

Verſio Inuectiuarum libri Theophili Ep. Alex. in S. Ioan. Chryſoſtomum. Perpauca reſtant fragmenta. Perſuaſerat Theophilus, vt in latinum converteret Hieronymo, qui ſi huius animi conſcius fuiſſet, vix tale inuidiae onus ſubiiſſet.

8.

Epiſtolae plures, quarum Catalogum notitiamque dedit Vallarſ. p. XX ſqq.

II.

Intercidiſſe credita, ſed reuera non ſcripta.

1.

Quaeſtiones Hebraicae in V. T. praeter illas in Geneſin, quae hodienum ſuperſunt. Laudat plurimis locis, imprimis in libro, quem ex Euſebio interpretatus eſt *de S. S. locis.* Vulgo deperditae exiſtimantur. In alia diſcedere videtur Tillemontius. Vallarſius in-

inchoatas tantum et praeparatas putat, ſed otio deficiente perficere eas non potuiſſe. Rationes ibidem paulo fuſius expoſuit, ex quibus duas modo commemoraſſe iuuat, videlicet quod in iſto tantum *de S. S. locis* libro illarum meminerit, in reliquis nunquam, etiamſi laudandi occaſio non defuiſſet. Vnde colligit, latine redditum illum fuiſſe, dum adhuc illas animo moliretur, poſteaquam vero incepto deſtitiſſet, et laudare deſiiſſe et (quod alterum praecipue argumentum eſt) conſilio in Catalogo S. S. omiſiſſe.

2.

Commentarii breuiores in XII. prophetas ὑπομνήματα dicti. Diuerſi ab his, qui ſuperſunt, intercidiſſe ſtatuuntur. Opinionis anſam praebuit locus Epiſt. XLIX. ad Pammach. n. 4. ſub finem, in qua ὑπομνημάτων quaedam in XII. Prophetas appellat. Iam cum commentarios, quos habemus, a. demum 406. ad finem perduxiſſe eum conſtet, haec vero ep. 393. ſcripta absque erroris metu ſtatuatur, acute non magis quam vere conieciſſe nobis videtur Vallarſius, qui Hieronymum arbitratur h. v. partem Commentariorum, quam eo tempore confeciſſet, innuere. Qua in re egregie ipſo vſu nominis *Duodecim prophetae* tanquam *vnius* libri in Canone ſacro, adiuuatur: ex quo conſequitur, Hieronymum, eo quod in XII. prophetas commentatus ſit, non intelligi ſtatim ſingulos explanaſſe. Pluraque ad firmandam ſententiam non ſine voluptate apud eum cognoſcas.

3.

Libri XIV. in Ieremiam, quibus telam ſex libris ſuperſtitibus inchoatam pertexiſſe illum cenſent Caſſiodorii Inſt. c. 3. Rabani Mauri aliosque auctoritatem ſecuti. Dubitatum tamen iam eſt ab aliis

recentio-

recentioris aeui doctis, an vnquam tot libros perfecerit Hieronymus. Tillemontius quidem Caſſiodorium corrigere conatus eſt excluſa voce *viginti*, nouem ſolum retinens. Sed vix ſententiam ſuam cuiquam perſuadere potuit. Scita non minus ac eleganti ratione haec quoque expediiſſe videtur Vallarſius, cuius adeo verba, quod pauca ſint, apponere vacat. „*Hieronymus*, inquit, *in Ieremiam quatuordecim tractatus, ſiue Homilias ex Origenis Graeco pridem conuerterat in Latinum, deinde ſex libris ſuo ſenſu eundem Prophetam eſt commentatus.* Haec duo veluti *genera Commentariorum in idem argumentum ſi ex capitum, ut ita loquar, ſiue librorum numero ſex nimirum et quatuordecim, in unum conjunxeris, ſummam viginti efficies, quot numero in Ieremiam dicuntur elucubrati. Sic autem exiſtimo in vetuſtiſſimo aliquo ante Caſſiodorium exemplari, et bono quidem conſilio, ſex illis Commentariorum libris, quatuordecim alios tractatus fuiſſe ſubjunctos, ex eoque ortam de viginti in Ieremiam libris ſententiam.*" Supereſt, quod eodem facit, ex LII. capitibus, quibus totus conſtat Ieremias, priora integra triginta tria exponi ab Hieronymo in iſtis VI. commentariorum libris; vnde vix eſt quod perſuaderi ſibi quis patiatur, reliqua decem et nouem quae ſupererant, quaeque, quoniam plerumque hiſtorica continerent, Hieronymum contractiori ſtylo profligaturum fuiſſe par eſt, quatuordecim librorum ſpatium implere potuiſſe.

4.

Alexandri Aphrodiſei Commentarii latine conuerſi. Hieronymus Ep. L. n. 1. ad Domnionem: *Fruſtra ergo Alexandri verti Commentarios; nequidquam me doctus magiſter per εἰσαγωγὴν Porphyrii introduxit ad Logicam?* Totum pro hac verſione

ſione Alexandri argumentum vocis *verteret* notione nititur, quam Vallarſius cum Grammaticis tum aliis ad ipſum Hieronymum pertinentibus rationibus adductus non *interpretari* vnius linguae idioma per alterius eſſe putat, ſed *manu verſare* adeoque *legere.*

5.

Liber ad Abundantium. Veteres *Antium* ſcribunt; de quo praeter Caſſiodorii locum Inſt. c. 2. nec in Hieronymo nec alio quouis auctore aliqua fit mentio. Impoſuiſſe Caſſiodorio libellum aliquem veterem, Hieronymo inſcriptum, Vallarſius coniicit, ſed cum prorſus nihil ex eo ſuperſit, ſuſpendere potius habet ſententiam.

6.

De ſimilitudine carnis peccati contra Manichaeos breuem atque elegantiſſimum Hieronymi tractatum Agobardus adu. Felicem c. 39. vocat, vbi totus in definienda Hieronymi circa adoptionis vocabulum eſt ſententia. Nihil ſtatuit Vallarſius, malle tamen ſe, ait, Audentio Hiſpano Epiſcopo (de quo Gennad. cap. XIV.) aut Sabbatiae Gallicanae eccleſiae Epiſcopo (de quo id. cap. XXV.) tribuere.

Alter eius aduerſus Heloidianos liber auctoris Praedeſtinati calami ſolum errori debetur. Promiſſa denique ſed non elaborata ab Hieronymo: *Commentarii in Canticum Canticorum* (Ep. LXXV. fin.) et *Hiſtoria Eccleſiaſtica* (ſub in. vitae Malchi) ſunt exiſtimanda.

Scripta Suppoſititia.

Quod iam pridem in vniuerſa re litteraria a Criticis animaduerſum eſt et exploratum, magnorum viro-

virorum nomina etiam poſt mortem auctorum ſuorum ſaepe ſcriptis feracia fuiſſe, id in Hieronymo quam maxime vſu venit, cui elapſis ab eo ſaeculis tanta ſuppoſititiorum opuſculorum ſeges accreuit, vt plura iam volumina iis comprehendendis non ſufficiant. Nonnulli eiusmodi foetus mature ſatis pro ſpuriis agniti ſunt et vel patre tali indigni vel ſaltem abſimiles iudicati. Cuncta primum criſi ſuae ſubiecit Eraſmus, in cuius iudicio omnes fere ſequiorum temporum docti acquieuerunt. Compulit autem omnia eiusdem farinae commenta in Tomum quartum, adeoque medium paene editionis ſuae locum, quod plurimis inconcinnum viſum eſt. Quamobrem Marianus Victorius in nonum ſeu vltimum ed. Romanae Tomum eodem tenore ac ordine, quo in quarto Eraſmi collocantur, ea relegauit, ſed dum hac via concinnitati ſtuderet, non cauit, quo minus alia quaedam ſpuria germanis adhuc immixta remanerent, quae ab Oudino curioſe enotata ſunt. *) Poſtea Benedictini ſpuria omnia vna cum aliorum ſcriptis Hieronymum attingentibus Tomo V. editionis Pariſinae incluſerunt, ſed laudabile hoc inſtitutum Vallarſius rurſus neſcio quo pacto abiecit et plurima quidem Tomi vndecimi parte ſecunda et tertia, nonnulla in ſingulis genuinorum ſcriptorum Tomis per appendices exhibuit. Pertinent huc ex tomo ſecundo libellus *de duodecim doctoribus*, iam ſub Bedae nomine *de luminaribus eccleſiae* vulgari ſolitus; ex Tomo tertio *liber nominum locorum ex Actis; de Hebraico Alphabeto et X. Dei nominibus; de Benedictionibus Iacob Patriarchae;* cuius duplex exemplar, alterum ex Martianaeo, alterum ex Auguſtini editione Bened. Vallarſius dedit; *de X. tentationibus in deſerto; Commen-*

*) De SS. eccl. antiquis T. I. p. 855. et 856.

tarius in Canticum Deborae; Quaeſtiones Hebraicae in libros Regum; Quaeſtiones Hebraicae in librum Paralipomenon; Interlinearis Expoſitio in Iob, ſub Philippi, Hieronymi quondam auditoris, nomine a Io. Sichardo primum euulgata Baſ. 1527. cui Vallarſius excerpta ex Codd. MSS. ſubiunxit; ex Tomo quarto *paruula abbreuiatio in Iſaiam*, nam *IX Homiliae Origenis in Ieſaiam*, quas in prima opp. editione huc repoſuerat, etſi locum quidem etiamnunc occupant, genuinas tamen cenſuit, vt antea monitum; ex tomo quinto *Commentarii in Iob* Philippo pariter a Sichardo tributi et *in Lamentationes Ieremiae*, Bedae fortaſſe; ex Tomo ſeptimo *breuiarium in Pſalmos; liber in Expoſitione Pſalmorum; praefatio de libro Pſalmorum.* Reliqua, quae Tomo vndecimo vna ſerie continuantur, ſic ſe habent. P. II. *Epiſtola ad Demetriadem Virginem*, Pelagii; *ad Geruntii filias*, Eutropii Presbyteri; *ad Marcellam, vt aduerſa toleret*, fortaſſe Philippi; *ad Virginem in exilium miſſam*, f. eiusdem; *ad amicum aegrotum*, S. Maximi Taurinenſis; *ad amicum aegrotum de Viro Praefecto*, eiusdem S. Maximi; *ad amicum de ſcientia diuinae legis*, f. Fauſti Rhegienſis; *de tribus virtutibus Homelia; ad Paulam et Euſtochium de Aſſumtione B. M. V.; de Aſſumtione B. M. V. Sermo*, f. Fulberti Carnotenſis; *de honorandis parentibus; de ſeptem ordinibus Eccleſiae; Virginitatis laus*, f. Pauli Pannonii Presbyteri; *de his, quae Deo in Scripturis ſanctis tribuuntur; Damaſi Symbolum*, f. Gregorii Boetici; *Symboli explanatio ad Damaſum; Explanatio fidei ad Cyrillum*, Pelagii haeretici; *ad Praeſidium de Cereo Paſchali; de vera Circumciſione*, f. S. Hieronymi ex parte; *ad Suſannam lapſam*, f. Tertulliani; *In Euagrium obiurgatio*, Romatiani Epiſc. Niceae; *ad Militem Saeculi, vt Chriſto militet*, f. S. Paulini;

ni; *Explanatio in Pſalm. XLI.* S. eiusdem Paulini; *Explanatio in Pſalm. CXVII. ad Dardanum de diverſis generibus Muſicorum; de Reſurrectione Domini*, f. Fauſti Rhegienſis; *Homelia de Natiuitate Domini; de Epiphania Domini; de Quadrageſima; de eſu Agni; de Reſurrectione Domini*, f. vnius eiusdem Auctoris; *ad Euſtochium de vinculis B. Petri; de Obſeruatione Vigiliarum*, Nicetii Treuirenſis Epiſc.; *ad Pammachium et Oceanum exhortatoria; ad quendam, qui in ſaeculo poenitebat; de diuerſis generibus Leprarum; de duobus filiis, frugi et luxurioſo; Valerius Rufino, ne ducat vxorem; dialogus Hieronymi et Auguſtini de origine animarum; de Corpore et Sanguine Chriſti*, f. Fauſti Rhegienſ.; *ſuper Euangelium Matthaei*, f. eiusdem; *ad Tyraſium ſuper morte filiae; ad Oceanum de ferendis opprobriis; ad Oceanum de vita Clericorum; ad Damaſum de oblationibus altaris; Hieronymi ad Damaſum*, Damaſi ad Hieronymum; *de geſtis Pontificum; Hieronymus Damaſo*, Damaſus Hieronymo *de Pſalmorum emendatione, Hieronymi ad Chromatium et Heliodorum*, Chromatii et Heliodori ad Hieronymum *de Nat. B. M. V.; ad Paulam et Euſtochium de virtute Pſalmorum; ad Auguſtinum;* alias *Anonymi; Hieronymi de formis hebraicarum literarum; S. Hieronymi ad Monachos; Eiusdem Regula Monachorum: tum et Monacharum; Canones Poenitentiales ſecundum Hieronymum; Martyrologium Hieronymianum, praefixis Epiſtolis Chromatii et Heliodori ad Hieronymum, et Hieronymi ad eosdem.* Hoc opus a Dacherio primum in Spicilegio *Pariſiis* a. 1661. T. IV. p. 617. prolatum, ſeorſim quoque *Lucae* a. 1668. in folio editum eſt ſub hoc titulo: *Vetuſtius Martyrologium Occidentalis eccleſiae, Divo Hieronymo a Caſſiodorio, Beda, Walfrido, Notkero,*

kero, aliisque ſcriptoribus tributum, quod Franciſcus Maria Florentinus, Nobilis Lucenſis, ex pluribus probatae fidei Codicibus MSS. illuſtratum Exercitationibus et Notis edendum curauit. — *Liber Comitis,* ſiue *Lectionarius, praefixa Epiſtola ad Conſtantium,* qui inter *Liturgica* pridem apud *Pamelium* (Colon. Agr. 1571. et 1609. 4.) Tom. II. et ad plures Codices MSS. collatus a Steph. Baluzio ad Calcem vol. II. Capitularium Regum Franciae (Pariſiis 1677. f.) prodierat. Praefationem ex MS. Codice Luc. Dacherius Spicil. T. XIII. p. 253. ediderat.

Denique T. XI. P. III. inſunt: *Expoſitio Euangeliorum de breui Prouerbio edita; Expoſitio in Marcum, in Lucam, in Ioannem; Commentarius in Euangelium ſecundum Lucam praemiſſa Praefatione; Commentarius in XIV. Epiſtolas S. Pauli* praemiſſa *Praefatione;* qui poſteriores omnes Pelagii eſſe cenſentur.

§. 3. Editiones. Accidit Hieronymo, quod haud ſcio an vlli Scriptorum Eccleſiaſticorum, vt ex ipſo fere tempore, quo ſcribebantur libri, inſcio Auctore in lucem efferrentur et apographis frequentibus multiplicarentur. Qua de re non ſemel ipſe conqueritur, dolens, non tantum ſibi temporis concedi, quo relegere dictata et ab amanuenſibus excerpta poſſet vel deſcripta ex aliis codicibus recognoſcere. *Non ſum tantae felicitatis,* loquitur ad Pammachium, *quantae plerique huius temporis tractatores, vt nugas meas, quando voluerim emendare, poſſim. Statim vt aliquid ſcripſero, aut amatores mei, aut inuidi, diuerſo quidem ſtudio, ſed pari certamine in vulgus noſtra diſſeminant.* *) Prae

*) Epiſt. XLIX. ed. Veronenſis §. 2.

Prae caeteris copioſam atque emendatam recenſionem fuiſſe, indeque plurimam partem apographorum profluxiſſe, Vallarſius ſibi perſuaſit, quam Hieronymus Lucini Boetici notariis ſe praemiſiſſe ſcribit.*) Atque eſſe hodienum etiam Codices MSS. ad Hieronymi aetatem proxime accedentes, ſaeculo nimirum ſexto aut ineunte ſeptimo ſcriptos, ab eodem Vallarſio edocebere. Bene imprimis de colligendis et emendandis Hieronymi ſcriptis meruit *Caſſiodorius*, qui ſingula paene eius recognouit et in armariis repoſuit, vt quauis fere *inſtitutionis* ſuae *diuinarum literarum* pagina teſtatur. Sequiori aeuo ſimilem induſtriam *Rabanus* ille *Maurus* in Hieronymo poſuit, qui integros eius libros totidem verbis deſcripſit eaque induſtria meliorem ſaepe lectionem nobis ſeruauit. Nec aliorum eiusdem aetatis eodem tendentes conatus praetermiſit Vallarſius. Poſtea ingens librorum MSS. Hieronymi ſeges inſecutis ſaeculis, imprimis poſt ſaeculum XII. enata paſſim Bibliothecas oppleuit, in quos tamen et librariorum et criticorum diuerſi generis licentia temere graſſata eſt.

Mature atque ab ipſis paene typographiae primordiis typothetarum operas exercere coepit. Enimvero Collectiones, qualem primam Theodorus Laelius Interamnenſis, poſtea Epiſcopus Taruiſinus concinnauit, mox Andreas Aleríenſis aliique tentarunt, praeter Epiſtolas modo plures modo pauciores

*) Ep. ad Lucinium, ed. Veron. LXXI. n. 5. *Opuſcula mea, quae non ſui merito, ſed bonitate tua deſiderare te dicis, ad deſcribendum hominibus tuis dedi et deſcripta vidi in chartaceis codicibus, ac frequenter admonui, vt conferrent diligentius et emendarent. Ego enim tanta volumina prae frequentia commeantium et peregrinorum turbis relegere haud potui.*

Hieronymi et aliorum, velut Damaſi et Auguſtini, nihil niſi tractatus quosdam minores iſtaque omnia pro vario editorum lubitu diſpoſita exhibent. Seorſim item Commentarii in *Sacra Biblia* aliquoties ſunt excuſi. Sed nulla harum editionum ſiue *Epiſtolarum*, quae ab anno inde 1467. vſque ad annum 1513. typis deſcriptae ſunt, ſiue *Expoſitionum in Vetus ac Nouum Teſtamentum*, quae annis fere 1475. 1477. 1498. impreſſae ſunt,*) alicuius momenti ſequiorum editorum ſtudiis fuit, quippe quorum curatores nec codicum delectum facere, nec quod ipſi in re praeſentando textu ſequi deberent, intelligebant adeoque corruptiſſima paſſim cum in Latino contextu tum in Graecis, nec non Hebraeis, quae quidem Latinis literis exſcripta eſſent, ediderunt. Igitur haec quoque relicta erat Eraſmo prouincia, vt ſuperiorum temporum tarditatem grauitate ſua compenſaret. Is ab initio quidem Epiſtolas tantum Hieronymianas (cum opuſculis puta, quae illis vulgo admiſta erant) perpolire et commentariis doctis illuſtrare animum induxerat.**) Incaleſcente vero diuturna tractatione animo

*) Nulla harum editionum nobis viſa, ne quidem in Librorum indicibus, quoscunque euoluerimus, reperta eſt.

**) Teſtatur hoc epiſtola *ad Greuerardum*, data Pariſiis XV. Cal. Ian. 1499. „Flagrat iam olim mihi animus, Hieronymianas epiſtolas commentariis illuſtrandi et neſcio quis deus mihi pectus accendit, agitque, ut rem tantam et a nullo hactenus tentatam, audeam animo concipere. Mouet me viri coeleſtis et omnium Chriſtianorum ſine controuerſia longe tum doctiſſimi, tum facundiſſimi pietas: cuius ſcripta cum digna ſint, quae ab omnibus paſſim legantur et ediſcantur, vix pauci legunt, pauciores mirantur, pauciſſimi intelligunt. Deum immortalem Scotus, Albertus, et his impolitiores auctores, omnibus in ſcholis perſtrepent, et

animo non contentus fuit, ea quae vsque dum vulgata erant ſcripta in vnum collecta emaculare et illuſtrare,

et ille vnicus religionis noſtrae pugil, illuſtrator ac lumen Hieronymus, qui meruit, vt vnus celebraretur, vnus ex omnibus tacebitur? Sed rem video indigniſſimam, ob hoc ipſum negligi Hieronymum, per quod promeritus ne negligeretur. Nocet autori eloquentia, quae religioni profuit. Alienat multos abſtruſior eruditio, qua potiſſimum oportebat eum commendari. Pauci itaque mirantur, quem perpauci intelligunt. Quodſi talis autor dignis commentariis fuerit illuſtratus, futurum proſpicio, vt Hieronymiana gloria, tanquam noua luce accepta, quam latiſſime eniteſcat: vt paſſim in ſcholis, in auditoriis, in templis, domi, publice priuatimque legatur et ediſcatur. Nec me adeo fallit, quod audax facinus animo praeſumpſerim. Primum, quanti negotii fuerit, mendas, quae per tot ſaecula penitus inſederunt, eradere? deinde quantum in illo antiquitatis, quantum Graecarum literarum, quantum hiſtoriarum? tum quae phraſis, quod dicendi artificium, quae non Chriſtianos modo omnes longo poſt ſe interuallo reliquit, verumtamen etiam cum ipſo Cicerone certare videtur? Ego certe, niſi me ſanctiſſimi viri fallit amor, cum Hieronymianam orationem cum Ciceroniana confero, videor mihi neſcio quid in ipſo eloquentiae principe deſiderare. Tanta in hoc noſtra varietas, tantum ſententiarum pondus, tanta enthymematum volubilitas. Quod artificium in eloquentium literis indicare, vt difficillimum eſt, ita longe vtiliſſimum. Id quod ita me, modo ipſe dexter adſit, confecturum confido, vt, qui hactenus Hieronymianam eloquentiam ſunt admirati, iam eloquentem fuiſſe, ſe neſciſſe fateantur. A me quidem, quicquid vigiliis, quicquid aſſiduo ſtudio, quicquid eruditione mediocri, quicquid ingenio non peſſimo praeſtari poterit, id ſedulo Hieronymo praeſtabitur." Taliaque de Hieronymo, non ſub primum tantum incepti aeſtum, ſed cum iam diu remiſſior animus ex laboris fatigatione paene laſſatus eſſet, ſentit et identidem repetit.

ſed omnia eius et latentia adhuc, et quidquid omnino nominis Hieronymiani eſſet, quod tanquam incantamenti vim in Eccleſia Romana a multis inde ſaeculis nactum erat, inſtructiſſimo ſpectaculo proferre geſtiebat. Summa penes eum erat Hieronymi admiratio, lectio aſſidua, meditatio frequens. Quocirca cum ingenium eius atque mores in dicendo vt ſua noſceret, eruditionem ſolus fortaſſe intelligeret, non ſolum genuina eius opera in certas claſſes diſtribuit, ex libris MSS. emendauit, argumentis et ſcholiis illuſtrauit, ſed innumera, quae falſo nomen eius gerebant et genuinis eius operibus admiſta ferebantur, ſecreuit et vel protinus ſubmouit, quae prorſus eo nomine indigna viderentur, vel ſeparatim ſaltem prodire iuſſit, adiectis cenſuris et monitis, quibus vnicuique tractatui pretium iuſtum tribuitur.

Ipſe porro Baſileae, dum operae in eo exercerentur, adfuit praeterque ipſum caſtigando operi inſudarunt fratres Amerbachii Bruno et Baſilius et qui iis ſocios ſe adiunxerant homines ex omni fere Germania tunc doctiſſimi Ioannes Reuchlinus, Conon Norimbergenſis, Gregorius Reiſchius et Conradus Pellicanus Rubeaquenſis. Tot adiutoribus profligatum opus exiit Baſileae typis Frobenianis anno 1516. nouem voluminibus. Ingens eius expectatio fuerat. Hortati erant Eraſmum ſummi viri, Guilielmus imprimis Warhanus Cantuarienſis in Anglia Epiſcopus, nec non Ioannes Petrus Caraffa Epiſc. Theatinus et S. P. in Anglia tunc legatus, poſtea S. Pontifex nomine Pauli IV., ipſe denique Summus P. Leo X.; attamen quoniam paulo liberius partim in argumentis librorum in quaedam fidei catholicae dogmata et traditiones inuectus eſſet, non eo plauſu, quem merebatur et conſecutura videbatur, excepta eſt, ſed in plurimas reprehenſiones incurrit et conuicia improbiſſima ſubiit

atque

atque Romae adeo ipſius Pauli IV., qui auctor olim ac ſollicitator ipſi fuerat, iuſſu combuſta eſſe fertur.

Iam tum autem prima ſtatim haec editio ex terris catholicis exulatura fuiſſet, modo repertus eſſet aliquis, qui ſe negotio nouae editionis poſt illius labores parem exiſtimare auſus eſſat. Dum talem ergo opperiebantur, non Baſileae modo repetita eſt et caſtigata iteratis Eraſmi ipſius aliorumque ſimul et poſt eum doctorum hominum curis, ſed aliis etiam in locis plus vna vice excuſa eſt. Tandem Victoriana editio praeſtare viſa eſt, quod tamdiu pium Romanorum fuerat deſiderium. *Marianus Victorius* Amerinus presbyter, poſtmodum Reatinus Epiſcopus, opera Hieronymi non plura, quam Eraſmus protulerat, neque ordine, niſi in paucis, immutato, ſed ad ingentem codicum MSS. ex omni Italia, praecipue autem Florentia et Brixia, congeſtorum numerum denuo exacta et identidem emendata, et, quae prima eius cura fuerat, a vitiis Eraſmianae, iis nimirum ſententiis, quibus iſtos tantopere offenſos eſſe notauimus, repurgata, notisque et argumentis fidei eccleſiae Romanae conſentaneis illuſtrata, a. 1565. et ſequentibus 1571. et 1572. Romae typis Mantuanis euulgauit, eaque demum editio plane comprobata eſt et in terris catholicis recepta. Recognita ipſius Victorii curis ſecundis Antverpiae 1578. et ſaepius deinde Pariſiis et Coloniae impreſſa, item in Pariſienſi anni 1643. acceſſionibus nonnullis doctis et indoctis locupletata eſt. Eraſmianam editionem omnibus Victorii notis et ſcholiis iisque, quae in laudata Pariſienſi acceſſerant, non exceptis repetiere Lipſienſes Bibliopolae, ſumtus praebente Friderico Duce Saxoniae in terris Gothanis regnante, Francofurti ad M. 1684.

Perfectum quiddam et numeris ſuis abſolutum a Pariſienſibus Monachis Benedictinis expectabatur, prae-

praeſertim poſt ſpecioſam Martianaei promiſſionem a. 1690. in vulgus emiſſam. Iniunctum erat negotium ſociis duobus *Pouguetio* et *Martianaeo;* tametſi coniuncta horum opera nonniſi Tomus primus, Bibliothecam Diuinam nouo inſtituto iamiam reliquis Hieronymi ſcriptis additam complectens, anno 1693. editus eſt; reliqui annis ſequentibus, nimirum ſecundus a. 1699. tertius a. 1704. quartus et quintus a. 1706. vnius Martianaei cura foras dati ſunt. Nequaquam tamen huius editionis laus ad aliorum doctae huius Congregationis laborum famam aſſurgit, quod omnia, quae in editore requiruntur, iudicium ſubactum, eruditio non vulgaris, diligentia et aſſiduitas in Martianaeo deerant. Cuius rei accuratius cognoſcendae cauſa non opus eſt, vt Clericum aut Simonium appellemus, ſed ipſum Valларſium nouiſſimum editorem proferre licet. „Qui Martianaeam editionem errores obſident, vt de illis tantum dicam, qui vniuerſum laborem ſpectant, ad haec fere capita referuntur. Eraſmianam editionem exſcribit fere continenter, neglecta, immo ſaepius nec memorata Victorii induſtria, a quo tamen errores quamplurimos emendatos compertum eſt, qui denuo inſcio lectore obtruduntur: MSS. exemplaria diligenter in vnoquoque opere a capite ad calcem omnino non contulit, ſed tantum vexatis aliquot locis in conſilium adhibuit; fieri enim nullo modo poteſt, vt numquam, aut perquam raro, tot falſarum lectionum, quae veteres editiones deformant, ab iis moneretur, aut moneret ipſe lectores ſuos: variantes vero vſque adeo raras offenderet, vt multo plures in paruo libello nobis occurrerint, quam ille in praegrandi aliquo volumine adnotauerit a ſe repudiatas: earum dico, quarum delectus lectoris iudicio permittendus eſt, non quae librariorum menda ſunt aper-

apertiſſima. Raro etiam inuenias difficilia loca explicari, immo vero Monitis et Praefationibus, quae lucem operibus foenerentur, praeter argumenta Epiſtolarum, quae Eraſmus condidit, ferme deſtitui. E contrario adnotationes ipſas, quae ſi Criticas Epiſtolas et duo Lexica Nominum et Locorum excipias, caeteris libris oppido paucas ieiunasque adpoſuit; plerumque falſa iudicia occupant, ſaepe etiam perſonales, vt ita dicam, controuerſiae, quibus arrepta occaſione doctiſſimos viros ſuggillat, textum vero Hieronymianum minime interpretatur. Denique peruerſus ordo, falſusque, vbi temporum rationem habuit, et pleraque id genus alia, quae declinandae inuidiae cauſa diſſimulamus." Vix tamen haec cenſura et alia in Martianaeum paſſim in notis inclementius forte, ſed haud dubie non iniuſte dicta in vulgus emanarant cum eiusdem Congregationis ſocio acre Vallarſio bellum indixit; cui ille placide, nihil eſſe reſpondit, a ſe ſcriptum, cuius ſe iam poeniteat atque ſic iudicio ſuo ſtetit.

Hinc denique *Vallarſio*, cuius editio Veronae anno 1734. et ſequentibus prodiit, nihil obſtitiſſe cenſent, quo minus perfecti editoris et critici munus ſuſtineret, quam nimia de ſe ipſo et Hieronymo opinio. Quicquid enim ex temporum et doctrinarum hiſtoria ad illuſtrandum illum ſuppetit, abunde et appoſite plerumque ab eo eſſe allatum nemo ibit inficias, ſed latinae et graecae linguae longe parcior in eo fuit cognitio, quam textus huius emendatio poſtulat. Quae cum ita ſe habeant, patet, ne nunc quidem poſt tot doctorum et omnibus copiis inſtructiſſimorum virorum labores Eraſmi operam, qua ſine illi vix vnquam exitum habuiſſent, ſuperuacaneam eſſe redditam.

SAEC.

SAEC. XV. 1467-1500.

1467.

Romae per Vlricum Han. fol. Editio Princeps. Vide infra inter edd. loco, anno et typographi nomine carentes primam, et expreſſam ex ipſa Baſileenſem a. 1489.

1468.

Romae per Conrad. Sweynheim et Arnold. Pannartz. f. Tomi II. S. Hieronymi Tractatus et Epiſtolae, *ex recognitione* Ioannis Andreae Epiſc. Alerienſis. *In calce Tomi ſecundi:* Euſebii Hieronymi doctoriſ eximii ſecūdum epiſtolarum explicit uolumen. anno chriſti. M. CCCC. LXVIII. Indictione prima. die uero. XIII. menſiſ decembriſ Pontifice maximo Paulo regnante ſecūdo. anno eiuſ quinto.

Rome in domo magnifici uiri Petri de Maximo.

De occaſione huius editionis, quid ipſi ſentiamus, explicabimus, vbi ad praecedentis deſcriptionem pervenerimus; in praeſenti audire iuuabit Alerienſem. Inquit ergo in epiſtola nuncupatoria primi voluminis ad Paulum II. P. M. paucis de rationibus ſtudiorum ſuorum et pro literis geſtis praemiſſis, „cum nuperrime D. Hieronymi Libellos Epiſtolaſque perplures, mendoſe ſatis ſcriptas, et ex diuerſiſſimis Codicibus prius collectas, in certum ordinem a doctiſſimo et optimo Patre Theodoro Tarviſino Epiſcopo redactas, qui apud ſuam Sanctitatem, dum in mortalibus ageret, Apocriſarii munus, Referendariique cum magna commendatione ſemper impleuit, amici quidam ad me delatas impendio popoſciſſent, vt mea diligentia emendatiuſcule redderentur, quo minore difficultate legi poſſent; excuſata rei magnitudine, ingeniolique

mei

mei tenuitate, ea conditione rogantibus annui, vt meo exemplo ad hoc vtiliſſimum opus aptiores incitarem, ſciens ſaepiſſime eueniſſe, vt ex initiis tenuiſſimis magnarum rerum primordia naſcerentur; eoque id egi libentius, quod nunc praecipue viſum eſt tempus opportuniſſimum, quo Te Summi Pontificatus Maieſtati praeſidente merito in melius cuncta profectura non ſolum ſperantur, ſed etiam perſpiciuntur.“ Celebrata deinde haud paucis verbis temporum felicitate, quaque literae, Paulo II. regnante, gaudeant, additaque ſplendidiſſima artis typographicae hoc ſaeculo coelitus demiſſae, ac ſub ipſo Paulo in Italiam auſpicatiſſimo ſucceſſu illatae, commemoratione, in haec verba deſinit: „Nunc igitur ſume, Pontificum manſuetiſſime et vere glorioſiſſime, Sancti Hieronymi primum Volumen, habiturus deinceps ſtatutis temporibus, ſemper noua tuae felicitatis indicia, quaſi frugum Te digniſſimorum primitias, et foue Artis huius vtiliſſimae ſub protectione Conradum et Arnoldum Germanos homines, artis imprimendi praeſtantes aduectores; et ſemen Coeli, populum Chriſtianum tuo munimini commendatum, apud Deum orationibus, inter homines pace, et rerum omnium iuua abundantia. Seruulo tuo ſatis ſunt pedum oſcula beatorum.“ Alterius voluminis epiſtola, ad eundem Paulum ſcripta, praelonga eſt, in eaque explicat diſertius, qua ratione in recognoſcendis Hieronymi voluminibus, quibusque ſubſidiis vſus ſit, quantoque maiorem hinc percepturi eſſent ſtudioſi vtilitatem, ſi contulerint cum iis libris, qui prius vulgo lectitarentur. Habet enim ſingulare hoc et a moribus noſtrorum hominum recedens, vt ab initio quidem ad Pontificem dirigatur Alerienſis oratio, ſed paucis poſt ad omnes lectores et literarum ſtudioſos ſe conuertat, et apud eos ad finem vſque peroret.

„Ante

„Ante omnia, incipit, munerum omnium largitori Deo, ac Sanctis eius, ſecundo loco Tibi, Pater Beatiſſime, Paule II Pontif. Maxime, ſtudia mea iam dudum dedicaui, ſacroſanctoque Fratrum tuorum Collegio ampliſſimo, in quibus R. Eccl. dignitas, et ſalus collocata, toto Orbe floreſcit. Prius igitur D. Hieronymi Epiſtolarum partem fere dimidiam cum illius opuſculis, mediocri mea diligentia emendatam, in manus hominum miſimus. Nunc alteram partem, in qua fere reliqua eiusmodi omnia collecta ſunt, tradimus. Tertium Volumen, quomodo perquiramus, in quo, quicquid reliquum diuini huius Doctoris Scriptorum inuenitur, poſt iſta redigatur, ſolerti animo meditamur. Haec Tibi in praeſentia, Pater Beatiſſime, deinceps ad omnes literarum ſtudioſos, quorum Tibi eſt cura praecipua, noſtra flectitur oratio." Rel. de emendata horum librorum prae manuſcriptis lectione, quantisque ea ſibi laboribus conſtet, quaeque fuerint difficultates tum in legendis codicibus manu exaratis, tum per ipſius auctoris immenſam eruditionis varietatem ſuperandae, item, quid ab aliis auxilii petierit, quaeque relinquenda ipſis lectoribus fuerint viſa. Ex quibus ſequentia neminem legiſſe poenitebit: „Miſſa Hebraica feci, recogitans in ſuo quemque Volumine ea eſſe, ſi licuerit et voluerit, ſuppleturum. Latina Codicum, quotquot habere valui, diuerſitate, et omnium aſſidua verſatione, frequentique repetitione, plurimorum amicorum conſultatione, longo Scriptorum eius a primis vſque annis vſu, et magnae partis Latinae Linguae Auctorum lectione mediocriter redintegraui, quamquam in pluribus epiſtolis vix vnum Exemplar idque ſalebroſum et minime facile intellectu propter mendarum multitudinem, et fragmenta quiuerim inuenire, quod, niſi Deus ipſe magis quam homines tunc iuuiſſet, fortaſſe

officere

efficere nequiuiſſem. Reſtabant cognitu neceſſaria imprimis Graeca, ſine quibus, vt praecipua fere Latinorum Volumina, ita nullo modo huius Sacratiſſimi Doctoris legi ſcripta ad intelligendi profectum poterant. In his igitur nequaquam omittendis, tum alios quosdam laude viros, et memoriae dignos conſului, tum cum primum meum doctiſſimum humaniſſimumque Theodorum Gazam, quem Latinorum hominum propitius Opifex rerum Deus, adiutorem, illuſtratoremque praecipuum, vt naſci voluit, ita ad nos miſit, quem, ſi quid ego ſuffragii habeo, inque iudicando ponderis, facillime doctiſſimorum temporum hominibus quibusque doctiſſimis confero, multis etiam haud vulgaribus antepono. Hic eſt meae nauigationis ſeptentrio, absque Theodoro meo non magis quidquam aggredior, quam absque meo genio etc." His continuo ſubiicit excuſationem de opuſculis quibusdam, Hieronymum auctorem non agnoſcentibus, in vtroque volumine diuulgatis, quae quoniam viri ingenium atque doctrinam haud vulgariter commendare videntur, hic etiam recitare non dubitamus. „In priore, inquit, veluti in praeſente quoque Volumine multa conniuentibus oculis, nonnullis amicorum ſeruientes, inſeri tolerauimus potius, quam conſenſimus, ne pedaria quidem (vt aiunt) ſententia decernendo, quae aliorum ſunt, et eorum ſane quaedam, qui Diui Hieronymi, vt cum Statio dicam, veſtigia ſemper debeant adorare, vt ipſe quid ſentiam, affirmem, non modo attingere, ſed ne longiſſimo quidem interuallo queant proſpectare. Ea tamen minime ſunt mala, aut ſcitu indigna, etſi Hieronymi ſplendore et faſtigio ſint minora. Diuum ipſum Hieronymum ſciebamus quibusdam in locis ſcriptorum ſuorum veluti nouum luſtrum facere. Nonnullis item praeſtantis auctoritatis viros, inque ſuis

ſuis facultatibus ſapientiae et famae ſingularis, inter quos eſt, Pontificii iuris decus egregium, Ioannes Andreae Bononienſis, qui veneratione atque admiratione multa Diuum Hieronymum ſuſpiciens et proſequens aegerrime ferebat illota (ne nugalia dixerim) quaedam tanto Doctori tribui, quae ex illius officina nequaquam prodiiſſe a mediocriter etiam ſtudiis, vel primis labris imbutis poſſent iudicari; ex quo etiam, vt de Homero Ariſtarchus, de noſtro Plauto M. Varro, de multis item plerique, ita ipſe in ſcriptis ſuis fecit de Hieronymo; quae hoc loco ideo commemoranda tantum, non etiam explicanda putaui, ne nimium me craſſa et praecipiti emendationis Minerua vſum quiſpiam arguendum exiſtimaret." Haec pauca de multis: nam etſi vereor, ne nimia quibusdam videantur, pauca tamen ſunt pro epiſtolae illius verboſitate; et quanquam ſine ipſius editionis inſpectione nonnulla reſtent, de quibus in praeſenti dicere non ſuppetit, veluti quaenam in vtroque volumine et quo ordine opuſcula contineantur, oppido tamen plura ad indolem vniuerſam cognoſcendam ex Alerienſis verbis hauriri poſſe ſperamus.*) Caeterum ſuppeditauit Alerienſis praefationes Card. *Ang. Mariae Quirini* de *optimor. Script. editionibus,* Romae poſt Typ. a Germanis aduectam in lucem datis (in Adpendice ad Geſta Pauli II. Romae 1740. 4.). Meminere autem eiusdem editionis iam pridem *Maitt.* T. I. p. 44. 49. 62. 63. e recentioribus *Guil. Franc. Debure* Bibl. Inſtr. Theol. p. 236. *Guil. de Bure* Cat. Bibl. Valier. T. I. p. 158. ex quo diſcimus epiſtolam primi Vol. cum Tabula Epiſtolarum contentarum et Vita Hieronymi, nouem, alterius Vol. epiſtolam et contentorum

*) Nonnulla etiam tertiae huius editionis deſcriptio ſupplebit.

tentorum indicem octo folia occupare; *Franc. Xav. Laire* p. 129. et qui hunc pro more carpit *Io. Bapt. Audiffredi*, p. 12 ſq. qui contra Maettarium etiam monet, verſiculos: *Aſpicis illuſtres* etc. ab hac editione abeſſe. Ac quamuis haec editio rara ſit, laudatur tamen frequenter in inſignioribus librorum indicibus, veluti in Cat. Bibl. Reg. Pariſ. T. I. p. 374. in Pinell. T. I. p. 98. Creuennae (1789. 8.) T. I. p. 101. pluraque exempla in diuerſis Italiae Bibl. manu ſua verſata Audiffredus notauit.

1470.

Romae ap. Sweynheym et Pannartz. fol. 2 Tomi: S. Hieronymi epiſtolae et Tractatus. In calce Tomi primi:

Impreſſum Rome opuſ In domo Petri et Franciſci de Maximiſ. iuxta campū Flore. preſidentibuſ magiſtris Conrado Suueynheym et Arnoldo Pannartz. Anno dominici natalīſ. M. CCCC. LXX. S. d. n. domini Pauli. II. Veneti Pont. Max. āno VI.

Vrbe et Eccleſia florente. *In calce ſecundi:* eadem plane, paucis tantummodo in literis et diſtributione mutatis.

Editio a. praecedentis denuo per eosdem typographos recuſa, quod impoſuit Quirinio, vt plane eandem cum ſuperiori putaret, anni tantummodo nota diuerſimode a librariis lucri cupidis exſcripta. Nec vero haec opinio ſubitanea fuit, ſed antequam memoriis ſuis finem faceret, addidit, certo ſibi de eo, per diligentem vtriusque integrae editionis collationem conſtare, et creditum eſt auctori curioſiſſimo eo libentius, quo difficilius erat vtriusque ſimul editionis nanciſci copiam. Nihilominus Cl. Audiffredi *) citra omne

*) p. 52-56.

omne dubium euicit, et ſpeciminibus collationis paginarum vtriusque palam fecit omnibus, non fucum facere voluiſſe anno diuerſe exſcripto typographos, ſed ipſam editionem iterum prelo fuiſſe ſubiectam, et, vt nobis quidem viſum eſt, in nonnullis emendatiorem. Haec dum ſcripſimus, incidit opportune in oculos Io. Andreae epiſtola ad Xyſt. IV. in qua de auctoribus a typographis Germanis ab a. 1468-1472. excuſis exponit.*) Numerantur ibi exemplaria Hieronymi exſcripta MC. quae ſi cum Maettario vni anno 1468. tribuas, quaeret aliquis, quid cauſae fuerit, vnam Hieronymi editionem toties multiplicandi, cum in aliis CCLXXV. aut CCC. aut quod maximum DL. volumina ſuffecerint. Quodſi eandem ſummam in vtramque ed. annorum 1468. et 1470. dispunxeris, non ſolum horum ratio cum caeteris concordabit, ſed agnoſces etiam, ad eundem calculum Lactantii et Auguſtini exemplaria eſſe reuocanda; quippe quorum volumina octingenta viginti quinque non vni editioni, quae Maettarii et Hambergeri (T. III. p. 75.) eſt ſententia, ſed duabus a. 1468. et 1470. competunt. Vna Biblia Nic. de Lyra totidem voluminibus ac vtrique Hieronymi editioni competere diximus, MC. excuſa eſſe dicuntur. Sed haud dubie numerus iſte ad quinque, quibus conſtant volumina, ſubducendus eſt.**) Laudatur altera haec editio omnibus, quos ad priorem recitauimus, et frequentius etiam in Biblioth. catalogis conſpicitur.

Mogun.

*) Ex quinto Tomo Bibl. gloſſ. Nic. de Lyra, anno 1472. apud *Maettarium* T. I. p. 48 ſq.

**) Dum Lairii librum diligentius euoluo, eandem ſententiam iam ab eo occupatam p. 77 ſqq. impr. 81. inuenio.

* *

Moguntiae per Petr. Schoiffer. fol. max. II Tomi. Beati Ieronimi Epiſtolare. *In calce Tomi ſecundi* minio impreſſum legitur hoc epiphonema:

Iam decet ut noſtris concordent ultima primis.
Sit decus illi. qui dedit hoc opus iniciare.
Et qui finire dedit ipſum. ſit decus illi.
Eſt decus eccleſie. pugilis tot ſcripta tenere.
Si quibus intendas. eſt decus eccleſie.

Igitur Sophronii Euſebii Ieronimi Orthodoxi. Eccleſie Xſti ppugnatoris clariſſimi Liber Ieronimianus aut ſi mavis quod et ipſe velim Liber epiſtolaris explicit. ut dignitas nominis Ieronimiani Egregio viro Iohanni Andree permanent. qui hoc ipſum zelo devotionis erga virum ſanctum affectus. tempore priſco vulgavit in orbem. Eſt autem preſens opus arte impreſſoria feliciter conſummatum per Petrum Schoiffer de gernſheim in civitate nobili Moguntina. Cuius nobilitati vir beatus Ieronimus ſcribens ad Ageruntiam de monogamia teſtimonium perhibet ſempiternum. multis milibus incolarum eiuſdem in eccleſia pro fide catholica ſanguine proprio laureatiſ:

Huic laudatori. reddit Moguntia vicem
Tot ſua ſcripta parans vſibus eccleſie.

Anno Domini M. CCCC. LXX. Die ſeptima menſis ſeptembris que fuit vigilia natiuitatis Marie.
Da gloria Deo.

Volumen eſt formae maximae, character gothicus luculentus, paginae impreſſae columnis ſectis, abſunt cuſtodes, plagularum ac paginarum numeri. Vniuerſum opus diſtinctum in duodecim partes, quae *diſtinctiones* appellantur, quarum quinque primo, ſeptem altero tomo comprehenduntur. Exordium totius ducit *Introductorium in Epiſtolare beati Ieronimi*

 impreſ-

impreſſionis maguntine (ſic) *facte per virum famatum in hac arte Petrum ſchoiffer de gernſheym*, vnde nonnulla, quae huius et ſuperiorum temporum circa Hieronymum ſtudia apertius declarabunt, transſcribimus. Incipit a laudatione quatuor ſummorum eccleſiae doctorum, Gregorii, Ambroſii, Auguſtini et Hieronymi, in cuius laudibus aliquantiſper commoratus de ordine ac vſu regiſtri epiſtolaris enucleate praecipit. „Deinde, pergit, non curioſo cuius non ſatiatur oculus viſu nec auris auditu, ſed pio ac ſtudioſo ſermonis ſectatori familiariter colloquendo ſit paucis inſinuatum, quod Egregius vir canoniſtarum iudex iurisque floretum Iohannes Andreeglorioſi Ieronimi ſingularis amator,*) in ſuo Ieronimiano plus commendacioni ſancti viri intendens, quam epiſtolarum ad literam comportacioni, tum de illis quas laborioſe congregaſſe ſe dicit non per omnia quid ſunt quidue contineant, ſed quorum ſunt, prodit, paucos ieronimocentonas excerpendo. Item ſecluſit omnes epiſtolas aliorum ad iheronimum ſcriptas, ſicuti ſunt Damaſi pape, Auguſtini, Theophili, Rufini. E contrario aſſumpſit ad minus triginta quinque prologos librorum et opuſculorum expoſitorialium. Item quedam anilia, utpote de infantia ſaluatoris, de ioachimi et anna, de quindecim ſignis. Item ſermonem de quadrageſima qui incipit *Apoſtolica*, qui potius eſt Leoni quam ieronimo aſſcribendus. Preſens autem epiſto-

*) *Ioannes Andreae* doctor Iuris Canonici Bononienſis ſaeculo XIV. celeberrimus, cuius *Hieronymianus*, quem a. 1482. absque *loci* indicio impreſſum manibus tenemus, excerpta et inſigniores ſententias ex epiſtolis iisque tractatibus, qui cum his fere typis primo vulgari conſueuerant, collectas ſecundum claſſes quasdam ſiſtit. Vid. *Mazuchelli* et quos praeter hunc laudat Hamberger T. IV. p. 551.

epiſtolare non centonas colligit, ſed glorioſum virum ieronimum dictantem, ſcribentem, redarguentem, conſolantem, inſtruentem, tanquam redivivum alme chriſtianitati facit coram aſſiſtere, et idcirco aliorum epiſtolas admittit, ne videretur ieronimus incaſſum ſcribere remenſales, ſi prouocatorie non proceſſiſſent. Ceterum prologos quoſque ſuis libris relinquendo, anilia apographa et dubia oculo connivente praetranſit. Et hec eſt cauſa, quod tam pauci ſermones ſub nomine ieronimi annotantur in diſtinctione undecima, quod in talibus facilius, quam in aliis paralogiſmus committitur. Demum ne venerabiliſ patris guidoniſ carthuſienſis videamur ignari, qui ſuis ſcriptis Iohannem Andree fecit attonitum, adeo, ut certas epiſtolas guidoniſ iudicio repudiandaſ cum ſcrupulo inter ſuas admiſerit, potiſſimam cauſam allegantes ſtili diſtantiam: nos concedentes unicuique cum apoſtolo, ut in ſuo ſenſu abundet, ſtili iudicium illis committendo quibus ſolitum eſt, ſicut de vino ita de ingenio diſputare: eas epiſtolas quas iohannes andree admiſit concordantibus exemplaribus perantiquis cenſuimus admittendas. Quin etiam eam quae inſcribitur ſecunda ad demetriadem et incipit *ſi ſummo* non repudiamus propter hoc quod Auguſtinus dicatur eam habere tanquam a pelagio factam: cum ſtili elegantia et materie cum alterius epiſtola ad eandem virginem quae incipit *inter omnes* conſonantia ut debeat credi eſſe ieronimi deprecetur. Et ſalva unione pacis catholice dici poſſit auguſtinum taliter opinatum. — De reliquis quae movere poſſunt animum inſpectoris, cur videlicet dyalogus Ieronimi et Auguſtini de anima ſit excluſus ab epiſtolari preſenti; Item cur epiſtola auguſtini ad optatum ſit inſerta diſtinctioni quinte; Item de regula Ieronimi pro viris; Item de epiſtola ad Vigilantium *Sic ad proprias;* Item ad heliodorum *Quid*

facis o monache; Item ad Marcellam de laude caſtitatis Oloſernis; cur talia ſunt omiſſa breviter reſpondendum. Ad primum, quod, licet utatur dyalogus iſte verbis utriusque doctoris: tamen per neutrum eorum eſt conſcriptus, ſed per alium compilatus, nec unquam ſe mutuo conſpexerunt viventes in corpore. Ad ſecundum, quod auguſtinus ſcribens optato de anima, de quo dudum Ieronimo ſcripſerat per longum paſſum verſatur in laudibus Ieronimi. Ad tercium et quae ſequuntur eſt una reſponſio: quod excerpta ſunt et non originalia. In attitulacionibus epiſtolare iſtud formaliora et antiquiora ſequitur exemplaria. Vbi ſe offert difficultas in A. decima, quod hic attitulatur *damaſo*, alibi inſcribitur *ad damaſum ruſticum epiſcopum narbonenſem.* · Ipſe autem Ieronimus damaſum ut virginem veneratur in apologia ad pammachium de libris contra iovinianum ſecundum D. IIII. fol. IIII. d. In iſta autem epiſtola ſecundum A. decima ammonere videtur pontificem de abſtinentia operis coniugalis. Sive igitur apoſtolico ſive narbonenſi epiſcopo aſſcribatur, diſputandum relinquimus curioſis, hoc ſcientes, quod ad pontificem delegatur, non qui eſt, ſed qui fuit unius uxoris vir. Etiam aviſandum de quibusdam nominibus propriis, in quibus ſolent exemplaria diſcordare vt *Ieronimus ad aletam* vel *ad letham, ad antonium* vel *amonium, ad virgines hemonenſes* vel *chremonenſes* et in ſimilibus, ne quis ſtulto labore ſe conficiat, cum utrumque in id ipſum eveniat. Lecturus etiam in epiſtolari preſenti more conventuali obſervet loca diſtincta duabus punctis, in illis circumflectendo viciſſim et elevando ſecundum conſuetudinem ſui loci; et ubi unum punctum repererit, reſpirando reſervata ſigno queſtionali ſua proprietate, et ſic faciendo raro occurret neceſſitas corrigendi. Poſtremo cum epiſtolare

noſtrum

noſtrum grecis elementis reſperſum non eſt: in hoc communitati conſultum eſt, in qua pauci ſunt qui grece norint. Si quis autem norit et vere noverit inveneritque aliquid imperfectionis in hac parte: perficiat ipſe in ſuo libro, ſi iudicaverit expedire. Meminerit tum quod ſicut aſinus ad liram ſic et greci ſermonis ignarus ad homerum. Etſi in latinitate gnariſſimus ſit, pro eodem tamen habebit, ſi canat homerus, ſibi vel balbutiat infans." Rel. Hanc praefationem ſequitur *regiſtrum epiſtolarum ſecundum diſtinctiones.* Numerantur vero epiſtolae ſ. tractatus duplici ratione, ſummatim et reſpectu ſectionum. *Prima ſectio* continet *Epp. Damaſianas* (inter Hieronymum et Damaſum ſcriptas) XIV; *altera* epp. *declaratorias fidei orthodoxae et perſecutionis pro illa perpeſſae et victoriae conſecutae*, XXII; *tertia* epp. *quae concernunt Origenem et Rufinum* defenſorem eius, XXII.; *quarta conſutatorias* plurimorum *haereticorum et detractorum b. Hier.* XXI.; *quinta* epp. *Auguſtinianas*, XX; *ſexta introductorias ad vitam emendatiorem*, XX;*) *ſeptima* epp. *diverſorum queſtionibus ſatisfactiuas*, XIII; *octaua exhortationes ad ſuſtinentiam tribulationum et incommodorum corporalium*, VI; *nona* epp. *conciliatorias et renouatorias amicitiarum*, XIII; *decima* epp. *doctrinales de diuerſis materiis* obmiſſis nominibus, ad quos ſcripſit, XII; *vndecima* ſermones *quorundam ſolennitatum*, qui in quampluribus exemplaribus Ieronimo aſſcribuntur, VII; *duodecima* epp. *pro deuoto femineo ſexu* editas, XLVII. eique annexae ſunt *ep.* ad Damaſum Portuenſem epiſc. *de morte ac felici tranſitu Hieronymi, Ep. Auguſtini* ad Cyrillum epiſc. ieroſol. *de magnificentia b. ieronimi* in viſione ſibi oſtenſa; *Ep.* Cyrilli *ad*

*) Inter has n. XVIII. totus liber *de viris illuſtribus.*

ad Auguſtinum *de miraculis ab Hieronymo poſt mortem patratis.* Summa CCXX. Haec textum praecedentia oſtendunt tribus foliis, quartum pagina recta columna dimidia *epitaphium* Hieronymi praebet. Primus tomus finitur in extrema paginae rectae linea verbis: *Sequitur diſtinctio,* pagina auerſa pura relicta. Rubricae omnes minio ſunt impreſſae. Accuratam formae externae h. ed. deſcriptionem inuenies etiam apud *Debure iun. Bibliogr. Inſtr. Theol.* p. 237. vbi duo exemplaria ſicuti a *ſeniore* in *Cat. Bibl. Vall.* T. I. p. 154. tria eiusdem proferuntur. Sed nuperrime complures inter noſtrates curioſius eam tractarunt impr. *Ioſeph. Maria Helmſchrot* in *Verzeichniſs alt. Druckdenkmale d. Bibl. d. Benedict. Stifts Mang in Fueſsen* (Ulm 1790. 4.) p. 3 ſq. et Cl. *Zapf Aelteſte Buchdruckergeſch. von Mainz* (Ulm 1790. 8.) p. 47. qui in eo tamen fallitur, quod Romanarum editionum repetitionem putet. Sed iam ante hos VV. Cll. accuratius eandem deſcripſit, qui paene diligentiam noſtram effugerat *Io. Ge. Geſnerus,* Conr. quondam et Bibliothecarius Lubecenſis, in Verzeichniſs der vor 1500 gedruckten, in d. Bibl. zu Lübeck befindl. Schriften (herausgegeben v. *Ludw. Suhl.* Lübeck 1782. 4.) p. 21 ſq., qui duorum exemplarium diligenti comparatione animaduertit, *Introductorium* duplex extare alterumque quod incipit *Omnes chriſtianae religionis homines!* altero, quod verbis inchoatur *Omnibus eccleſiaſtici ordinis deuotis Zelatoribus* longe eſſe elegantius, indeque concludit prius auctori anonymo, diſtractis iam aliquot operis exemplaribus, displicuiſſe et noua forma impreſſum exemplaribus, quae nondum diſtributa eſſent, eſſe additum.

1475.

1475.

Baſileae . . . . B. Hieronymi Homiliae aliquot (ex Origene) et in Canticum Canticorum. Vallarſius in praef. generali Parte I. n. 7. p. VI. commemorat.

1476-79.

Romae per Conr. Sweynheym et Arnold. Pannartz et Ge. Laur. fol. Tomi II. Hieronymi Epiſtolae et Tractatus. *In calce* Tomi primi:

Impreſſum Rome in domo nobilis uiri Petri de Maximis iuxta Campum Flore. Preſidente magiſtro Arnoldo Pannartz. Anno dñici natalis. M. CCCC. LXXVI. Die uero XXVIII. Martii. Sedente Sixto IIII. Pontifice max. Anno eius quinto.

In fine ſecundi:

Epiſtolarum beati Hieronymi pars ſecunda: Impreſſa Rome per uenerabilem uirum magiſtrum Georgium Laur de Herbipoli: Sub anno dñi M. CCCC. LXXIX. die uero Lune: q̲nta mẽſis Aprilis. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris et domini noſtri domini Sixti diuina prouidentia Pape quarti anno eius octauo finit feliciter.

Eſt haec tertia editio Romana accurante Arn. Pannartz (Conradus enim Sweynheym ad Chalcographiam ſe dederat) inchoata, ſed eodem hoc ipſo anno peſte haud dubie conſumpto a Georgio Lauer, quem heredem characterum eius factum eſſe *Laiſius* *) dicit, eodem plane charactere ad finem perducta. Habentur in illa eadem eodemque ordine ac in duabus praecedentibus Romanis. Nempe vt a *Seemillero* (Bibl. Ingolſtd. incunbb. typogr. faſc. I. p. 99.) edocemur in *tres partes principales* eſt diuiſa, quarum

*) In ſpecimine p. 102. 229. 242.

quarum *prima* eas Hieronymi et aliorum *Epiſtolas* et *Tractatus* alios complectitur, qui *ad ſymboli fideique catholicae expoſitionem* ſpectant. In *ſecunda* parte occurrunt *Epiſtolae et opuſcula ad ſacrae ſcripturae interpretationem* ſpectantia. In parte tandem *tertia tractatus* et *epiſtolae moralis argumenti* continentur. Pars quaelibet in ſectiones, quae *Tractatus* vocantur, eſt diuiſa, ſingulisque tomis praeter literas dedicatorias index ſingulorum opuſculorum et epiſtolarum praemittitur. Cf. *Audiffredi* p. 205. 232. Raro integra haec occurrit editio vt in Cat. Bibl. Creuennae (8vo 1789.) T. I. p. 103. ſed plerumque vnus vel alter Tomus cum altero ed. priorum obuius venit. Sic ap. Debure Cat. Vall. P. I. T. I. p. 161.

1476.

Venetiis per Antonium Barthelemaeum (Bartholomaei). fol. Tomi II. Hieronymi Epiſtolarum aliorumque operum volumen in duas partes diſtinctum per *Laelium* Auditorem Apoſtolicum. (Ad calcem primae Partis exſtat Pauli Vergerii Sermo de laudibus eiusdem S. Doctoris.) Ita *Cat. Bibl. Chigianae* p. 254. Vnde ex principe eam expreſſam eſſe ſequitur, vt poſtea pluribus patebit. Laudant obiter *Caille.* p. 22. *Maitt.* T. I. p. 117. *Cat. Pinell.* T. I. p. 98.

1477.

Norimbergae . . . . f. B. Hieronymi *Commentarii in Sacram Bibliam.* Vallarſius tanquam primam editionem commemorat, quae hoſce commentarios e ſitu et ſqualore in lucem protraxerit.

1479.

Colon. . . . . f. B. Hieronymi *Comment. in Sacram Bibliam.* Praeter Vallarſium a nemine laudatos vidi.

1480.

1480.

Parmae. fol. Tomi II. Beati Hieronymi Epiſtolae. *Ad calcem Tomi primi:* Impreſſum in Vrbe Parmenſi M. CCCC. LXXX. die XVIII. Ianuar. *Ad calcem II:* Diui Hieronymi religionis eccleſiaſticae doctoris eximii huic ſecundo epiſtolarum volumine finis imponitur. Quod quidem opus vna cum priore volumine in vrbe Parmenſi diligenter emendatum et impreſſum eſt anno Natalis Dominici M. CCCC. LXXX. Idibus Madiis (*ſic*). In quo quidem, vt diligens poterit Lector aduertere, multi et Tractatus et epiſtolae, quae in caeteris impreſſionibus minime reperiuntur, inſerti fuere.*) *Maitt.* T. I.

*) *Deburius ſen.* in Cat. Vall. P. I. T. I. p. 161. hunc titulum conſignauit: *S. H. Epiſtolae, in nouum ordinem redactae in quo quidem opere et tractatus et epiſtolae qui in caeteris impreſſionibus minime reperiuntur, inſerti fuere. opera et ſtudio Theodori Lelii auditoris apoſtolici.* Optabam igitur aliquamdiu, vt eſſet, qui indicaret, an *Theodori* mentio facta ſit aut ipſius forte praefatio in introitu Vol. I. fuerit expreſſa, vnde collegiſſem, primam iſtam collectionem *iterum* hic nouis tractatibus auctam et interpolatam eſſe, quod *primum* ab Alerienſi factum erat; nam Lelii collectio per ſe ceteris, ſi *alteram innominatam* exceperis, auctior nullo modo eſſe poteſt. Iam Seemilleri diligentiſſimi ac peritiſſimi bibliographi beneficio certus paene eſſe mihi videor, Lelii non niſi obiter in Alerienſis praefatione, quae cum tota Romana editione hic iterum exſcripta eſt, mentionem fieri. Cautius hic (faſc. III. p. 116. n. 36.) *epiſtolas et opera H. minora a Theodoro Lelio diſpoſita* vocat, quatenus ſcilicet Lelii diligentia in Romana editione, quantumuis diſſimularet Alerienſis, utramque paginam facit. At mea quidem ſententia omnino praeſtabat *Romanae repetitionem* dicere, ne quis cum ipſa Leliana eam confundere inducatur.

T. I. p. 154. *Hamberger*. T. III. p. 77. *Cat. Pin.* T. I. p. 98. Vallarſius omnium ſplendidiſſimum dicit, et epiſtolis et tractatibus aliquot auctiorem.

1489.

Baſileae per Nic. Keſſler. fol. Tomi II. B. Hieronymi Epiſtolarum Prima et Secunda Pars. Ad calcem Voluminis ſecundi:

Si delectet opes (ſic)? nomen ſi forte rogaris
Artificis: legito: carmina lecta dabunt.
Hieronymus latii ſum gloria: me venerantur
Chriſticolae: ſum nam doctor et eccleſiae.
Conſcripſi varia: diſtinxi et ab ordine pſalmos
Biblia quod referat: meque dediſſe putes.
Quaſque vides coram miſſurus: transfer: habebis.
Lex ſacra dicar ego huic quoque Hieronymus
Nil Lacheſi ſuperat: Nicolaus vivere Keſler
Nomine perpetuo me facit ingenio.
Cui merito celebri urbs inclita ſectaque ab undiſ
Rheni: condignum *dat Baſilea locum.*
Non nummis nocuis: (lector credas ne labori
Atteſtatur opus) parcere doctus erat.
Menda operi nulla eſt: calamum fugiaſ: pete chartaſ
Preſſas arte noua quaere characteribus.
Mille quadringentas octoginta numerabis
Cumque nouem ſpicis credito preſſus eram.
Flammifero Titan clarus vixiſſet eoo.
Octauam auguſti dum minor umbra foret.

Haec eſt repetitio principis, quae collectionem Theodori Lelii, Taruiſini Epiſcopi ſiſtit. Quod quoniam tunc demum obſeruauimus, quum ſequentia de ſummia contentorum et diſpoſitione vna cum iis, quae huic editioni iam ſunt propria, literis conſignata eſſent: nunc

nunc improbus labor viſus eſt locum mutare et ad ipſam ed. primariam ea transferre, praeſertim cum eadem inter innominatas a nobis recenſebitur. Incipit a praefatiuncula Theodori, in qua primum queritur, epiſtolas Hieronymi vſquedum ſine vllo ordine fuiſſe deſcriptas ac nulla argumenti ratione habita cum quibusuis aliis tractatibus et commentariis permiſtas. Huic ergo malo obuiam iturus *eas ipſas epiſtolas propriis materiis annectere, tractatibuſque diſtinguere inſtituit*, qua in re Platonem ſe imitari exiſtimat. Itaque *omnes epiſtolas atque tractatus exceptis maioribus, quos in canonicas ſcripturas edidit, commentariis, generaliter trifaria partitione* complexus eſt et *quamlibet partium in particulares* diſtinxit *libros ſiue tractatus:* atque ab illis exorſus eſt, *quibus fides catholica roboratur atque ab haereſium impugnatione defenditur;* deinde *dogmaticos libros de vtriusque teſtamenti quaeſtionibus vel de ſcripturarum ſacrarum expoſitionibus* adiecit. Tertio loco *de moribus atque virtutibus, quibus conuerſatio chriſtiana, prout vnicuique gradui, ſexui, vel aetati congruit, inſtituitur, diſtinctos* tractatus ſubiecit. Ipſis quidem epiſtolis aut certe earum plurimis *argumenta plerumque ab illuſtribus viris excerpta* praemiſit. Ab hac diſcretione ſecundum argumenta diuerſa eſt altera in volumina, quorum primum, ne modum, vt ipſi monent librarii, excederet, finitur *tractatu ſecundo partis ſecundae* folio CCVIII. epiſtolas CXVIII. complexum, alterum a tertio tractatu eiusdem partis initium ducens fol. CCLXXI. epiſtolas CXLVII. repraeſentat. Textum proxime antecedit Vita beati Hieronymi tribus foliis; finemque conſtituunt tres Euſebii Cremonenſis, Auguſtini et Cyrilli ſuper Hieronymo vita defuncto epiſtolae. Porro vnicuique volumini praemittitur tabula contentorum, in qua ſingularum et

et libellorum argumenta breuiter perſtringuntur, quaeque deinde ſuis locis repetita videas. Praeterea primi vol. tabulam breuis admonitio ad lectorem, alterius vero carmen Sapphicum praecedit, quo Hieronymus vitam, quam in eremo tenuit, narrans introducitur, cum imagine ligno impreſſa, eundem repraeſentante. Ac in priori tomo tabula iſta tria folia occupat, praemiſſo vno tituli, quem ſupra ſcripſimus; in ſecundo vol. praemiſſa VI. fol. implent. Quod ad externa libri attinet, character eſt gothicus, impreſſio columnis ſectis facta, cuſtodes abſunt, ſed foliis numeri ſunt adſcripti, partes denique tractatus et epiſtolae in ſuprema folii ora numeris ſuis deſignantur. Duo huius editionis exemplaria Bibl. Regia poſſidet; alibi mentionem eius factam nondum vidimus.

1490.

Venetiis per Bernardinum de Benaliis. fol. Tomi II. Hieronymi Epiſtolae. — die XIIII. Iulii. — Eadem quam Maitt. nomine Bernardini *de Renatis* allegat, quod Deniſius in ſuppl. T. II. p. 771. correxit. Nullus dubito, quin ex Romanis ſit deſcripta. Profert *Cat. Pinell.* T. I. p. 98. Vid. *Debure Cat. Vall.* P. I. T. I. p. 162.

1492.

Baſileae . . . . fol. Hieronymi Epiſtolae CXLVII. Laudatas inuenio ab *Hirſchingio T. Bibl. Geſch.* Suppl. p. 315. inter libros Biblioth. principal. Fürſtenbergianae, Pragae.

1495.

Norimbergae per Anton. Koberger. f. Epiſtolarum beati Hieronymi presbyteri omnes partes vno volumine contente. *Ad calcem:* Epiſtole beati Hieronymi

ronymi chriſtianiſſimi doctoris omnes uno volumine contente: bene viſe: in famoſa civitate Nurnberg per Anthonium Koberger impreſſe Anno ſalutis Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quinto, XII. die menſis Novembris: finiunt feliciter.

Repetitio eſt Baſileenſis. Praecedunt textum, praeter folium, quod titulum ſiſtit, eadem praefatio ac contentorum tabula VI foliis. Literae ſunt gothicae minores. Impreſſae ſunt pariter ac praecedentes columnis ſectis.

Pariſiis apud Guidonem Mercatorem. 4. Sancti Hieronymi prologi in Bibliam. *Cat. Biblioth. Reg. Par.* T. I. p. 374.

1496.

[Venetiis per Iac. Rubeum. f. B. Hieronymi Epiſtolae.*]* *)

1497.

Baſileae [per Nicol. Keſler.] f. Tomi II. Epiſtolae B. Hieronymi. Ad calcem diſticha: *Si delectet opes* (ſic)? rel. — *characteribus*, ita vt reliqui quatuor verſiculi deſint, quorum loco anni nota M. CCCC. XCVII. extat. Neque vero hinc ſolum manifeſtum fieri videtur, ed. Baſ. a. 1495. in eadem eſſe recuſam, ſed eo quod potiſſimum praefatio etiam

*) *Cat. Bibl. Firmianae (Mediol. 783. 4.)* p. 49. haec profert, quae haud facile quisquam concoquat: „*S. Hieronymi Epiſtolarum* etc. *Volumen. (legitur poſt p. 376.) Venetiis, Io. Rubeus Vercell.* 1496 *f. p. Accedit p. 377. etc. Regula Monachorum ex Epiſtolis et Tractatibus S. Hieronymi per Lupum de Oliveto ſeu Olmeto, Hiſpanum Monachum excerpta.* Sic.

etiam et carmen ſupra laudatum in eam recepta ſint. Verumtamen non per omnia cum ſuperiore illi conuenit, quemadmodum elegantia characterum et reliqua ſpecie longe illam antecellit. Siſtit enim epiſtolas aliquanto pauciores, tomo primo LIII, ſecundo LXXXIII, tertio LXXXVI, ſummatim CCXXII. cum in illa contentarum ſumma ſit CCLXV. nec, quamquam eandem partitionem in *partes* et *tractatus* ſequatur, eadem plane in ſingulis exhibet.*) Denique longe melius legentium vſibus in hac conſultum eſt indicibus duplicibus, vno rerum memorabilium, altero tractatuum contentorum, vnicuique parti ſub titulo *Inuentuarii Epp. H.* ſubiunctis, quibus in prima parte praefatio prioris Baſ. ed. nec non carmen ibidem laudatum et vita Hieronymi ſunt adiecta. Huic opportunitati non minus reſpondent externa egregie concinna. Character Romanus eſt nitidiſſimus, charta candida et tenera, ſingulas partes ſingularumque partium inuentuaria titulus peculiari ſolio ornat,**) album folium claudit. Folia haud numeris diſtincta ſunt, nec cuſtodes habent, ſed Epiſtolae numerum et breuem denotationem in ſuprema pagina praebent. In margine loca biblica et aliae res quam breuiſſime deſignantur. Conf. *Helmſchrot* p. 176 ſq.

* *

Venetiis per Ioannem et Gregorium de Gregoriis. f. Tomi IV. S. Hieronymi Stridonenſis opera omnia,

*) Sic pars prima h. ed. exorditur cum tractatu *De Eſſentia Trinitatis et Membris Domini*: Omnipotens Deus etc. (Ep. I.); prior editio initium ducit a *ſymbolo Rufini*: Mihi quidem etc.

**) Quod in noſtro exemplari parti primae deeſt.

omnia, praemiſſa eiusdem Vita. — Sic in *Catal. Biblioth. Chigianae* p. 253. Vallarſius editionem a. 1498. per hos typographos factam Commentarios in S. Bibliam exhibere ait. Ergo fortaſſe poſteriores Tomi a. 1498. impreſſi fuerint. Auide equidem expecto, vt hanc editionem aliquis inueſtiget et notiorem reddat.

1500.

Viennae. 4. B. Hieronymi Epiſtola ad Magnum Oratorem Vrbis de legendis et audiendis poetis, editore *Conr. Celte:* cum *Eiusd. Septenaria Sodalitate literaria Germaniae.*

Editiones ſine loco et anno.

Sine loco et anno. Prima. fol. II. B. Hieronymi Epiſtolae. Primum Volumen terminatur charactere maiori ſic: *Finis primae partis.* Secundum vero eodem charactere ſic: *Finis ſecundi voluminis epiſtolarum Beatiſſimi Hieronymi. Veritas vincit.*

JA. RU.

Ita hanc editionem proferunt Deburius ſen. in Cat. Bibl. Vall. P. I. T. I. p. 160. et F. X. Laire in ſpecim. p. 130 ſq. nota *e.* Vterque in eam conceſſit ſententiam, eſſe hoc volumen ab Vlrico Han a. 1468. vel 1469. typis exſcriptum: ita plane conformem characterem eſſe illi, quem in Tuſculanarum Ciceronis editione (cum *Officiis* puta) a. 1469. et in Epiſtolis Phalaridis adhibuerit, Deburius affirmat, eundem cum literis in ed. Ciceronis de Oratore a. 1468. comparentibus Lairius iudicat. Eſt nimirum ſemigothicus, quo Vdalricum Gallum in compluribus auctoribus vſum fuiſſe conſtat; paginae co-

lumnis diuiſis impreſſae; cuſtodes, ſignaturae et alia id genus abſunt. Principem *forſitan* eſſe, confector Catalogi Bibl. Smithianae, *) Io. Bapt. Paſchalius, ſuſpicatus eſt, nullis praeter characteris vetuſtatem rationibus, vt nobis videtur, pellectus. Nam quo minus ab aliis argumentis indicium eius arceſſas, illud obſtat, quod aliarum, imprimis Romanarum editionum eius fere aetatis rationem nullam habuerit, immo fortaſſe nec nouerit eas. Idem tamen praefationibus et literis dedicatoriis huius editionis in Appendice Catalogi Smithiani ſubiunctis facem nobis praetulit, vt, caeteris antiquis editionibus diligenter exploratis, certius ac confidentius de eadem ſtatuere liceret. Anteaquam enim hoſce fontes adeundi copia data eſt, non dubitauimus, quin ſubſequens Romana, curante Andrea Alerienſi facta, princeps eſſet; qui cum in praefatione collectionis cuiusdam epiſtolarum Hieronymi a Theodoro Taruiſino epiſcopo factae mentionem feciſſet, quam amici quidam ad eum deferentes emendatiorem reddi popoſciſſent: nos de MS. Theodori libro locutum eum arbitrabamur. Offerebant ſe deinde Editiones quaedam in Germania factae, nec Romanas iſtas, nec Moguntinam Schoefferi repraeſentantes cum praefatiuncula ignoti, vt videbatur, auctoris, in quibus hoc maxime mirati ſumus, quod pauciores epiſtolas quam praecedentes continerent. Ecce vero praefationes huius apud Paſchalium excutientes agnoſcimus Theodori Lelii praefationem eſſe eandem quam Baſileenſes in limine gerunt. Quid multa?

*) Bibl. Smithiana ſeu Catalogus librorum *D. Ioſephi Smithii* Angli (Conſulis apud Venetos, eiusdem, ex cuius ſupellectile edit. Cypriani Manutianam in Bibl. Regia Acad. aſſervari ſcripſimus) *Venet. ap. Io. Bapt. Paſquali* 1755. 4.

multa? Princeps eſt haec noſtra editio, ab Vdalrico Gallo a. 1467. ſeu ineunte 1468. ſine anno et loco, vt tum ſolebat, excuſa, eaque, ſi quid iudico, Conradi et Arnoldi, qui nullo non tempore Vlrico obtrectabant, inuidiam conflauit, qua perciti inſtigarent Alerienſem, vt auctiorem et, ſi fieri poſſit, emendatiorem pararet ſuis ſumtibus imprimendam, qua fructus laborum Vlrici intercepturos ſe ſperabant. Sed ne viros bonos et de re literaria alioquin aeternum meritos temere calumniari videamur, age rationibus ſententiam noſtram adſtruere conabimur. Ac primo quidem conuincendi nobis ſunt ii, qui in ſiglis J A. R U. nomen typographi latere exiſtimant, ex quorum numero eſt Audiffredus,*) qui tantum abeſt, vt in Lairii ſuſpicionem de typographo eiusdem concedat, vt potius ſpeciminibus ad calcem l. l. exhibitis, ex forma characterum ab illa Vlrici Galli in Romana Cic. de Oratore diuerſa, demonſtrare annitatur, non illum ſed *Sixtum Ruſſingerum* aut alium quemquam eius characteribus vſum eas impreſſiſſe. Imprimebat hic Neapoli annis 1474 - 1476, eique imprimis moris fuiſſe, Audiffredus contendit, annum et locum et nomen omittere. Scilicet nihil intereſt, quid fingatur, modo, quae potior eius cura eſt, Lairium erraſſe cum aliqua ſimilitudine veri dicat. Probabiliorem coniecturam eorum, qui Cat. Bibl. Harleianae curarunt, vbi eadem ed. T. I. p. 40. n. 719. occurrit, laudauit Hambergerus.**) Putant illi, per ſigla iſta deſignari *Iacobum de Rubeis* typographiam intra annos 1473. et 1476. Venetiis exercentem. Enimvero nec characterum diſſimilitudo, nec ſigla illa

 obſtant,

*) In Cat. Rom. ed. ſec. XV. p. 13. 14.

**) Zuverläſs. Nachr. T. III. p. 76. Cf. Cl. Zapf in Aelt. Buchdruckergeſch. von Mainz p. 51.

obſtant, quo minus Vlrico Gallo cum Lairio vindicemus. Quod ad primum enim attinet, quem fugit Vdalrici in parandis nouis characteribus ſtudium! Notae vero I. R. quae facile cum IA. RU. componantur, comparent etiam in ſubſcriptione Meditationum Ioannis de Turre Cremata, quas idem ille Gallus a. 1467. menſe Decembri abſoluit.*) Quidni autem ſocium aliquem Vlrici, quem ignoramus, quemque breui forſitan Vlricus amiſerit, literis hiſce initialibus demonſtrari putemus, qualis Conrado et Arnoldo fuit Ioannes a Laudenbach ſimili literarum compendio A. I. in ed. Auguſtini de Ciu. D. a. 1467. in mon. Subl. latens. Sed alia aggredimur, et quae bibliographi iſti, qui nil niſi apices literarum et ſignorum myſteria curant, plerumque ſpernunt. Scribit Io. Andreas, collectionem Epiſtolarum Hier., a Theodoro Taruiſino factam, ad ſe delatam eſſe ſeque rogatum, vt emendatiorem ſuis curis redderet. Quaerimus igitur, manuſcriptusne ille liber Theodori fuerit an hic ipſe potius liber impreſſus? Quis credat vero, Alerienſem, ſi primus fructus induſtriae Theodori luci dediſſet, praefationem eius omiſſurum fuiſſe? Sed, inquis, non eandem ſeriem, ſed multo auctiorem dedit. Audio. Attamen vel ſic pro fundamento illa erat nec ideo debita ille laude fraudandus. Nec moribus temporum hoc conuenit, vt ipſius huius innominatae editionis exemplo cognoſcas, in qua copioſa de Theodoro Lelio notitia vna cum praefatione eius praemittitur. Contra ſi noſtram ſequeris qualemcunque ſententiam, bene conſultum fuit ab Alerienſi typographorum rationibus deſultoria hacce et ambigua editionis antecedentis mentione; hos vero quid aliud feciſſe diximus, niſi quod ſolemne ipſis

erat.

*) Laire p. 127. Audiffredi p. 8.

erat.*) Vt reuertamur tandem, nam pudet paene in damnum honeſtatis Conradi et Arnoldi argutos fuiſſe, quae ad plenam editionis huius cognitionem adhuc deſunt, colligamus. Incipit Vol. I. ab Ariſtaea de LXX Interpretibus ex verſione Matthiae Palmierii. Sed ipſam Ariſtaeae narrationem praecedunt *notitia de Theodoro Lelio*, vnde diſcimus, Pycenum illum natione fuiſſe, a Nicolao Pont. Auditorem Rotae Rom. conſtitutum, a Pio Praeſulatu Feltrenſi et a ſucceſſore eius Paulo II. Taruiſino epiſcopatu ornatum; item quod praefationem huic collectioni ſine nominis ſui annotatione praemiſerit. Eadem notitia repeti dicitur poſt Ariſtaeae narrationem. Iam Lelii praefationem, huic ſtatim ſuccedentem, ſupra per compendium dedimus. Eam autem Matthiae Palmierii **) epiſtola ad Paulum II. de Ariſtaeae verſione ſequitur, quae plane de Hieronymo ſilet; ex quo liquido apparet, non editoris vice functum eſſe Palmierium, ſed vtriusque eius et Lelii labores a typographo et qui forte tum ei libros pararet, temere coniunctos eſſe.

⁂ ⁂

S. l. et a. Altera. *fol.* Liber epiſtolarum S. Hieronymi. Continet epiſtolas CXXXVIIII. quarum prima eſt Damaſi ad Hieronymum,***) vltima Hieronymi ad Rufinum: *Lectis literis tuae prudentiae* etc. Praecedunt duobus foliis, columnis ſectis *Capitula*

*) Laire p. 103.

**) Piſanus fuit, Abbreuiator et Secretarius Apoſtolicus, mortuus a. 1483.

***) Quatuor priores cum particula quintae, quae eſt H. ad Damaſum de homiliis Origenis ſuper Cant. Cantic. in noſtro exemplari deſunt.

tula libri epiſtolarum S. H. quae *incipiunt* in pagina interiore folii primi. Character eſt ſemigothicus. Non foliis numeri, nec plagulis adſcripti ſunt, nec cuſtodes, nec aliud quidpiam. Rubricae ſingulis epiſtolis, manu ſunt appictae. Nuſquam commemoratam vidimus.

Vtra harum edd. innominatarum ſit illa, cuius exemplar a. 1471. compactum laudat *Franc. Car. Alter,* *) reſciuerim. Quod ſi enim prior eſſet, haud leuiter confirmaretur ſententia noſtra.

* *

ſ. l. et a. fol. Beati Hieronymi liber de viris illuſtribus. acc. Ej. liber de eſſentia diuinitatis et Thomae de Aquino ſumma de articulis fidei et eccleſiae ſacramentis. Sed prior libellus a duobus reliquis ſeparatus eſt, deſinens in pagina recta fol. XXXVI. et ſeorſim etiam occurrit, vt exempla apud nos teſtantur, Impreſſus eſt Charactere gothico maiori, paginis latis absque vlla numerorum et ſignorum acceſſione. Sunt autem tres iſti libelli particulae collectionis duodecim tractatuum, in quibus etiam *Auguſtini* quaedam et *liber de arte moriendi* ſunt, quae integra rariſſime occurrit. Conf. *Denis Garell. Bibl.* p. 232. *Meuſel Bibliograph. Magaz.* St. I. p. 57 ſqq. *Helmſchrot* P. II. p. 4.

* *

ſ. l. et a. fol. B. Hieronymi presbyteri Pſalterium, quod ipſe ex hebraico transtulit in latinum. Initium facit *Prologus beati jeronimi presb. in pſalterium quod ipſe de hebraico transtulit — ſic — in latinum.* Ad calcem: *Explicit translacio ſoliloquo-*

rum

*) Bibliograph. Nachr. Wien 1779. 8. p. 183.

rum ſive pſalterium beatiſſ. Ieronimi euſebii presb: quod ad peticionem ſoffronii tranſtulit ut in epiſtola ante pſalterium impreſſa promittitur. X. Impreſſum eſt paginis latis, foliis 54. Abſunt literae initiales, numeri foliorum, ſignaturae et cuſtodes. Deſcribit *Helmſchrot* P. II. p. 5 ſq. memorat quoque *Murr* in Merkwürd. Nürnbergs p. 24. et in Memorabil. *Bibl. Norimb.* T. I. p. 299.

❋ ❋

ſ. l. a. et typogr. fol. Tomis II. B. Hieronymi *Expoſitiones in Vetus et Novum Teſtamentum.* Vallarſius citat ex aliorum mentione. *Praef. gen. p.* VI.

❋ ❋

ſ. l. et a. 4. Beati Hieronymi oratio declamatoria de glorioſa B. Dei Genitricis Virginis Mariae aſſumptione, ad B. Paulam et Euſtochium filiam eius. *Cat. Bibl. Reg. Par.* T. I. p. 374. n. 632. *vetuſtiſſimam* dicit.

❋ ❋

ſ. l. et a. 4. S. Hieronymi Ordo viuendi Deo. *Cat. Muſ. Britt.*

❋ ❋

Pariſiis. ſ. a. 8. S. Hieronymi Epiſtola de Carnis reſurrectione. *Muſ. Britt.*

SAEC. XVI.

1508.

Lugduni apud Iacob. Saccon. fol. D. Hieronymi epiſtolae in tres partes diſtributae. vide ed. ſequentem.

(1512.)

(Pariſiis) apud Poncetum le Preulx. 8. D. Hieronymi Epiſtolarum (et Opuſculorum) Codicilli

tres. Cum praefatione Nicol. Maillard et Auctoris vita. *Bibl. Firm.* T. I. p. 49.

1513.

Lugduni, per Nic. de Benedictis. fol. „Sancti ac beatiſſimi Hieronymi presbyteri epiſtolae et tractatus quantae ſanctitatis veritatisque exiſtant nullus mortalium digne explicare poterit. — Ceterum quum volumen ſacrarum epiſtolarum crebro iam impreſſioni absque noua impreſſione traditum fuit: hinc euenit, vt corruptiora fuerint nouiſſima volumina. — Quapropter ne tam ſolennis liber inemendatus ante oculos peritorum obuerſetur: per magiſtrum *Iohannem de gradibus* vtriusque iuris profeſſorem nouiſſime in regia vrbe lugduni caſtigatus: in qua reimpreſſus extitit: Repertorioque, quod prius in tres partes diſtinctum erat: in vnum volumen compacto quo facilius quod quaeritur minori labore inveſtigari queat.“

Haec tituli et praefationis inſtar literis gothicis rubris forma triangulari folio, quod proxime textum primae partis praecedit, impreſſa ſunt. Praemittuntur repertorium, vita Hieronymi et reliqua, excepta Theodori Lelii praefatione, ex editionibus Baſileenſibus tomo primo et ſecundo quemadmodum et antecedentibus ſubſcriptio typographi cum inſigni eiusdem et diei, quo abſolutus ſit, addita eſt. Ad calcem tertii extant verſus: *Si delectet opes?* (ſic) etc. — *characteribus*, in quibus diſtichum quartum et quintum ita reſicta:

Nil lacheſi ſuperat: Iacobus *quoque vivere* Saccon
Nomen perpetuo me facit ingenio.
Cui merito celebris urbs inclyta ſectaque ab undis
Rodani *condignum* Lugduna *dat tibi locum.*

Impreſſae

Impreſſae ſunt paginis latis, charactere rotundo, praeter titulos et initia librorum, in quibus gothicus eſt adhibitus.

* *

Lipſiae per Iac. Thanner. 4. Quattuor diui Hieronymi epiſtole ad vitam mortalium inſtituendam accommodatiſſime ac mira ſcatentes eruditione hoc continentur libello. (Haec characteribus gothicis, reliqua romanis exarata ſunt.) *Argumenta Singularum Epiſtolarum Compendiaria Oratione contexta.*

Prima. Neglectum munus reſcribendi: in quo ſaepe numero peccamus: perhumaniter reprehendet.

Secunda. Sacerdotes: ab Aaron maioribusque ſuis degenerantes ad viam virtutis, reducet.

Tertia. Monachos: qui a ſanctitate vite deſciverunt: ad priſtinam vite conſuetudinem: reformabit.

Quarta. Parentes: ſi liberos habuerint: quonam pacto eos educare et erudire debeant: commonebit.

In fine: Hee diui Hieronymi epiſtole: venuſto charactere a prouido viro Iacobo Thanner chalcographo Lipſigk peruigili cura: abſolute Anno virginei partus 1. 5. 1. 5.

Inſunt *ad Niciam Hypodiaconum Aquilegie de viciſſitudine literarum, ad Nepotianum de vita Clericorum, ad Ruſticum Monachum de vita Monaſtica, ad athletham de inſtitutione puerilis aetatis.* Textus charactere romano ſatis bono exſcriptus et marginibus latis circumdatus eſt.

1516.

1516.

Apud inclytam Baſileam ex accuratiſſima officina Frobeniana. fol. Voll. IX. Opera omnia Diui Euſebii Hieronymi Stridonenſis vna cum argumentis et ſcholiis Deſ. Eraſmi Roterodami cuius opera potiſſimum emendata ſunt quae antehac erant deprauatiſſima et inſtaurata ea quae prius erant mutila. *Ad calcem Tomi noni:* Baſileae in aedibus Io. Frobenii, impendio Brunonis, Baſilii et Bonifacii Amerbachianorum, ac Ioannis Frobenii Chalcographi et Iacobi Rechburgii ciuium Baſileenſium, Menſe Maio, An. M. D. XVI.

Iure ſuo Io. Frobenius ſplendidae huius editionis fronti affixiſſet apophthegma, quod in margine inferiori paginae, qua vita Hieronymi incipit, adſcripſit. *Μωμησεταί τις θασσὸν ἢ μιμησεται.* Neque arrogans Eraſmi dictum: *Illud non verebor dicere, intra triginta annos nullum opus excuſum typis, pari fide, pari cura, pari impendio.* Siue enim incepti magnitudinem ex vaſto tot voluminum disperſorum antea, et maximam partem ineditorum collectione et recognitione, ſeu Eraſmi labores, quibus rudem hanc et indiſpoſitam

Congeriem ſecuit, ſectamque in membra redegit
Coecoque exemit aceruo

ſiue Amerbachiorum fratrum conſociatam diligentiam, ſiue denique liberalitatem ſumtus praebentium ſpectes: vnicos per iſtam aetatem in genere ſuo Eraſmum ac Frobenium fatebere. Ac quantis ſibi moleſtiis opus ſteterit, non tacet Eraſmus in praemiſſa ad Guil. Waramum, Archiep. Cantuarienſem totius Angliae Primatem et Summ. Cancell. epiſtola nuncupatoria. Attamen haec omnia cum non ignorarem, inquit, tamen apud me tantum valuit Hieronymi vindicandi ſtudium, tantum vtilitas eorum, quibus cordi

cordi ſunt arcanae literae, tantum denique tuae celſitudinis et iudicium et voluntas, quem prae caeteris aſſiduum huius negocii et impulſorem habebam et efflagitatorem; vt contemptis difficultatibus omnibus, Herculano quodam animo laborioſiſſimam quidem ſed pulcherrimam adirem prouinciam, vnus propemodum cum tot mendarum portentis depugnaturus. Nec enim tantundem laboris exantlatum arbitror in paucis edomandis monſtris Herculi, quam mihi in tollendis tot mendarum millibus. Neque vero paulo plus vtilitatis hinc orbi profecturum exiſtimo, quam ex illius omnium ore celebratis laboribus. Primum enim complurium ſed praecipue veterum collatione voluminum, nonnunquam ex apicum veſtigiis addiuinantes, mendas ſuſtulimus, et germanam repoſuimus ſcripturam. Graeca quae vel omiſſa fuerant, vel perperam addita, reſtituimus: quod idem fecimus et in Hebraicis, verum hac ſane in parte, quod minus noſtro Marte poteramus, aliorum ſuppetiis praeſtitimus praecipue fratrum Amerbachiorum, Brunonis, Baſilii et Bonifacii, quos optimus pater Iohannes Amerbachius velut inſtaurandis bonis authoribus genitos, trium linguarum peritia curauit inſtruendos. Atque hi ſane paternum animum et expectationem vicerunt etiam, nihil antiquius ducentes Hieronymi gloria et hac gratia nec impendio parcentes nec valetudini. Quorum equidem auxilio libenter ſum vſus quod hebraeorum literas deguſtaſſem verius quam didiciſſem. Et tamen curauimus, ne quid deeſſet auido lectori, etiam ſi quid deeſſet nobis: quodque noſtris viribus eſſet diminutum, id ex aliorum ſuppetiis ſat ſimus. — Adiecimus ſingulis libellis aut epiſtolis argumenta, veluti fores aperientes, ingredi volentibus. Deinde quum non omnibus contigit, tot linguarum ac literarum cognitio, ſi quid remorari poterant

rant lectorem mediocriter eruditum, id ſcholiis additis illuſtrauimus, quae geminam vtilitatem adferant: alteram, quod tam inſignis author, qui antehac nec ab eruditiſſimis legi poterat, poſthac a ſemidoctis poterit intelligi: alteram quod iam non perinde procliue fuerit cuiuis deprauare, quod ab aliis eſt reſtitutum. Nec his contenti, quaecunque falſo Hieronymi titulo circumferebantur, eaque magna ex parte talia, vt non Hieronymum authorem, ſed impudentiſſimum et inſulſiſſimum rabulam opificem prae ſe ferrent, non recidimus, ne quid omnino deſyderaret auidus magis quam elegans lector: hoc eſt, vt dicam craſſius, ne non haberent ſimiles labra lactucas: ſed in ſuum relegauimus locum, nullo alioqui digna loco. Denique totum opus, de ea loquor portione, quam nobis proprie ſumſimus, in quatuor digeſſimus volumina. Primo παραινετικὰ καὶ παραδειγματικὰ complexi: quod eorum, quae ad vitam inſtituendam pertinent, oporteat primam eſſe curam. Secundum in tres diuiſimus claſſes, in quorum primam retulimus quaedam non inerudita quidem illa, nec indigna lectu, ſed tamen falſo inſcripta Hieronymo. In proximam aliena ſed quae ſuis titulis authorem teſtentur. In tertiam velut in ſentinam reiecimus, ineptiſſimas ineptias impoſtoris haud ſcio cuius: de quibus merito dubites infantiorne ſit, an indoctior an impudentior. Is mihi certe quisquis fuit, videtur digniſſimus quem publicis odiis proſequantur omnia ſaecula, qui de omnium aetatum ingeniis tam male ſenſerit, vt ſperarit neminem futurum, qui poſſit inſani rabulae naenias ab eloquentiſſimi, doctiſſimi ſanctiſſimique viri libris dignoſcere. Tertium volumen dedimus ἐλεγκτικοῖς et ἀπολογετικοῖς, nimirum his quae ad refellendos haereticorum errores et maleuolorum calumnias pertinent. Quartum tribuimus ἐξηγηματικοῖς

vide-

videlicet quae ſacrorum voluminum habent enarrationem. — Subſequitur hanc epiſtolam vita Hieronymi per eundem verbis diſertiſſimis explicita, in qua multa quidem acute ab eo primum animaduerſa ſunt, ſed in laudibus eiusdem plane ſibi non temperat. Proxima eſt *Criſis in Opera omnia Hieronymi*, ſeu *Index omnium operum cum cenſuris in Quinque digeſtus ordines*. Primus habet γνήσια, de quibus nulla dubitatio ſit, quin ab Hieronymo ſint edita. Secundus habet ἀμφιβόλως νόθα, de quibus iure quis addubitet illius ſint nec ne. Tertius ψευδεπίγραφα, quae falſo titulo Hieronymum authorem mentiuntur, cuius ordinis fecit tres claſſes. Prior indicat erudita nec indigna lectu. Secunda impudentiſſime tributa Hieronymo atque aliis auctoribus. Tertia docta ſed ſuis titulis authorem teſtantia, quae tamen Hieronymianis lucubrationibus fuerant admixta. Quartus oſtendit ex Hieronymianis et alienis commixta, ſeu verius confuſa. Quintus iudicat ea quae aut culpa temporum interciderunt aut certe nondum prodierunt in lucem, vt ad veſtigandum incitaret ſtudioſos.

In quo negotio arduo ſane et tunc temporis ſolius Eraſmi humeris apto, ſi quid ſubinde humani paſſus eſt, non erat propterea ludibrioſe, vt a multis factum eſt, exagitandus. Ipſe iudices peritos, moderatos, aequos non extimeſcit, ſed Cenſuras ſuas et imprimis in ſecundum Tomum praefationem, in qua totius, quae genuina a falſis ſecernere curat partis critices fundamenta exemplis ex omni graecarum et latinarum literarum genere illuſtrata iecit legere et loca integro animo, ſemota contentione, ſtudio aut odio conferre eos iubet atque ita demum ſecum ſentire aut diſſentire ipſis concedit. „Nos quod nobis viſum eſt, inquit, in commune propoſuimus, nec omnino ſupine, ni fallor, nec arroganter. Si quis ſic noſtra reiiciet,

reiiciet, vt adducat meliora, volenter ac libenter amplectemur Tantum abeſt, vt errorem obſtinate tueri velimus. Sedulo bonaque fide laboratum eſt a nobis et optimis fratribus Amerbachiis, vt diuus Hieronymus quam minime deprauatus aut contaminatus exiret in manus ſtudioſorum, non auſim affirmare nos aſſecutos omnia. Illud non verebor dicere, intra triginta annos nullum opus excuſum typis, pari fide, pari cura, pari impendio. Proinde aequum, vt quam nos adhibuimus diligentiam in reſtituendo, eandem caeteri quoque praeſtent in tuendo, quod reſtitutum eſt. Alioqui ſi licebit impune deprauare, miſcere, confundere principum eccleſiae libros, nulla certa fuerit vllius authoritas in libris excudendis: quoniam protinus vnicum exemplar in duo millia propagatur, vt ſingula errata bis mille fiant." — Subditus eſt index alter iuxta ordinem tomorum. Praeter praefationes laudatas Tomis quatuor prioribus admonitiones de contentis Eraſmus, quinto Bruno et Baſilius fratres Amerbachii, quatuor poſterioribus ſolus Bruno praemiſerunt. Atque hic opportune obſeruat Tribbechouius (in ed. Francof.) ſumſiſſe ſibi Eraſmum reuidendos tres priores, quartum etiam rigida cenſura ſua notaſſe, in reliquos autem animaduerſionem aliis reliquiſſe, quod in prioribus tribus aequalis fere vbique ſtilus, mens genuina Hieronymi, atque ipſiſſima eius manus, ſi a paucis diſceſſeris, obuia ſint, in reliquis autem, ſepoſitis praefationibus plurimis, ſubitaneus quandoque eius labor, interpolationes aliorum, eclogae et diuerſae ſententiae variorum tractatuum atque exoterica quaedam occurrant, quae lectorem ſuſpenſum ſaepius teneant, vt in Hieronymo quaerat Hieronymum. *) Quod artem typographi-

*) His confer quae ſupra de conſilio, quale ab initio Eraſmo

graphicam attinet, plane cum virorum laudatorum ſtudiis aemulata eſſe videtur. Nihil dicam de charactere luculento, quo ſemper excelluit inter pares Frobenius. Sed elegantiam et ſimplicem, quae vbique elucet, munditiem miror. Sic tituli non verboſa operis deſcriptione ac praedicatione ſunt oppleti et omnigeno charactere variegati, vt in aliis Frobenianis libris crebro vſu venit, ſed charactere maiuſculo, paucis lineis et, quod valde gratum oculis accidit, forma lapidari ſunt impreſſi. Character tamen hebraicus luculentior graeco eſt. Denique non praetereundus eſt a nobis *Index in Tomos omnes operum Diui Hieronymi cum interpretatione nominum Graecorum et Hebraeorum, per Ioan. Oecolampadium Theologum in ordinem digeſtus,* qui quatuor annis poſt M. D. XX. *ex eadem officina,* edente *Wolfg. Fabritio Capitone* prodiit et tanquam *Tomus decimus* nouem illis acceſſit.

Viennae Auſtriae per Ioan. Singrenium. 4. D. Hieronymi contra Iouinianum libri duo cum Apologetico eiusdem in defenſionem librorum contra Iouinianum. Additus eſt Iulius Obſequens de auguriis ſeu auſpiciis.

1518.

Lugduni ap. Iac. Saccon. fol. Euſebii Hieronymi Stridonienſis epiſtolarum libri plurimis quidem quibus minoribus excuſae formis et mendis, et mutilatio-

Eraſmo fuerit, ex Epiſtolis illius retulimus, et adde, quod ſic facilius intelligitur, qui factum ſit, vt *ſpuria* et *dubia* Hieronymi *ſcripta* medio quaſi operi inſeruerit, et videbis non vanam fuiſſe Tribechouii ratiocinationem.

lationibus ſqualebant, ſolutarum Partes III. *In fine:* Impreſſum fuit hoc opus Lugduni per Magiſtrum Iacobum Sacon Anno Domini 1518. die vero XXVI. menſis Octob.

1519.

Cracouiae apud Victorem. 4. B. Hieronymi aliquot Epiſtolae.

1526.

Baſileae, apud Io. Frobenium. Tomis IX. *fol.* Omnes quae extant D. Hieronymi Strid. lucubrationes vna cum Pſeudepigraphis et alienis admixtis, in nouem digeſtae tomos, ſed multo quam ante vigilantius per *Deſ. Eraſmum Roterod.* emendatae. Iterum Guilielmo Archiep. Cantuarienſi inſcripſit data epiſtola Baſ. idib. Iul. anno MDXXIIII. in qua ſic diſſerit: „Quamquam in prima editione ſic aduigilatum erat, vt vix vlli ſpes eſſet, poſterioribus curis, quas prouerbio dicunt meliores, quicquam adiungi poſſe, Praeſul incomparabilis: tamen ego magnopere cupiens hoc opus, quod nomini tuo, ceu monumentum, vtinam victurum erexeram, omnibus, quantum fieri poſſet, numeris abſolutum exactumque reddere: curaui, vt denuo ſeparatim excuderetur et chartis et formulis elegantioribus, quamquam Io. Frobenius ſic ſe geſſerat antea in excudendo Hier., vt non ſolum omnium ſuffragiis antecederet, verum etiam vix ipſe ſibi locum relinqueret vincendi ſui. Nos in Hieronymi ſcriptis paene nihil deprehendimus, quod eſſet corrigendum. In noſtris ſcholiis nonnulla correximus, quaedam ſuſtulimus, adiecimus non pauca. Reſtant tamen adhuc loca, ſed ea perpauca, in quibus mea diuinatio non omnino ſatisfecit animo meo. Quae ſi quis me felicior vel ingenio vel exemplarium

copia

copia reſtituerit, libenter et hominis induſtriam exoſculabimur et publicae gratulabimur vtilitati etc.“ Raro occurrit haec editio.

1522.

Baſileae . . . . 4. S. Hieronymi Epiſtola ad Euſtochium de cuſtodienda virginitate cum Schol. Eraſmi Rot. *Cat. Bibl. Barber.*

1524.

Baſileae, apud Io. Frobenium. fol. *Tomis VI.* S. Hieronymi opera cum ſcholiis Deſid. Eraſmi et indice. *Cat. Bibl. Bernenſ.* (1764. 8.) T. I. p. 120.

1528.

Lugduni, apud Io. Creſpinum. 4. D. Euſebii Hieronymi, Stridonenſis, opus epiſtolarum, cum ſcholiis Deſ. Eraſmi, denuo per illum vulgatum, recognitum, correctum et locupletatum. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.* T. I. p. 374.

1529.

Baſileae, ap. A. Cratandrum. 4. Sophronius de vita Euangeliſtarum Gr. lat. *S. Hieronymo* interprete c. ſcholiis Eraſmi. — *ibid. eod.* Sophronii verſio graeca. S. Hieronymi vitarum SS. Eccleſiaſticorum cum ſcholiis *Eraſmi.* cum *Epiphanii Comment. de prophet. vitis et al.*

1530.

Lugduni, ap. Sebaſt. Gryphium. fol. Tomi VII. D. Hieronymi opera, ex emendatione et cum argumentis ac ſcholiis *Deſ. Eraſmi.* *Cat. Bibl. Reg. T. I. p.* 373.

1532.

Coloniae. 12. Sententiae ex epiſtolis S. Hieronymi collectae. *Muſ. Britt.*

1534.

Pariſiis . . . . *fol.* *Tomis IX.* D. Hieronymi opera (ex recognitione Eraſmi). *Cat. libr. impreſſ. Muſei Britt.* T. I.

1537.

Baſileae, ex officina Frobeniana. fol. Tomi IX. Omnes quae extant D. Hieronymi Lucubrationes vna cum Pſeudepigraphis, et alienis admixtis, in nouem digeſtae tomos, ſed multo quam ante vigilantius per *Deſ. Eraſmum Roterodamum* nunc poſtremum emendatae, locis non paucis feliciter correctis, quibusdam etiam locupletatis, duntaxat in ſcholiis. — Cura lector, vt nobis ſit fauſtum et felix tantum laborum et impendiorum ſuſcepiſſe. Erit autem, ſi theſaurum magno vſui futurum libenter emeris. *Ad calcem Tomi noni:* Eximia haec D. Hier. Strid. opera, quibus poſtremum recognoſcendis immenſum laborem ac diligentiam Deſ. Eraſmus Rot. impendit, excuſa ſunt Baſileae in officina Frobeniana typis et aere Hieronymi Frobenii et Nicolai Epiſcopii Chalcographiae ſociorum abſolutaque menſe Auguſto an. MDXXXVII.

„Hier. Frobenivs et Nic. Episcopivs L. Quod parens olim noſter et ſocer Io. Frobenius in huius operis veſtibulo dixit, δευτέρων ἀμεινόνων, eo quod altera diuini huius autoris Lucubrationum editione priorem ſuam longe viciſſet: idem nos optimo iure hic poſſe repetere cenſemus, qui hac noſtra, quae omnium poſtrema eſt, et eandem et eam, quam nuper Gallia dedit, ſuperauimus: quae tamen gloria non noſtrae induſtriae, ſed venerandae memo-

riae

riae Deſ. E. Rot. indefatigabili diligentiae eſt adſcribenda: qui quum ne in Pariſienſi quidem impreſſione, vltra quam tunc ei operi nullam in poſterum adhibere ſtatuerat manum, ſibi ſatisfeciſſet, denuo iſtas tanti viri vigilias vigilanter recognouit, nobisque commiſit typis euulgandas: Ibi pro noſtra virili dedimus operam, ne vlla in parte deeſſemus noſtro officio, atque praeter aliorum neceſſariorum curam doctos praeficeremus viros cum operi caſtigando tum indici quam elaboratiſſimo conſcribendo, tum vt Pſalterio Hebraeo praeter puncta etiam accentus adderentur: in ſumma vt omnia quam liceret, optime fierent. Caeterum ordo Tomorum idem eſt ſeruatus, qui ſuperioris erat editionis, niſi quod Gennadii catalogus ex quarto tomo in finem primi ſub Hieronymi, quem de viris illuſtribus inſcripſit, catalogum, propter ſimile argumentum eſt translatus: praeterea indicem, quod creberrime in manibus verſetur, in proprium volumen minore forma et charta ob commodiorem vſum ſeorſum excudimus.*) Idb. Aug. MDXXXVII." Idem fere de ſua opera Eraſmus in praefatione ad Lectorem data Friburgi Brisgoviae. A. MDXXIII. in qua praeterea Guil. Warami obitum, qui illo ipſo tempore acciderat, tenerrimi affectus ſignificatione luget. Caeterum haec editio omnia quae ſuperiores, nec non praefationem ſecundae praemiſſam continet. Charta ac literae nitore primam longiſſime ſuperant; nec tamen in omnibus illam antecellunt.

1546.

Pariſiis, ap. Carolum Guillard. fol. Tomis IV. D. Euſebii Hieronymi opera quae extant ex recognitione Eraſmi Rot.

*) Prodiit *anno ſequenti eadem forma.*

-☙- -☙-

Nurembergae, ap. Io. Montanum. 4. D. Hieronymi Liber contra Heluidium de Virginitate S. Dei Genitricis Mariae. *Ibidem. eodem, eademque forma* Eiusdem Epiſtola ad Gaudentium de inſtitutione filiae. *it.*

Ibidem. eodem 4. Eiusdem Epiſtola ad Pammachium et Oceanum. *Weislinger Cat. Bibl. Ord. S. Joh. Hieroſ. Argentorati* (Arg. 1749. f.) p. 109.

1552.

Tiguri. 8. D. Hieronymi de ſancta fide contra Iudaeos. *Cat. Bibl. Bremenſ.* T. I. p. 120.

1553.

Baſileae, ex officina Frobeniana. fol. Tomi IX. D. Hieronymi opera ex ſecunda emendatione *Deſiderii Eraſmi,* cum eiusdem argumentis et ſcholiis. *Cat. Bibl. Reg. T. I.* p. 374.

1554.

Louanii. 4. S. Hieronymus de Vita Clericorum et Sacerdotum. *Muſ. Britt.*

1562.

Romae, apud Paulum Manutium . . . . S. Hieronymi Epiſtola ad Euſtochium Paulae filiam de cuſtodia virginitatis. Hanc epiſtolam ſeorſim excuſam hoc modo laudat Vallarſius T. I. ed. I. p. 87. Occurrit quoque in *Cat. Bibl. Bodlei. de eodem a. et typ.* Epiſtola ad Demetriadem de virginitate.

-☙- -☙-

Baſileae, ap. Henric. Petri. fol. D. Hieronymi de Mundi Exuſtione et Die Iudicii libri V.

1565.

1565.

Baſil. ex off. Epiſcopiana per Nicol. et Euſeb. Epiſcopios. fol. Tomi IX. Voll. III. D. Hieronymi omnes, quae extant, lucubrationes, additis vna pſendepigraphis et alienis Scriptis ipſius admixtis, in nouem Tomos per *Deſid. Eraſmum Roterod.* digeſtae et denuo emendatae. *Cat. Bünav.*

* *

Dilingae. 8. D. Hieronymi epiſtolarum libri III. ſtudio *Petri Caniſii.* — *Weislinger l. l.*

1566 - 71 - 72.

Romae, apud Paulum Manutium. fol. Tom. IX. Opera D. Hieronymi Stridonenſis Eccleſiae Doctoris *per Marianum Victorium Reatinum* ex manuſcriptis codicibus multo labore emendata et ab innumeris erroribus vindicata. Cum indice copioſiſſimo.

Inſcripſit editor opus ſuum per annos ſuccedentes tribus S. Pontificibus Rom. Pio IV. Pio V. et Gregorio XIII. ſummamque propoſiti in prima, quam in tribus prioribus tomis praemiſit, epiſtola ita ſuccincte explicauit, vt vix paucioribus a nobis verbis comprehendi poſſe videantur.

PIO QVARTO P. M. MARIANVS VICTORIVS REATINVS.

Quot quantaue ſint, Beatiſſime Pater, ac ſemper fuerint, aduerſus Catholicam eccleſiam haereticorum commenta; et quibus artibus vafritiisque eam deſtruere illi conati ſunt, explicari non poteſt. Ex his autem nulla magis noxia impetitio vnquam fuit, quam cum ſub domeſticorum et orthodoxorum nomine illi in eam irruerunt; quippe cum nulla maior peſtis, vt

vulgato prouerbio dicitur, ſit, quam familiaris inimicus. Eraſmus Roterodamus Catholici hominis partes profeſſus antidoti nomine venenum fudit: Quantum autem in reſtituendo veteres eccleſiae patres peccauerit, quantumque circa eorum ſenſus aberrauerit, primi, vt credimus, nos in praeſentiarum oſtendimus. Reſtituimus enim, in hoc opere loca, vt ex ipſis iunctis noſtris ſcholiis apparebit, plus minus mille et quingenta, quae partim ſua manu maculauit, partim tempore corrupta, ex rerum imperitia reſtituere ipſe non potuit. Ex ſcholiis autem eius errores et ignorantias confutauimus. Adiuti autem ſumus hac in re exemplaribus manuſcriptis viginti, et antea impreſſis aliquot, quae Florentiae, Brixiaeque monachi Caſſinenſes, et Neapoli Bononiaeque Dominicani inuicem multo labore cum Eraſmianis codicibus contulerunt, nec defuerunt ii qui Vaticana Bibl. aſſeruantur. Variis autem tot exemplarium lectionibus adhibentes deinde iudicium, non paſſim omnia, ſed ea tantum nos ſelegimus, quae vel ex ipſa ſententia, et dicendi ordine, vel ex cognitione rerum ita eſſe legenda clare nobis apparuit. Et ne temere mutatam lectionem praetendere quis poſſet, mutationis in ſcholiis rationem reddidimus. Qui enim ex ſolis veteribus exemplaribus loca emendant, variantibus illis, quod in manuſcriptis conſuetum eſt, ſaepe illuduntur. Adhibuimus praeterea in reſtituendis locis Illuſtriſſimi Cardinalis Guil. Sirleti iudicium. Explicuimus ad haec loca omnia, quae aliqua ratione difficilia erant, praeſertim hiſtoriarum, quibus D. Hieronymus, vti vndecunque eruditiſſimus, refertus eſt. Idque fecimus, tum quia neceſſarium nobis viſum eſt opus, tum ne plus in Eraſmiana, quam noſtra editione, aliquid, quod vtile videretur, reperiri poſſet. Et ne aliquid in opere deſideraretur, teſtimonia omnia, quae a D. Hie-

D. Hieronymo citantur, praeſertim ex teſtamento veteri, quae ſecundum LXX. ſua editione nondum recepta, ab eo adhibentur, multo labore conquiſita, lateri appoſuimus. Argumenta ſingulis Epiſtolis, librisque praefiximus: et Indicem nouo quodam modo, veluti ſummam quandam operis, rerum temporumque ordine ſeruato, contextum calci appinximus. Vitam D. Hieronymi antea maiori ex parte ignoratam, ex eius ſcriptis fideliter collectam primi edidimus. Rel. Continentur ſingulis Tomis: I. *Epiſtolae et libri contra haereticos* vt quidem titulus et indices pollicentur. Sed hoc falſum eſt, vt facile inſpectio docet. Habet *epiſtolas ad vitae inſtitutionem et moderationem pertinentes*, nec non, quae eodem tendunt, *vitas Monachorum* et librum *de viris Illuſtribus*. II. Ἐλεγκτικὰ καὶ ἀπολογητικὰ ſ. contra diuerſas haereſes et maledicorum calumnias ſcripta proponit. III. τὰ ἐξηγητικὰ, ad explanationem ſcripturae pertinentia, nimirum *praefationes commentariis et verſionibus in Sacros libros praemiſſas*, epiſtolas eiusdem argumenti et Origenis homilias. IV. Commentaria in IV. prophetas maiores. V. Eccleſiaſten et XII. Prophetas min. VI. Commentaria in Matthaeum, Marcum, Pauli Epiſtolas ad Galatas, Epheſios, Titum et Philemonem, nec non Didymi librum de Sp. S. VII. Commentaria ſuper Pſalmos vna cum Pſalterio ex Hebraico ab ipſo latinitate donato. VIII. Commentaria in Iob, Prouerbia Sal. Homilias IV. Origenis et Commentarium in omnes Epiſtolas Pauli. IX. Epiſtolas D. Hieronymo falſo adſcriptas, diuiſas in tres partes. Index Tomum X. conſtituit.

1566.

Romae in aedibus Populi Romani apud Paulum Manutium, Aldi filium. 8. Tomi IV. D. Hieronymi

nymi Stridonenſis epiſtolae et libri contra Haereticos, ex antiquiſſimis exemplaribus nunc primum emendati, argumentis et ſcholiis illuſtrati, opera et ſtudio *Mariani Victorii Reatini.* adiecta eſt operis initio vita D. Hieronymi ex eius ſcriptis collecta, et primum edita labore eiusdem *Mariani Victorii. Cat. Bibl. Reg.* T. I. p. 374. In *Cat. Bibl. Chig.* extant Tomi III. Voll. 2.

1568.

Antuerpiae, apud Guil. Siluium. 8. D. Hieronymi Stridonenſis decas prima epiſtolarum, emendata et annotationibus illuſtrata ſtudio et opera *Henrici Grauii.* In *Cat. Bibl. Barb.* eadem laudatur de a. 1569.

1576.

Romae [apud Paulum Manutium]. fol. S. Hieronymi Epiſtolae et libri contra haereticos. *Cat. Bibl. Firmianae* T. I. p. 49. n. 173. *Paulum Manutium* haud dubitanter addo, quin procliuem me habet opinio, anni notam in mendo cubare et hoc volumen ad editionem operum Romanam pertinere. Niſi forte ſinguli tomi repetiti ſint; nam in *Cat. Bibl. Chigianae* editionem operum Manutianam laudatam inuenio intra annos 1471. et 1476. Tomis IX. Volumm. 5. factam.

1578 - 79.

Antverpiae ex officina Chriſtophori Plantini. fol. Tomis IX. c. indice. Vide titulum Romanae. Repetitionem ab ipſo M. Victorio curatam Oudinus dicit.

* *

Pariſiis, ap. Sebaſt. Niuellium. fol. Tomis IX. Diui Hieronymi opera ex antiquiſſimis exemplaribus emen-

emendata ſtudio et labore *Mariani Victorii*, cum eiusdem argumentis et ſcholiis.

1580.

Coloniae. 8. Hieronymi liber de Scriptoribus eccleſiaſticis cum notis Suffridi Petri. *Cat. Biblioth. Brancat. et Barber.*

1588.

Pariſiis, *apud Sebaſt. et Rob. Niuelle.* 16. D. Hieronymi, Stridonenſis, epiſtolae ſelectae, et in libros tres diſtributae, opera et ſtudio *Petri Caniſii*, ad exemplar Mariani Victorii emendatae, argumentisque illuſtratae.

* *

ſ. l. et a. 4. S. Hieronymi Epiſtolae ab Eraſmo recognitae. *Muſ. Britt.*

SAEC. XVII.

1602.

Pariſiis . . . . fol. IV Tomis. S. Hieronymi opera ex emendatione Mariani Victorii.

* *

Pariſiis . . . . 16. S. Hieronymi Epiſtolae ſelectae. *Cat. Bibl. Brancat.*

1606.

Lugduni, *ap. Iacobum Pillehotte*. 16. S. Hieronymi Epiſtolae ſelectae, in tres libros diſtributae, emendatae argumentisque illuſtratae a Petro Caniſio. Acceſſit huic poſtremae editioni Graecarum dictionum locorumque obſcuriorum expoſitio cum Auctoris Vita ex Mariano Victorio excerpta. *Cat. Bibl. Chig.* p. 254.

Rotho-

* *

Rothomagi. 16. S. Hieronymi Epiſtolae ſelectae. *Cat. Bibl. Braucat. Neapoli* p. 152.

1608.

Pariſiis, apud Bibliopolas urbis Pariſienſis conſortes. fol. Tomi IV. cum Indice ſeparatim excuſo. S. Hieronymi Strid. opera omnia quae reperiri potuerunt ex antiquis exemplaribus diligentia et labore *Mariani Victorii* Reatini, Epiſcopi Amerini emendata, atque argumentis et ſcholiis illuſtrata. Quibus acceſſerunt hac editione praeter Sophronii Graecam interpretationem libri de Scriptoribus Eccleſiaſticis, *Henrici Grauii* eruditiſſimae annotationes in Epiſtolas itemque variorum locorum ex manuſcriptis codicibus emendationes. Adiecta eſt operis initio vita S. Hieronymi olim falſo ab aliis relata quam idem Victorius ex eius ſcriptis collectam primus edidit. Indices item locupletiſſimi nouo quodam modo veluti ſumma quaedam operis ordinati ab eodem Victorio contexti et compoſiti. *Ad calcem Tomi IV:* Lutetiae excudebat Petrus Vitre' Typographus, XV. kalendas Iulii MDCVIII.

Non eſt mera repetitio Romanae, ſed multa habet ſingularia, quae quoniam ab ipſis bibliopolis, quam breuiter fieri poterat, declarata ſunt, ſimulque ex iſta admonitione Societas eorum, quae haud diu quidem durauit, noſcitur, nolumus eam ab aliquo deſiderari. Dignam etiam, quae cum aliis compararetur, cenſuit hanc editionem Simonius.*) *Bibliopolae Pariſ. vrbis conſortes L.* „Vt ex hoc bonarum artium bonarumque literarum vberrimo fonte Pariſienſis vrbis Academia non vno miſſae tubo ſacrorum

*) Lettres choiſies T. I. lettr. 34. p. m. 297.

rum tibi editiones librorum effluerent, praeter eos quibus inſigne nauis eſt Lutetiae ſymbolum, ſex alii bibliopolae, quibus eiuſdem vrbis ichnographia *) τὸ παράσημον obtigit ad excudendas nihilo minori ſtudio diligentiaque ſanctorum Patrum lucubrationes ſocietatem coiuimus. Atque vt ab ipſa nominis ſacri appellatione foelicius omen captaretur, a beati huius Hieronymi operibus initium ducendum cenſuimus, quorum vltimam Niuellianam editionem ex accurata *Mariani Victorii* correctione ſuſceptam bona fide repraeſentauimus, paucis tantum immutatis aut ſubtractis, adhibito doctorum virorum conſilio, vt maius tibi laborum ac ſumtuum compendium fieret." Primo igitur epiſtolas in tres antea tomos diuiſas in vnum compegerunt. Deinde Tomo ſecundo, qui commentarios in prophetas minores exhibet, illud in Lamentationes Hieremiae, tanquam merum centonem ex Gregorio Magno ſubduxerunt. Porro textum duplicem prophetarum ab ipſius Hieronymi commentariis antea perperam ſeparatum manuſcriptorum omnium et Origenis, Baſilii et Chryſoſtomi editionum exempla ſecuti illis inſeruerunt. Contuliſſe praeterea ſe affirmant commentarios in Eſaiam et Ezechielem, itemque in Ionam et alios prophetas minores cum compluribus MSS. monaſteriorum S. Germani et Victoris ad muros Lutetiae et Nic. Fabri. Tertius tomus continet Commentaria in eosdem minores prophetas et genuinas auctoris in N. T. lucubrationes: in quartum denique, quae falſo ei adſcriberentur, coniecerunt cum commentario in pſalmos, qui licet multa exhibent operis Hieronymiani fragmenta, plures tamen alieni ſubteminis pannos aſſutos circumfert.

*) In priori Tomo aere, in ſequentibus tribus nec non indice ligno impreſſa.

fert. Ex his vltimis tomis ſublata etiam ſunt, quae ex Graeco in Latinum Hieronymus transtulit, nec non plures Auguſtini epiſtolae in ſuperioribus editionibus inſertae, item commentarii in Iob, quos apud Bedam quaerere lectores iubent. Tandem graecam Sophronii verſionem libri de Viris ill. ex Germanicis editionibus vna cum Henrici Grauii annotationibus antea nunquam in lucem emiſſis addiderunt, poſtremoque fructuoſiſſimo ſtudio e duobus Indicibus trium priorum et ſex poſteriorum voluminum vnum conflarunt.

1611.

Helmaeſtadii ap. Iacobum Lucium. 4. D. Hieronymi, Strid. Presb. Hieroſolymitani, libellus de illuſtribus Eccleſiae Doctoribus ad ſua vsque tempora: ex editione *Ioannis a Fuchte.*

❧ ❧

Tornaci. 12. S. Hieronymi Epiſtolae ſelectae. *Muſ. Britt.*

1617.

Lutetiae Pariſ. ap. Sebaſt. Chappelet. 8. S. Hieronymi Strid. indiculus de haereſibus Iudaeorum nunc primum in lucem editus cura et ſtudio *Claudii Menardi.*

1620.

Pariſiis, apud Claud. Morellum 4. S. Hieronymi locus inſignis cap. I. in Ezechielem perpenſus et emendatus a *Laelio Ruino,* Epiſcopo Balneoregienſi, ex editione *Federici Morelli.*

1624.

Lutetiae Pariſiorum. fol. Tomis III. S. Hieronymi opera ex editione *Mariani Victorii,* et cum anno-

annotationibus Henr. Grauii et aliorum et emendat. Andr. Schotti.

1643.

Pariſiis ſub inſigni nauis. fol. Tomi IX. S. Hieronymi Strid. opera omnia quae extant. *Mariani Victorii* Reatini Epiſc. Amerini labore et ſtudio ad fidem MS. et vetuſtorum exemplarium, argumentis et ſcholiis illuſtrata etc. Editio Nouiſſima.

Acceſſerunt in hac editione I. poſt vitam H. a Victorio collectam Bellarmini cenſura in opera H. ex libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis deſumta. II. Textus SS. typorum varietate a Commentariis S. Hier. diſtinctus eſt. III. H. Grauii annotationes in Epiſtolas et variorum locorum ex MSS. codicibus emendationes poſt vltimam editionem Pariſienſem ab Andrea Scoto (Schotto) ſunt emendatae, auctae et recognitae. IV. Difficilia S. Hieronymi per Franciſc. a Meſſana Hieronymiani Ordinis Madriti in Hiſpania Doct. Theologum ordine alphabetico digeſta, in fine noni tomi collocata ſunt, vti et Aduertentiae ſiue Animaduerſiones ſcholaſticae in eadem opera S. Hier. opera Ferd. Veloſilli, Hiſp. Epiſc. Lucenſis. V. Fed. Morelli Obſeruationum et emendationum diatriba. VI. Laelii Epiſc. Balneoregienſ. leg. Apoſtol. emendatio inſignis loci Hieronymiani.

1644.

Pariſ. fol. D. Hieronymi Epiſtolae ad Theophilum Epiſcopum Alex. in *Bibl. Magna PP.* T. II. p. 81. 112.

1658.

Antwerpiae. f. S. Hieronymi liber de ſcriptoribus Eccleſiaſticis cum notis *Aub. Miraei.*

1669.

1669.

Vindob. f. S. Hieronymi Expoſitio fidei catholicae, quae rectius Pelagio tribuitur, in *Petr. Lambecii* Comment. de Bibl. Vindob. lib. II. p. 274-278. ibid. p. 284-86. duae Hieronymi ad Damaſum epiſtolae praecedente Ep. Damaſi ad Hieronymum.

1681.

Hiſpali, apud Didac. Philipp. de Vrrieda. 8. Diui Hieronymi Strid. Epiſtolae aliquot ſelectae in vſum et vtilitatem adoleſcentium qui latinae linguae dant operam, nunc multo maiori diligentia et cura, quam antea correctae, auctae et expurgatae per Reverendum Patrem Fr. *Hieronymum Gomez*, de Obſeruantia B. Mariae de Mercede Redemptionis Captiuorum.

1684.

Francof. ad Moenum et Lipſiae apud Chriſtian. Genſchium. fol. Tomis XII. S. Hieronymi Strid. Opera omnia cum notis et ſcholiis variis item lectionibus Deſiderii Eraſmi Roterodami, Mariani Victorii Reatini, Henrici Grauii, Frontonis Ducaei, Latini Latinii, aliorumque. Subnexis item indicibus nouis I. Locorum S. S. II. Capitum doctrinae fidei. III. Miſcellaneorum, Hiſtoricorum et Philologicorum. IV. Explicatarum Pericoparum Euangelicarum. Auctoritate et Sumptibus Sereniſſimi principis ac Domini Domini Friderici, Erneſti Pii Filii, Ducis Saxoniae, rel. Poſt Baſileenſium et Pariſienſium exemplarium collationem edita, in Diuini nominis gloriam et eccleſiae commodum.

Curae huius editionis praefuit *Adamus Tribbechouius* Gothanus, vir ſua aetate haud mediocris nominis. Expreſſa eſt Eraſmiana, ordine etiam ac diſtri-

diſtributione per *nouem* Tomos illius ſeruato. Sed acceſſerunt tomis tribus, *decimo* notae, ſcholia et annotationes Mariani Victorii, Henrici Grauii, Frontonis Ducaei, Latini Latinii; *vndecimo* Franciſci a Meſſana expoſitiones locorum difficilium et Ferd. Veloſilli aduertentiae; ſed hae non de ſuo ſed doctorum aliquot in Wittenberg. et Helmſtad. academiis virorum conſilio, vt Tribechouius non ſine aliqua reprehenſione ſignificat; *duodecimo* indices noui quadruplici ſerie diſtincti atque hi imprimis Tribechouii ſuaſu. Quae de Eraſmiana pariter ac Victorii editione egregie idem obſeruauit, ſupra attulimus. Merito Friderico Duci nuncupata eſt; ſed factum eſt pietate in hunc principem, vt alieno loco hic insereretur *euolutio inſignium eius iuxta artis heraldicae principia* ſtudio *Bernhardini Zechii cum aliquot tabulis aere impreſſis.* Cf. *Acta Erudit.* 1684. Aug. p. 343-48. et *Oudinum* T. I. p. 856.

1690.

Lutetiae Pariſiorum apud L. Rouland fil. via Iacobaea ad inſigne S. Ludouici. 4. D. Hieronymi Prodromus ſiue Epiſtola Domini Iohannis Martianay ad omnes viros doctos et ſtudioſos cum Epiſtola S. Hieronymi ad Sunniam et Fretelam caſtigata ad MSS. codices optimae notae ac multiplici obſeruationum genere illuſtrata. Opera et ſtudio eiusdem Domini Iohannis Martianay Presb. ac Monachi Ord. S. Bened. e Congreg. S. Mauri.

Quam neceſſaria eſſet noua operum H. editio, oſtendit eruditosque vbiuis gentium diligenter inuitat Martianaeus, vt, ſi quid Hieronymi ineditum in bibliothecarum forulis deliteſcere nouerint, indicent: aut ſi quid in priuatis commentariis ſchedisque ſuis ſingulare habeant, quod ad exornanda et illuſtranda

Hieronymi opera faciat, in publicam Eccleſiae ac ſtudioſorum vtilitatem illud conferant. Tantae enim molis opus eſſe ſentiebat nouam Hieronymi atque accuratam editionem, tot momentis grauem, tot difficultatibus aſperam, tot ambiguitatibus obſeptam et intricatam, vt totius Reipublicae literariae ſtudia poſtulare videretur. Sed enim animum tanto onere ſuſcepto grauatum erigebat et conſolabatur Hieronymi exemplum, quod is, qui ſummus ſacerdos eſſet, fieri iuſſiſſet et quod magna etiam ab eruditis auxilia ventura ſibi ſuppetias ſperaret. Studium enim ſuum atque incoeptos conatus apoſtolica ſua benedictione proſequi, nominatim dignari gloriabatur Sanctiſſimum Papam Alexandrum Octauum, cuius nutu atque imperio ad nauandam Hieronymo operam excitatus ſit:*) atque ſi ex multorum animo omnium Virorum doctorum animus bene ſperari liceat, laetiſſimos ex hac etiam parte ſucceſſus ſibi auguratur. Ita depraedicat imprimis cum Regiae bibliothecae praefectorum beneuolentiam, qui facilem adeo copiam Manuſcriptorum ſibi quotidie fecerint, tum Baluzium, qui non contentus conſilium ſubminiſtraſſe atque hortatus addidiſſe Martianaeo, Colbertinam bibliothecam velut communem domum ipſi aperuerit. Plurimum etiam gratiae a ſe habendum ſignificat Domino Tilmon, a quo commodatum habuerit abſolutiſſimum Manuſcriptum volumen Gallico idiomate vitae S. Hieronymi, quam ex eiusdem S. Doctoris ſcriptis eque diuerſis diuerſorum Auctorum libris in ordinem ipſe tam mirabili diligentia atque felici rerum omnium iudicio digeſſiſſet, vt viam ipſi aperuerit ad illuſtranda non pauca

*) Quemadmodum Hieronymus olim a Damaſo ad SS. Bibliorum translationem permotus erat. Hoc eſt quod videri vult imitari exemplum.

pauca obſcuriora Hieronymi loca ac rem chronologicam lucubrationum eius facilius aſſequendam. Neceſſitatem autem nouae editionis probaturus etiam poſt Herculeos Eraſmi Rot. et Mariani Victorii labores magnam adhuc erratorum ſyluam in his operibus relictam eſſe, exemplis nonnullis probare ſatagit. Et imprimis eo nomine in Eraſmum et Victorium inuehitur, quod Hebraicis vocibus et textibus ab H. allegatis, ſubinde puncta appoſuerint, et hoc facto Hieronymi ſenſum et interpretationem ſaepius plane ſubverterint. *Altera* prodromi *pars* exhibet S. Hieronymi *Epiſtolam ad Sunniam et Fretelam*, ad MSS. Codd. optimae notae caſtigatam, cui in altera paginarum columna appoſitae ſunt vitioſae lectiones in Eraſmi et Mariani Victorii editionibus occurrentes, quarum tantus apparatus eſt, vt vix tertia Epiſtolae huius licet ſatis prolixae pars cum MSS. Codicibus conueniat. Cuius diuerſitatis cauſam recte ſentit Prodromi auctor fuiſſe, quod Marianus Vict. et Eraſmus Hieronymum non ex Hieronymo, ſed ex hodierno Maſoretharum Hebraico textu et ex ſeniorum LXX editione Sixtina, emendare praeſumpſerint: non intelligentes, longe diuerſam fuiſſe Hebraicam veterem lectionem ab ea, quae nunc Maſoretharum punctis circumſcripta eſt; et Graecarum interpretationum exemplaria, quibus Hieronymus vſus eſt, multum ab iis diuerſa fuiſſe, quae Romae cum Nobilii notis edita hodie leguntur. Subiiciuntur huic *Epiſtolae* notae in titulum eius et inſcriptionem, inque aetatem eius, loca difficiliora et celebriora, variantes lectiones Graecas, nec non Hebraica verba, quibus notis ſubiungitur index Codicum MSS. ad quos Epiſtola haec nunc recognita et caſtigata prodiit. Caeterum Epiſtola id. gallico ſcripta et Mich. Lequenio (Lequien) ab auctore prodromi oppoſita ad Hieronymum proxime

non ſpectat. Cf. *Acta Erudit.* 1695. Mart. p. 95. et apud Oudin, p. 857.

1693. 99. 1704. 1706.

Pariſiis apud Ludouicum Roulland et Ioan. Aniſſon. fol. Tomi V. S. Euſebii Hieronymi Strid. Presbyteri, opera, ad vetuſtiſſimos MSS. codd. nec non ad editiones veteres emendata, ſtudio et labore Monachorum ordinis S. Benedicti (D. ANTONII POVGET et D. IOANNIS MARTIANAY).

Geſtit recens haec editio nouo, quod operum S. Hieronymi ſyluae accreuit, germine *primo* hocce *tomo* per Martianaeum feliciter in dias auras educto, videlicet *Bibliotheca Diuina antehac inedita, complectente translationes Latinas Veteris ac Noui Teſtamenti, cum ex Hebraeis tum e Graecis fontibus deriuatas, innumera quoque ſcholia marginalia antiquiſſimi Hebraei cuiusdam ſcriptoris anonymi, Hebraeas voces preſſius exprimentes.* Quae quidem verſiones licet aliae nullae eſſent, quam quae iam pridem ſub nomine Vulgata legerentur, non inepto tamen conſilio a Martianaeo repraeſentari denuo videbantur, quemadmodum in antiquiſſimis libris exſtant, ſine mutationibus, quae poſtea in iis factae ſunt, eoque ordine, quo inueniuntur iisdem in libris, nec diſtinctionibus, quae in iis cernuntur, omiſſis. Optandum igitur erat, vt quamplures lectiones variantes ex antiquis libris, qui magnam earum praebituri erant copiam, excerptas addidiſſet, quod omnes nimis parce ac nullo conſilio ab eo factum aegre ferunt ac conqueruntur. Haudquaquam vero neglexit, quae ſpeciem atque pompam inſtituto ſub quocunque modo conciliare poſſent, quo partim titulus Bibliothecae Diuinae ſpectat, in quo mirifice ſibi placuit, partim materies, quam prolegomenis condendis vndique ex

haud

haud foecundis eruditionis ſuae campis corraſit atque comportauit. Conſtant illa quatuor ſectionibus, in quarum *prima* diſſeritur de nomine Bibliothecae, et de modo, quo nobis edita ſit, nempe I. Quid ſignificet Bibliotheca diuina. II. De Conſilio Hieronymi in vertendis ſcripturis ſacris. III. De ſtudio eius in lingua hebraica perdiſcenda. IV. Quos habuerit hortatores, quos oppugnatores ſuarum Translationum ex Hebraeo. V. Quod in ſuis Translationibus nimiam vitauerit nouitatem et Interpretationis κακοζηλιαν. Prolegomeno *ſecundo* de tempore translationum Hieronymi et earum vſu in eccleſia; III. de Canone Hebraicae veritatis et ſcholiis eiusdem marginalibus; IV. de Titulis et capitulis, Verſibus et metris ſacrorum Bibliorum agitur. Notas, quae ſenſum locorum illuſtrent, oppido paucas M. adſperſit. Locum vna cum lectionibus variantibus in inferiori margine obtineat. *Tomus ſecundus.* Edito iam vtriusque Teſtamenti ſacro contextui Libros Commentariorum in Legem et Prophetas ſubnectendos, eosque, quidquid ſecus aliis viſum fuerit, Epiſtolis b. Patris moralibus praeponendos eſſe exiſtimauit. Sed cum eiusdem liber vnus de *nominibus Hebraicis* alterque *de ſitu et nominibus locorum Hebraeorum*, generales velut commentarii in omnem S. S. nuncupari mereantur, Etymologicus quidem alter, alter Geographicus, hinc eos primo ſtatim loco collocat. Mox tamen duo haec opuſcula, excipiunt *Quaeſtiones hebraicae* in *Geneſin*, quas ſolas reperire ſe potuiſſe teſtatur, quamuis aliarum in caeteros libros ſacros Hieronymus ipſe ſaepius meminerit. Quamobrem et quoniam in caeteris quoque non niſi particulas aliquas plurimorum diuinorum voluminum ab eodem expoſitas teneamus ex Epiſtolis eius omnes, quae ad interpretationem S. Codicis ſpectarent, a Geneſi vſque

ad librum Eccleſiaſtae in vnum collectas et iuxta ordinem librorum diſpoſitas titulo *Epiſtolarum Criticarum* ſiſtit: quo factum putat, vt, quantum fieri poſſet, integra Commentariorum Hieronymi ſeries exiret. Singula vero opuſcula ex fide plurimorum MSS. veтuſtiſſimorum ſe emendaſſe, tantamque ſe in hoc negotio diligentiam adhibuiſſe ſcribit, vt dicere haud vereatur, *Hieronymum ipſum propria quaſi manu correxiſſe, et reſtituiſſe in hac editione, quodcunque in veteribus libris antea deſcriptis corruptum fuerat.* Cui induſtriae cum et altera acceſſerit collatio ſcilicet quamplurium Hieronymi locorum ſimilium, quibus inuicem illuſtrentur ſaepius ſententiae, ac variantes lectiones in vnam genuinam concilientur: *nihil deſiderari poſſe, quod ad perfectam textus emendationem et reſtitutionem neceſſarium ſit* arbitratur. *Acta Erudit. a. 1699. Decembr.* p. 529 ſq. Quod *epiſtolas,* quas vocare amat *criticas,* e reliquarum coetu ſeligendas attinet, conſilium, noſtra quidem opinione, non tantopere reprehendendum atque auctori ſuo exprobrandum erat ac fere ab omnibus et nouiſſimo quoque editore factum nouimus. Nam etſi largiamur, fortaſſe nouandi ſtudio plurimam partem eius eſſe tribuendam: quis tamen negauerit, aptum et vtile eſſe inſtitutum, quod vnius eiusdemque argumenti particulae diſperſae ſub vnum obtutum coguntur, vt ex iuſto loco certius aeſtimare queant? Huic tomo animaduerſiones crebras et ſubinde, imprimis ad Quaeſtiones hebr. valde prolixas addidit, acriter propterea a Clerico notatus. *Tomus tertius* complectitur *Commentarios in XVI. Prophetas.* Praecedunt Prolegomena II. in quibus editionis nouae Commentariorum neceſſitatem, quam iam dudum cum vniuerſorum operum H. editionis neceſſitate demonſtrauerat, denuo comprobat, exempla reſtituta-

rum

rum hebraicarum et latinarum lectionum, notas chronologicas, aliaque ad illuſtrationem ſpectantia exhibet. Cum autem longius paulo a ſecundi Tomi publicatone ad tertii editionem effluxiſſet ſpatium, quo calculi cruciatibus ab omni labore Martianaeus detentus fuit, prodiit interea (1700.) acerrima in primum ac ſecundum Tomum. *Io. Clerici* animaduerſio, *Quaeſtiones Hieronymianae* inſcripta, quae innumera vulnera Martianaeo inflixit atque effecit etiam, vt ſuperiores eius cauerent, ne amplius inepta notarum mole Hieronymi commentarios oneraret. Qua de cauſa nudum fere ac ſimplicem Hieronymi contextum editum hic habes. Contra vero poſt Comm. in IV. Proph. maiores p. 1138. inſeruit M. *Eruditionis Hieronymianae defenſionem aduerſus Iohannem Clericum* charactere maiori ac reliqua impreſſam, quae duobus capitibus I. *de abſoluta Hieronymi eruditione deque imperitia ſingulari Ioh. Clerici.* II. *de ſinceritate et vtilitate Editionis nouae Operum S. Hieronymi; deque imperitia et maleuolentia Quaeſtionum Hieronymianarum Iohannis Clerici,* atque *indice aliquot inſigniorum mendaciorum et fallacium concluſiuncularum Io. Clerici* omnem illius impetum repellere atque infringere nititur. *Tomus quartus* parte prima complectitur *Commentarios omnes in libros N. T.* inſertis et hoc loco ſecundum ordinem librorum SS. *Epiſtolis criticis;* altera pars *cunctas alias Epiſtolas* ordine nouo chronologico et in varias claſſes diſtributas cum *opuſculis Apologeticis et Polemicis* exhibet. Nec minus haec quoque ad MSS. codd. fidem emendata ac reſtituta pollicetur ac praeluſit prolegomenis ſpecimina emendationis et doctas in epiſtolarum aetatem diſcuſſiones exhibentibus. In appendice I. partis proponuntur *Didymi liber de Sp. S.* interprete Hieronymo cum *eiusdem* in eundem

 librum

librum *ad Paulinianum praefatione.* Caeterum noua bella in Clericum meditatus fuiſſe videtur bonus Monachus, vt ex admonitione ad calcem Partis II. ad ligatores directa patet, qua *Appendicem apologeticum pro Hieronymo ac eiusdem ed. noua Benedictina* adiecturum ſe fuiſſe, ſed conſilium deinde mutaſſe Superioribus haud dubie cogentibus ſcribit. *Tomus quintus.* Hic tandem *opuſcula ſuppoſititia et incerta* edita vel inedita in quatuor ſeries diuiſa exhibet. Nempe *Tripartitam ſeriem Eraſmi* *) diligentius editam cum cenſuris eius, cumque variis aliquot lectionibus MSS. codd. et adnotationibus Martianaei; et *Commentarios in Libros ſacros veteris et noui Teſtamenti* falſo Hieronymo adſcriptos. Antecedunt 1. duplex vita, altera Anonymi ex codd. iterum accuratius deſcripta et variantibus lectionibus inſtructa, altera per ipſum editorem condita ſubiectis Seueri Sulpitii de Hieronymo teſtimonio et Gennadio de viris illuſtribus ex noua ad Codices antiquiſſimos reuiſione et variantium coronide. Nec ſane contentus fuit prolegomenis, quaecunque hac partitione complexus eſſet explicare, ſed pro bellariis appoſuit *Appendicem curioſiſſimam in gratiam diſcipulorum H. et ſtudioſorum diuinae ſcripturae* h. e. *Mantiſſam Editionis Benedictinae* ſ. Congeriem *Theſewv Poſitionum* et *Diſputationum in Biblia S.* it. cum inſcriptione *Tractatus curioſis non indignus*, Theologiam ſacram aſceticam, Praefationem de triplici genere Sacrae poeſeos, Exercitationem in Pſalterium Dauidicum,

*) Prima parte proponuntur Opuſcula, quorum auctores ignorantur. Secunda ea, quae ſuis titulis proprios teſtantur Auctores. Tertia ſimiliter quae ſuos Auctores ipſa prae ſe ferunt; ſed quae parum docta habentur.

cum, et Exercitationem Analyticam et Theologicam in Pſalterium. Porro Exercitationem anal. et theol. in Cantic. Canticorum; iſagogicam in Elegias ſacras Proph. Ieremiae. Theologiam Propheticam, quae breuiter oracula Prophetarum exponit, cum adiuncta chronologia. Denique exercitationes in Pſalmos VI. priores. Singulis hiſce voluminibus, quid? quod ſingulis voluminum partibus plerumque index Locorum SS. et rerum additus eſt. Atque vt laudes etiam huius editionis paucis complectamur, I. textum praebet ad Codices antiquos et bonos multis in locis emaculatum et plerumque fide aperta reſtitutum, quae profecto ſi cum clandeſtinis et doloſis Romanae editionis artibus comparaueris, non minima laus eſt. II. Hebraica, quae peſſime quondam ab Amerbachiis fratribus ad Maſoretharum legendi rationem conſtituta fuerant et characteribus Hebraicis exſcripta, quae aliter Latinis Hieronymus ſcripſerat, ad antiquam formam paſſim reuocauit et feliciter emendauit. III. Chronologicam ſcriptorum ſeriem accuratius et docte plerumque conſtitutam ſuppeditat. Contra nemo inficias iuerit, I. Martianaeum, ſi ampliorem linguae latinae, graecae ac hebraicae habuiſſet peritiam, quae Clerici fuit obiectio, ope codicum et diligentia adhibita meliora daturum fuiſſe; II. pro ambitioſa, ne quid grauius dicam, laborum ſuorum traductione et oſtentatione typographica, voluminumque mole, laudes eius editionis tenues eſſe; III. recteque Clericum ei exprobraſſe, quod imparatus atque ignarus virium ſuarum et rei magnitudinis ad laborem acceſſerit. Quod poſtremum vel ex eo ſole clarius patet, quod epiſtolam, quam ſpeciminis loco olim ediderat, magno variantium lectionum apparatu et ſpecioſe exſcriptam absque vlla mutatione eademque forma recudi fecit, cum reliquis eiusdem argumenti pauciſſimas

mas variantes in inferiori paginae margine appoſuit. Dedicatum eſt opus Innocentio XII. P. M. cuius inſigne gentilitium ſingulis tomorum titulis impreſſum cernitur.

1700.

Amſtelodami apud I. Lud. de Lorme. 8. Ioannis Clerici Quaeſtiones Hieronymianae in quibus expenditur Hieronymi nupera editio Pariſina multaque ad Criticam Sacram et Profanam pertinentia agitantur.

Paruum hoc ſed iudicio et eruditione lectiſſima refertum opuſculum tanto maiori iure locum ſibi inter annales editionum Hieronymianarum poſtulat, quanto non ipſius Hieronymi magis quam Pariſini editoris doctrinam et ingenium ſeuera lance examinat. Latiſſime profecto vſus eorum, quae noua tunc et audacter ab ipſo dicta videbantur, vel etiam tanquam friuola et ludibrioſa ſannis et dicteriis excipiebantur, ad iudicia de patrum vſu et eruditione vniverſum reformanda patuit. Conſtat quaeſtionibus XV. quarum hic index eſt. *Quaeſtio I.* Quid poſtuletur ab eo, qui *Hieronymum* edere atque illuſtrare aggrediatur. Ad ſex capita refert: 1) Non oportere ab editore pluris fieri, quam par eſt, Scriptorem, quem edit, qua in re peccaſſe Eraſmum et Martianaeum oſtendit, ſimulque data occaſione iudicium de vniverſa Hieronymi eruditione hiſce verbis promit: „Si ſeponas multam Graecorum et praeſertim Latinorum lectionem, coniunctam cum facultate acriter declamandi, aut declamatorie ſcribendi, pro eius aeui palato; cetera omnia ſunt mediocria. Non modo Hebraicae, ſed et Graecae Linguae modica cognitione fuit tinctus. Theologiam ceteraſque diſciplinas deguſtauerat potius quam exhauſerat. In inuentione quidem,

quidem, nihil propemodum habet exquiſiti; in ordine, nihil ferme accurati. In ratiocinatione vero et collectione conſectariorum, plus multo pompae rhetoricae atque exaggerationis inuenias, quam roboris, et iudicii, niſi velis Dialecticae valedicere; quam nunquam in eo laudaſſet *Eraſmus*, niſi communi Editorum vitio laboraſſet." 2) Editorem eius peritum eſſe oportere Linguae Latinae; 3) Peritum item Linguae Graecae quarum peritiam Martianaeo eſſe negat; 4) Hebraice doctum eſſe oportere, qua pariter eruditione carere Martianaeum obiicit; 5) Poſtulari etiam hominem verſatum in Lectione Vett. Interpretum, qualis non ſit Martianaeus, quod probatur exemplo vocis *Aulon;* 6) Eundem oportere eſſe in tractandis MSS. peritum, quod deeſſe Martianaeo exemplis probatur. *Qu. II.* Quanta *Origeni* fuerit peritia Linguae Hebraicae. *Qu. III.* Quanta fuerit Linguae Graecae cognitione praeditus *Hieronymus*. *Qu. IV.* Quanta fuerit Hieronymo Linguae Hebraicae peritia, quod attinet Grammaticam. *Qu. V.* Quanta fuerit Hieronymo Linguae Hebraicae cognitio in iis, quae ſpectant ad ſingulorum vocabulorum ſignificatum. *Qu. VI.* An *Hieronymus* aliquando paſſus ſit ſibi fucum fieri a Iudaeis, quod aliquot exemplis probatur. *Qu. VII.* Quanti ſint faciendae rationes, quibus Martianaeus adductus eſt, vt ſummam peritiam Linguae Hebraicae Hieronymo tribueret. *Qu. VIII.* Quisnam ſit verus vſus Operum Hieronymi, et quaenam adhibenda cautio in iis legendis. *Qu. IX.* Quanti facienda ſit editio verſionis Latinae, quam Martianaeus vocat *Diuinam Bibliothecam Hieronymi*, quidue ſentiendum de praefationibus Hieronymianis, quarum varia loca ad examen reuocantur. *Qu. X.* Quanti facienda ſint Scholia edita a Martianaeo, ipſiusque adnotata. *Qu. XI.* Quodnam iudicium

cium ferendum ſit de Libro de Nominibus Hebraicis, deque Notis et Commentariis Martianaei. *Qu. XII.* Quaenam ſit vtilitas Libri *de Locis Hebraicis.* *Qu. XIII.* Quidnam ſentiendum *de Hebraicis quaeſtionibus* in Geneſin. *Qu. XIV.* Quanta ſit eruditio in *Epiſtolis Criticis Hieronymi.* *Qu. XV.* Quodnam ferri queat iudicium de Commentariis Hieronymi.

Saec. XVIII.

1717. 18.

Diſſertation critique *du P. de Vitry* ſur la 38 Lettre de *S. Jerome.* dans les Memoires de Trevoux. An. 1777. Juin p. 993-1011. An. 1718. p. 973 vſque ad 995.

1718.

Pariſiis, ap. P. Maillet. 12. Tullius Chriſtianus ſ. D. Hieronymi epiſtolae ſelectae ſtudio *Monachi* e Congreg. *S. Mauri.* *Cat. Bibl. Reg. Franc.* T. I. p. 374.

* *

Hamburgi ap. Chriſt. Liebezeit et *Theodor. Chriſtoph. Felginer.* fol. D. Hieronymus de ſcriptoribus eccleſiaſticis, cum veteri verſione graeca, quam vocant *Sophronii*, et nunc primum vulgatis editoris notis, Hieronymum cum Euſebio accurate conferentibus: adiunctis praeterea caſtigationibus *Suffridi Petri* et *Io. Martianaei,* nec non integris *Eraſmi, Mariani Victorii, Henr. Grauii, Aub. Miraei, Willh. Ern. Tentzelii* et *Ern. Salomonis Cypriani* annotationibus, curante Io. Alb. Fabricio in *Eiusd. Bibl. Eccleſiaſtica.*

1730.

1730.

Venez. 4. *Petri Magagno* hiſtorica animaduerſio in Epiſtolam S. Hieronymi ad Euſtochium de cuſtodienda virginitate: *nelle Novelle della Rep. delle Lettre del' anno* 1730, p. 59-72.

1731.

Romae ex typogr. Petri Roſati et Ioſephi Borgiani in via Parionis. 8. S. Hieronymi Presbyteri Epiſtolae Selectae in tres libros nouo ordine diſtributae, Vita S. Doctoris nunc primum auctae, notisque illuſtratae. Opera et ſtudio *Ioſephi Catalani*, Congreg. S. Hieronymi Caritatis Presb. Reuerendiſſimo Patri Ioſepho Mariae ab Ebora (dedicatae).

1734 - 42.

Veronae apud Petrum Antonium Bernum et Iacobum Vallarſium. fol. max. XI. Tomis. S. Euſebii Hieronymi Stridon. Presb. Opera. Poſt Monachorum Ord. S. Bened. e Congreg. S. Mauri recenſionem denuo ad MSS. Codices Romanos, Ambroſianos, Veronenſes aliosque, nec non ad priores Editiones caſtigata, quibusdam ineditis Monumentis aliisque S. Doctoris lucubrationibus ſeorſum tantum antea vulgatis aucta, Notis et obſeruationibus continenter illuſtrata ſtudio ac Labore *Dominici Vallarſii* Veronenſ. Presb. opem ferentibus aliis in eadem Ciuitate Literatis viris, et praecipue March. Scipione Maffeio.

1. Ordinem et Diſtributionem huius editionis per XI. Tomos vide ſ. I. Cuique Tomo praefixa eſt praefatio editoris de rebus omnibus, quae ad illud Vol. pertinent, maxime iis, quarum acceſſione vnumquodque ditatum eſt exponens, in quibus etiam, quae a ſuperioribus editoribus experta ſint ſingula opuſcula, ſtudium diligenter notatum eſt.

2. Tex-

2. Textus ipſe ex MSS. quamplurimis ſtudio indefeſſo e Bibliothecis Romanis, Mediolanenſibus, Veronenſibus, Parmenſibus, Vercellenſibus aliisque congeſtis et probe examinatis et perpenſis emendatus ſ. Variante lectione inſtructus eſt, in quo illud tamen dolemus, quod otium editori defuerit, quo minus iuſto omnium ſeu potiorum ſaltem recenſu iudicandi lectoribus de pretio eorum copiam facere poſſet. Ipſe quidem in textu corrigendo has ſibi leges ſcripſiſſe profitetur, vt niſi errore ex vet. librariorum inſcitia, aut Criticorum audacia manifeſto ſe prodente, quidquam immutaret, ſed orationis contextum et penitiorem ſenſum, vſum quoque Hieronymi in ſcribendo atque ingenium expenderet. Quae ita ſibi probarentur, multas ſatis, vt quidem affirmat, in textum recepit aliasque contra loco migrare iuſſit, prudentum licet Editorum ſuffragio, lectiones receptas. Nec omnino etiam coniecturis in textum paſſim inferendis abſtinuit, ſicubi manifeſto tacentibus MSS. corruptela ſe proderet; nimirum cauſis in notis vbique additis et explicatis. Variantium lectionum molem eo compeſcere ſtuduit, quod exſulare iuberet quae mera ſcribentium ludibria, nulli vſui eſſe poſſent, reliquas continenter apponeret, leuioris vero momenti quasdam paſſim aſteriſco notatas ad marginem citaret.

3. Notae editoris partim in emendationum lectionumque receptarum cauſis et argumentis explicandis partim illuſtrandis locis intellectu difficilioribus verſantur. Praeterea collata loca Graecorum SS. vnde non raro Hieronymi oratio expreſſa eſt ſeu colorem duxit diligenter, nec ſerioris aeui auctorum Hieronymiana proferentium comparatio, ſicubi vſui eſſe poſſet, neglecta. Vt vero hoc non temere ſed cum dilectu fieri debebat, ita operi et tempori parcendi

cendi cauſa loca aliorum SS. ſimilia, παραλληλα vocant, quibus margines fere oppleri ſolent, prorſus abeſſe voluit. *Ex his vero locis*, inquit, *qui aut perperam accepti ſunt aut invidioſe traducti, ſi quando absque ſanctiſſimi Doctoris iniuria ſit, cum aliqua veritatis ſpecie, nullius ferme praeterii culpam aut ſuſpicionem purgare.* Ex priorum editorum animadverſionibus, quas integras olim addere conſtitutum erat, paucis tantum aliorum delibatis integrae adiectae ſunt cuique Tomo Martianaei inuidiae declinandae cauſaſi, quidem alias ſine diſpendio huius editionis omitti potuiſſent, inquit.

Haec Summa ed. Vallarſianae, quae vt ſuperioribus absque inuidia longe eſt praeſtantior, ita negari nequit nimis fere iactantem nec animo ſatis aequo in priſtinos, qui viam ipſi ſtrauerant, editores omniumque maxime Eraſmum et Martianaeum ſe praebuiſſe Vallarſium.

1739.

Pariſ. 4. S. Hieronymi Epiſtola ad Aletam (Laetam) cum variantibus lectionibus per *Monachum Benedictinum* Congreg. S. Mauri. dans *l'Explication de divers Monumens, qui ont rapport a la religion des peuples anciens.* p. 414.

* *

Ibidem. S. Hieronymi Epiſtola ad Sophronium de Pſalterio cum variis lect. *ibidem* p. 383.

1751.

Bononiae. 4. S. Hieronymi Quaeſtiones in *Habacuc* Prophetam. cum Cypriani, Hilarii aliorumque Patrum Latin. opuſculis a *Ioa. Chryſoſt. Trombellio* editis T. II. P. I. p. 189-191.

Ibidem.

Ibidem. Eiusd. Sermo in die Dominica Paſchae. *ibid.* p. 195.

1758.

Coburgi, apud G. Otto. 8. S. Hieronymi Epiſtola ad Nepotianum de vita clericorum, quam ob argumenti praeſtantiam ſeparatim recudendam, addita praefatione et appoſitis notis et animaduerſionibus curauit *Erdmannus Rudolphus Fiſcherus.*

1766-72.

Venetiis, ap. Guilielm. Zerletti. 4. Tomis XI. S. Hieronymi opera ex rec. Vallarſiana. — Editio altera. Ab ipſo Veronenſi editore poſterioribus curis aucta et recognita.

A Veronenſi editione parum admodum differt, ſed paſſim ab editore emendata eſt. Exemplo ſit ex Tomo II. P. I. *Vita Pauli Eremitae*, vbi olim Codex Veronenſis non ſatis curioſe nec, vt propoſitum fuerat, ad ed. Benedictinam, ſed aliam Colonienſem erat collatus, quo factum erat, vt falſis lectionibus variantibus V. deciperetur, quas in praeſenti paſſim expungit.

Verſiones. Hieronymi ſcripta maximam partem ita comparata ſunt, vt in recentiorum linguarum idiomata translata nonniſi exigui fructus eſſe et vix paucis placere poſſint. Quocirca non contemtior ſane hac ex parte videri debet, cuius praeter Epiſtolas admodum paucae librorum verſiones occurrunt, quod ea certe, quae vere iucunda lectu ſunt et quauis lingua expreſſa auctoris ingenium commendabunt non modo non neglecta, ſed ſtudioſe potius culta ſunt, vt ex ſub-

ſubiectis hoc loco Epiſtolarum verſionibus *italicis, hiſpanicis* et *gallicis*, quotquot reperire potuimus, apparebit.

Italicae, quae antiquiſſimae ſunt, et *Hiſpanicae.*

1497.

Ferrara per Lorenzo de Roſſi da Valenza. fol. cum fig. Vita epiſtole de ſancto hieronymo ulgare. (*ſic*) *Ad calcem:* poſt loci et typographi notam *Adi XII. de Octobre. Cat. de livres de M. Crevenna.* 8. (1789.) T. I. p. 103. *Cat. raiſonné de M. Crevenna* Vol. VI. p. 9 ſq. *Debure Bibliograph. inſtr. Theol.* p. 240.

1562.

Venet. . . . . 4. S. Hieronimo lettere fatte volgari da *Gio. Fraceſco Zeffi. Bibl. Barber.*

1613.

En Madrid por Luis Sanchez. 4. Epiſtolas del Doctor de la Yglefia ſan Geronimo, repartidas en ſeis libros, para diverſos eſtados traduzidas en lengua Caſtellana por *Franceſco Lopez Cueſta.*

✣ ✣

En Valladolid, por Juan de Rueda. 8. Epiſtolas ſelectas de ſan Geronimo traduzidas en lengua Caſtellana por *Franceſco Lopez Cueſta.*

G a l l i c a e.

1530.

Paris, chez Guillaume Euſtace. fol. Les Epiſtres Monſeigneur ſainct Hierosme, translatez de Latin en Françoys. Eandem verſionem apud eundem typogr.

typogr. ſed anni nota carentem duobusque tomis impreſſam video laudari in libro gallico inſcripto: Les Bibliotheques franc. de *la Croix du Maine* et de *Du Verdier* nouv. ed. par M. *Rigoley de Juvigny.* (Par. 1773. 4.) T. IV. p. 204.

1613.

Paris, chez Ant. Eſtienne. 8. Trois Epiſtres de S. Hierosme, l'une à Heliodore, l'autre à Julien, et la derniere contre Vigilantius; avec des autres de *J. Pic. de la Mirande,* a Jean François ſon neveu, traduictes par *Jean Davy,* Sieur *du Perron et de la Guette,* Conſeiller d'Eſtat.

1672.

Paris, chez Frederic Leonard. 8. Lettres de St. Jerôme, diviſées en trois livres, traduction nouvelle, par *Jean Petit,* Avocat.

1679.

Paris, chez Jean Couterot. 8. Les Lettres de S. Jerôme, traduction nouvelle, ſeconde edition corrigée et augmentée. *Cat. Bibl. Bunau.*

1682.

Ibidem. eod. 8. Les lettres de S. Jerôme. — ſeconde edition.

1702.

Paris, chez Louis Guerrin. 8. Les Lettres de S. Jerôme, par *Jean Petit.* troiſiéme edition.

1704. et 1707.

Paris, chez Louis Roulland. 8. 3 *Voll.* Lettres de St. Jerôme, traduites en François ſur les editions

tions et ſur pluſieurs MSS. très anciens, avec des notes et des remarques ſur les endroits difficiles; par *Guillaume Rouſſel*, Benedictin de la congr. de S. Maur.

1713.

Paris . . . . 8. 2 Voll. Lettres de St. Jerôme. *Alter bibliograph. Nachricht.*

Sine anno.

Paris, chez Geoffroy de Marnef. 8. La reigle de devotion des epiſtres de ſainct Jerosme, à ſes ſoeurs fraternelles de religion (Euſtochie et les autres Vierges) translatée de Latin en François par *Guy Juvenal* Profès en la regle Saint Benoiſt.

His addi poſſunt alia quaedam:

1715.

Paris, chez la veuve d'Antoine Lambin. 12. Traitez des vanitez du ſiecle, ou Commentaire de S. Jerôme ſur le livre de l'Eccleſiaſte, traduit avec des reflexions par *Jean Martianay*, Benedictin de la congr. de S. Maur.

1724.

Paris, chez François Barois. 12. Lettre de S. Jerôme a Pammaque qui obligea Rufin d'Aquilée de faire ſes Apologies pour y repondre. *it.* Defenſe de S. Jerôme contre Rufin adreſſée a Pammaque et a Marcellin: *dans Recueil de Pieces concernant la Vie de Rufin Preſtre de l'Egliſe d'Aquilée*, qui alteram partem vitae Rufini ab auctore anonymo Francogallo ſcriptae et hoc a. et l. editae conſtituit.

Codices. Antiquiſſimas editiones, ſi a paucis diſceſſeris, ex codicibus peſſimae conditionis, prout in manus editorum inciderent, expreſſas eſſe, dudum Vallarſius vidit. De Eraſmo item conſtat, non valde curioſum hac in re fuiſſe, quod plus ille ſtudio et lectitatione auctoris, quem edendum ſuſceperat, tribuere ſolebat, et vſui tractandorum ſcriptorum veterum confidebatur. Victorius primus hanc gloriam aucupatus eſt; nec infeliciter omnino, vt ſupra patuit. Vtinam vero recenſere eos et iudicium de ſingulis iuſtum ferre non neglexiſſet! Martianaeo tam immenſa librorum MSS. copia ſuppetebat, vt fieri vix poſſet, quin omnibus excutiendis vnus quantumuis labori aſſuetus vir impar eſſet. At ille minimo ſudore et inexhauſtus viribus ex hac arena receſſit, quod nec vti ſatis ſciret nec vellet. Teſtes ſupra excitauimus Clericum et Vallarſium. Hic aliud addimus argumentum, notitiam ipſam, quam de Codicibus MSS., qui penes ipſum fuiſſent, dedit, in qua adeo ſocordem et ſupinum ſe geſſit, vt, cum in primo et ſecundo Tomo talem praepoſuiſſet, in reliquis tamen vel prorſus indicare ſuperſederet vel in notis tantum ſubinde appellaret. Ac codices, quibus ad recenſendam Bibl. Diuinam iuxta hebraicae veritatis Canonem vſus eſt, in praeſenti omittimus, rati, haec ad ipſius potius textus Bibliorum Sacrorum hiſtoriam, quam ad Hieronymum, pertinere. Tomi ſecundi codicum Syllabum ante adpendicem eiusdem Tomi proponit, et tantum MSS. codicum copiam eſſe, praemonet, vt vix numeroſitatem eorum dicere auſurus fuiſſet, niſi in promtu fuiſſet, nominibus propriis ſingulos appellare et numeris ſuis deſignare. Enumerat deinde I. *Codices* MSS. Gallicanos: 1. *Regios*, ſeptem. 2. *Colbertinos*, viginti. 3. *Corbeienſes* et *Sangermanenſes Benedicti-*

nedictinorum, ſeptendecim. 4. *Aliorum monaſteriorum eiusd. Congregationis*, quatuordecim. 5. *Cluniacenſes*, tredecim. 6. *Monaſterii S. Cypriani*, quinque. 7. *Sorbonicos* et *Nauarricos*, nouem. 8. *Memmianum* (Praeſidis *de Meſmer*). 9. *Occitanicos*, tres. II. *Codices MSS. Romanos*, 1. *Bibl. Vaticanae*, ſeptem. 2. *Biblioth. Palatinae*, duo. III. *Codices Germanicos* quatuor, Murbacenſes. Summa *centum et tres*.

Codices, qui Vallarſio praeſto fuerunt.

1. *In Epiſtolis:* Cod. MS. Bibl. Ambroſianae, Mediolani, olim S. Columbani de Bobio n. 59. ex quo quatuor epiſtolas antea non editas, quae in ed. eius n. XCII - XCV. collocatae ſunt et inſcribuntur: *Synodica Theophili ad Epiſcopos Palaeſtinos et Cyprios; Synodica Ieroſolymitanae Synodi ad ſuperiorem; Dionyſii ad Theophilum; Anaſtaſii ad Simplicianum:* ex quibus tantum ſuae editioni acceſſiſſe confidit pretium, vt, ſi praeterea nihil a ſe praeſtitum eſſet, eſſe tamen putet, cur ſatis bene de Hieronymianorum operum amatoribus mereri ſibi videatur.

   Alios non commemorat.

2. *ad tres Vitas Pauli, Hilarionis et Malchi:* *Quatuor* Codices Vaticani, praenotati numeris 432. 500. 589. 797. *Vnus*, cuius ipſe poſſeſſor fuit, non magnae vetuſtatis ſed probae notae.

   Codex MS. Veronenſis Capituli, qui omnes ad hanc diem cognitos vetuſtate antecedit, ſcriptus anno *quingenteſimo decimo ſeptimo ab Vrſicino* Eccl. Veronenſis Lectore, vt quidem adſcripta epocha Conſularis prodit. Hic idem eſt, quem maligne collatum in ſecunda editione conqueritur.

3. *ad Didymi librum de Sp. S.* Codex MS. Vat. n. 4945.

Codex MS. ex Bibl. Romani Collegii PP. Societ. Ieſu.

Codex Toloſanus, cuius excerptas var. lectt. Martianaeus ad calcem libri reiecerat.

4. *in libris contra Iouinianum:* Codex Veronenſis, maiuſculis literis ſcriptus et ſummae antiquitatis et emendatiſſimus.

Codex Ciſtercienſis ſ. S. Crucis in Ieruſalem de Vrbe, qui prioris vetuſtati proxime accedit.

Codex Caſanatenſis, ſequioris quidem aetatis, ſed probae notae.

5. *ad libros contra Vigilantium* ſaepe laudat Codicem S. Saluatoris Bononienſem.

6. *in libr. Apologet. adv. Rufinum:* Codex Palatino-Vaticanus n. 234. vetuſtiſſimus.

7. *in dialogos III. contra Pelagianos:* Codex Vat. n. 4985.

2. Codex Reginae Suecorum n. 286.

8. *ad libr. de Viris illuſtribus et quae illi adduntur:* Codices Veronenſis et Ciſtercienſis iam ante appellati.

Codex Lucenſis, qui nonum ſaeculum dicitur anteuertere, ex quo ſeriem Capitulorum Gennadii multo ab aliis MSS. atque editis libris diverſam accepiſſe ſe monet.

Codex Corbeienſis a Mabillonio laudatus, cuius Var. lectt. ad calcem libri Gennadiani Martianaeus exhibuit.

Variantes Lectiones a ſuperioribus editoribus notatae.

9. *in libro de Palaeſtinae locis:* Codex MS. graeci Euſebii textus, qui ante Vallarſium ex vnico Regio-Pariſienſi eoque vitioſiſſimo editus erat.

in

in Vat. Bibl. loculis improuiſo ab editore repertus. Fuit olim Card. Sirleti iamque inter Vaticanos numerum tenet 1456. Aetate ſaeculum decimum eum anteuertere dicit. Lectiones optimas multaque alia, quae in Adpendice apud Vallarſium appoſita ſunt, praebuit.

10. *ad Hebraicas Quaeſtiones in Geneſin:* Codices Vat. duo, olim Reginae Suecorum n. 39 et 215.
Codex Palatinus in eadem Bibl. Vat. n. 183.
Codex Mediolanenſis Bibl. Ambroſianae ſub lit. D. n. 8.
Codex, quem ipſe poſſedit.

11. *ad Commentarium in Eccleſiaſten:* Codices duo Palatini n. 79. et 175.
Codex Vat. n. 318. Codex ipſius.

12. *ad Homilias Origenis in Cantic. Cant.* Codex MS. Bibl. S. Crucis in Ieruſalem de Vrbe.
Codex Vat. olim Reginae Suecorum n. 66.

13. *ad Comment. in Ieſaiam:* Codex Palatin. n. 172.
Codex Vat. n. 322.
Codices Bibl. Ambr. Mediol. duo n. 45. lit. S. et 98. lit. E. Nec defuerunt Codices, qui vnum vel alterum tantum horum Commentariorum librum continerent, quos ſuo quemque loco indicauit.

14. *ad Comment. in Ieremiam:* Codex Vat. n. 250.
Codex Ciſtercienſis ſeu Bibl. S. Crucis in Ieruſalem de Vrbe.

15. *ad Comment. in Ezechielem:* iidem Codices, qui ad Ieſaiam et Ieremiam.

16. *in Explanatione ad Danielem:* Codex Vat. n. 333.
Codex Palatino-Vat. n. 173.

17. *ad Comment. in XII. Prophetas minores:* Codices Palatino-Vat. duo n. 173. et 174. *ad*

ſex poſteriores praeterea Codex peruetuſtus et emendatus, qui olim Reginae Suecorum fuit et iam n. 93. notatur; ad ſingulos *plures optimae notae libri MSS.* conſulti.

18. *ad Comment. in Matthaeum:* Codex Bibl. S. Crucis in Ieruſalem de Vrbe, praegrandi forma et optimae notae. *Tres* Vaticano-Palatini n. 176. 177. et 181. ex quibus duo priores vetuſtate et emendatione inſignes. Codex Palatinus n. 5. quem in locis vexatis tantummodo adhibuit. Codex Vat. olim Reginae Suecorum, n. 40. ſat bonus.

19. *ad Comment. in Epp. ad Galatas, Epheſios, Titum et Philemonem:* Codex Palatinus n. 340. probae antiquitatis et notae. *Duo* Ciſtercienſium, quae Romae eſt, Bibliothecae, olim Nonantulani Monaſterii, quorum alter ſub n. 61. alter numero carebat.

20. *ad Euſebii Chronica:* Codex, qui tunc quidem in Parmenſi Ducali Bibl. erat n. LII. antiquus et emendatus. Codex, qui penes ipſum erat, recentior quidem, bonus tamen.

Inſignis Codicum MSS. numerus in Bibliothecae Diuinae recenſione ſuppetias tulit, quibus enumerandis ob cauſas ſupra declaratas iam non immoramur.

21.

Philastrivs, Ep. Brixienſ.

1. Vita. Philaſtrii genus aeque ac patriam ignoramus. Floruit Theodoſio M. imperante, vitae exemplo aeque ac ſcriptorum memoria illuſtris. Virtutes eius et praeclare ab eo geſta laudibus proſecutus eſt Gaudentius, ipſius in ſede epiſcopali ſucceſſor. Singula tamen vitae eius momenta certis temporum numeris aſtrin-

aſtringere, in tanta rerum de eo traditarum penuria, etiam poſt tot virorum doctorum ſtudia difficile ſit. Quas poſt Galeardi inſignem diligentiam rationes collegit nouiſſimus editor Gallandius, eo tendunt, vt circa annum aerae vulgaris CCCLXXX. Epiſcopus Brixienſis fuerit ordinatus. Obiit ante annum emortualem Ambroſii 397. Is enim ſucceſſorem eius Gaudentium conſtituiſſe, ex ipſo Gaudentio intelligitur. Ante epiſcopatum nullo facto illuſtrior extitit, quam Auxentii Arianorum antiſtitis, qui ante Ambroſium ſedem Mediolanenſem ab a. CCCLV. ad a. vſque CCCLXXIV. tenuit, impugnatione. Poſt obitum fama eius per diſciplinae ſuae apud Brixiam alumnos, Gaudentium et Beniuolum, viguit.

Praeter librum *de Haereſibus* a Philaſtrio poſt a. 380., ſed ante a. 391.*) conſcriptum, nonnulla alia §. 2. Scripta.

*) Illud Galeardus coniicit ex eo, quod *Abſtinentes*, quorum haereſis circa a. 380. emergere coeperit, commemorat; de altero momento iam Fabricius monuerat Parmeniani mortem, quem anteuertere debuerit, obſeruans. Secus quidem Gallandius pronuntiat, ex verbis Philaſtrii de Haer. cap. LV. (al. LXXIII.): *nuper Donato Parmenianum ſucceſſiſſe*, intra annos LX. et LXXX. concludendum librum eius cenſens. Sed cum ipſe paucis lineis interiectis animaduertit, poſt annum LXXX. adhuc operi ſuo conſcribendo vacare debuiſſe Philaſtrium, propterea quod Priſcillianiſtas, qui circa hunc annum in Hiſpania prodierunt, attigerit: illud *nuper* multo minus equidem ſollicitauerim, quod ſatis conſtat, non de recenti adeo memoria ſaepius accipi. Caeterum non praetereundum eſt, quod idem Gallandius lectionem loci Philaſtriani de Haer. cp. LXXXIV. (al. CXI.): *A Domino vſque nunc anni CLXXX.* quam Fabricii et Galeardi editiones praeferunt, in ſua editione expunxerit et argumentis haudquaquam leuibus penitus euertiſſe videatur.

alia eidem tribuuntur, quae eum auctorem non agnoſcunt; veluti a Papebrochio *) et Fabricio vetus latina *Epiſtolae S. Barnabae Interpretatio.* At illos perfunctoria MS. Corbeienſis inſpectione in errorem adductos eſſe, vt plura ſed diuerſa opuſcula in eodem volumine contenta vnius Philaſtrii putarent, Galeardus arguit. Nec magis illius ſunt *Acta SS. Fauſtini et Iouitae*, item *Aphrae paſſio.* Nec tamen improbabili coniectura duci, qui *Symbolum*, quod vulgo *Athanaſii* dicitur, cuiusque *Expoſitio* aliquando Gaudentio etiam tributa fuit, Philaſtrio adſcribunt, Galeardus pronuntiat et comprobata exemplis non ſententiarum modo, ſed et verborum Philaſtrii cum Symbolo iſto conuenientia, idcirco non eſſe improbabile ſtatuit, vt aut Philaſtrius Symboli illius auctor ſit, aut alius, quicunque fuerit, ab eo non ſolum dogmata, ſed verba etiam ipſa aliquando mutua acceperit.

Primum

tur. Oſtendit enim, priores editiones omnes in lectione CCCCXXX. ſibi conſtare, nec aliter eſſe in MS. Sangermanenſi. Illam autem lectionem a Latinio primum illatam, poſteaquam a Voſſio (in lib. de Hiſt. lat.) comprobata fuerit, a recentibus Philaſtrii editoribus non omnino in eo cautis, receptam. Atque veram illam vet. edd. et Codicis Sang lectionem agnouiſſe Sandium (in not. ad Voſſ. de Hiſt. Lat.) eandemque a Balleriniis (ad Zenon. diſſ. I. cp. II. §. 1. p. XXXVI.) ex vſu loquendi cum aliorum eiusdem aetatis ſcriptorum eccleſiaſticorum, tum ipſius Philaſtrii confirmatam. Cuncta ſcilicet exempla a Balleriniis allata quadringentos annos a Chriſto nato ab omnibus illius aeui ſcriptoribus computari demonſtrant, quibus ſi Philaſtrii numerum concordem vel s, pro rotundo accipias neceſſe eſt.

*) Papebroch. in Actis SS. Iunii T. II. p. 457. et Fabric. praef. ad Philaſtrium.

Primum Philaſtrius lucem adſpexit a. 1528. vna cum Lanfranci libello aduerſus Berengarium per *Io. Sichardum* editus. Quam editionem inſecutis Helmſtadienſibus, et quae in Bibliothecis PP. Pariſienſibus, Colonienſi et Lugdunenſi proſtant, meliorem et emendatiorem Galeardus deprehendit. Praeſenti demum ſaeculo a. 1721. *Io. Alb. Fabricius* in ed. Hamburgenſi non codicibus quidem, ſed ingenio praeclare ei opitulatus eſt et eruditiſſima adnotatione lucem affudit. Inſtructiſſima deinde a. 1738. prodiit *Galeardi* editio, textum Fabricianum exhibens, ſed notis Fabricianis poſthumis et MS. Corbeienſis varietate et emendationibus locupletata, in qua primum etiam ſex capitibus, quibus vſque dum caruerat Philaſtrius, auctus et abſolutus eſt. Fabricii textum itidem retinuit, Codicis Corb. variantibus textui ſtatim ſubiectis et ſex capitibus, quae ex eodem acceſſerant locis ſuis inſertis, *Andr. Gallandius*, cui nouiſſima huius auctoris debetur editio. §. 3. Editiones.

SAEC. XVI.

1528.

(Baſileae.) 8. Philaſtrii Epiſcopi Brixienſis Haereſεων catalogus. Cui adiectus eſt eruditiſſimus libellus Lanfranci Epiſcopi Canthuarienſis de Sacramento Euchariſtiae aduerſus Berengarium. Nunc recens editi.

Sichardus, quem hos libellos in lucem produxiſſe diximus, idem, qui *Antidotum contra* omnes haereſes eodem plane anno prodire iuſſit, epiſtolam nuncupatoriam ad Balthaſarem electum Coadiutorem Conſtantienſem (Poſtulatum Hildesheimenſem, Epiſcopum Maltenſem Caeſareae Mai. Oratorem et Vicecancellarium) dat. Baſil. XXVI. Nouembr. anno MDXXVIII.

MDXXVIII. perſcripſit, in qua ſe ſcriptis hiſce veterum edendis dolorem, quem ex ſaeculi, per ſimiles haereſes concuſſi, calamitate capiat, vlciſci ſignificat. Interim incertos nos de chartis, vnde Philaſtrium protraxerit, ſiuit; quamquam coniecturae fortaſſis locus non deſit, cum anno ſuperiore Treuirim viſendarum veterum bibliothecarum gratia adiiſſe teſtatur, vbi occaſio ipſi nata ſit in honorem Balthaſaris praefatione hac litandi. Textus ſimpliciter deſcriptus eſt indiculo rerum memorabilium praemiſſo.

1539.

Baſileae . . . . 8. S. Philaſtrii Ep. Brix. Haereſεων catalogus cum incerti ſcriptoris recentis ſupplemento et CXIV. ſententiis Patrum de officio verorum rectorum Eccleſiae Dei, et apoſpaſmatio ex Epiſtola Nicephori Chartophilacis ad Theodoſium Monachum de ligandi ſoluendique poteſtate.

1575.

Pariſ. ap. Mich. Sonnium. f. S. Philaſtrii catalogus haereticorum. *in Tomo V. Bibl. PP. Bign.*

1589.

Pariſiis. fol. Philaſtrii Epiſc. Brix. de haereſibus liber. *in Tomo IV. Bibl. PP. Bign.* ed. ſecundae.

SAEC. XVII.

1611.

Helmſtadii, per Iac. Lucium. 4. S. Philaſtrii Catalogus haereſium paene omnium cum ſupplemento incerti auctoris, editore *Io. a Fuchte.*

1618.

1618.

Colon. Agripp. f. Philaſtrii liber de haereſibus *in Tomo IV. Bibl. PP.*

1621.

Helmaeſtadii, per Iac. Lucium. 4. Repetita Fuchtiana.

1644.

Pariſiis, imp. trium bibliopol. f. Philaſtrii de haereſibus liber. *in Tomo IV. Bibl. PP.* huius et quae a. 1654. in titulo gerit.

1676.

Helmſtadii. . . . 4. Repetitio altera Fuchtianae ed.

1677.

Lugduni, apud Aniſſonios. f. S. Philaſtrii liber de haereſibus *in Tomo V. Biblioth. Max. PP.* p. 701-726.

Saec. XVIII.

1721.

Hamburgi, ſumtu Theod. Chriſtoph. Felgeneri. 8. S. Philaſtrii Ep. Brix. de Haereſibus liber cum emendationibus et notis *Io. Alb. Fabricii* additisque indicibus locupletiſſimis.

Quamquam nulli ſuppetebant Fabricio libri MSS. ſolisque fidendum erat editionibus veteribus, non parum tamen emendatior hic apparet Philaſtrius docteque et appoſite vbique explicatus. Supereſſe fatetur pauca adhuc loca, in quibus optaret lucem a Codicibus MSS. „Et ſpem mihi aliquando manu exarati exemplaris ex Italia obtinendi fecit illuſtris Gisb. Cuperus,

perus, inquit, ſed interiecto tempore iterum monuit, ſpem illam omnem euanuiſſe. Itaque ſolis editionibus, Baſileenſibus imprimis ſtandum mihi fuit, quod tamen in recenſendo hoc ſcriptore praeſtiterim, libenter feram aequos et eruditos aeſtimare iudices, *Paulum* imprimis *Gagliardum*, Canon. Brix. quem Philaſtrii et Gaudentii editionem moliri paulo ſerius ex Diario Veneto Eruditorum Italiae didici. Titulos capitum, licet a quouis alio quam ab ipſo Philaſtrio appoſitos, et interdum minus aptos, nolui omittere: caeterum appendicem ſiue ſupplementum recentis ſcriptoris, cum parum accuratum ſit et nullius auctoritatis, praetermiſi, additurus eius loco libellum de haereſibus, quem ſub Hieronymi nomine Claudius Menardus edidit. Sed nundinis occupantibus opto illum Pſeudo-Hieronymi libellum ſeparato dare volumine, alioſque breues veteres de haereticis ſcriptores illi adiungere praemittereque diſſertationem oppoſitam errori ac praeiudicio eorum, qui haereſibus Chriſtianorum earumque multitudine ac varietate ita ſe patiuntur offendi, vt de veritate ipſa religionis indignius hinc irreuerentiusque ſentiant.“ Poſt praefationem ſubiicitur Vita S. Philaſtrii per S. Gaudentium, nimirum ſermo illius in anniuerſario die ſolemnitatis eius (XIV annis poſt obitum Philaſtrii) habitus; et teſtimonia quaedam ſuperiorum editorum de eodem. Notae textui ſubiacent multa ad illuſtrandas auctoris ſententias lectione abundantes, nonnunquam criticae.

1738.

Brixiae, ex typogr. Io. Mariae Rizzardi. S. Philaſtrii Brixiae Epiſcopi de Haereſibus liber cum integris notis *Ioh. Alberti Fabricii.* Acceſſerunt Variae Lectiones ex MS. Cod. Corbeienſi et *Pauli Galeardi* Canon. Brix. Specilegium: in Ang. Mar.

Qvirini Collectione vet. PP. Brixianae eccleſiae *) p. 1-183.

Quicquid doctiſſimus huius Collectionis editor Galeardus ad Philaſtrii nouam recenſionem opus haberet vel votis concupiſceret, auctor ac ſuaſor iſtius conſilii ſedulo circumſpexit et auctoritate ſua interpoſita ab exteris etiam ei impetrauit. Itaque quod maxime in votis fuerat, MS. aliquod exemplar nanciſci a Bernardo Montfauconio obtinuit, qui MS. Codicis Sangermanenſis antea Corbeienſis variantes lectiones opera D. Iohannis Raverdy diligenter excerptas Pariſiis ad Galeardum deferendas curauit. Vltro praeterea Quirinus literas Hamburgum dedit, quibus ſi quid a Ioh. Alb. Fabricio poſt Hamburgenſem editionem a. 1721. procuratam elucubratum eſſet, vt editioni huic accederet, ab ipſo expeteret. Qui cum interea fatis conceſſiſſet, Herm. Sam. Reimarus, Fabricii gener, poſteriores ſoceri ſui in Philaſtrium curas Brixiam miſit, quae ad calcem huius editionis ſunt adiectae. Serius tamen Sangermanenſis MS. variantes in Italiam perferebantur adeoque nonniſi poſt notas Fabricii poſthumas in appendicem coniici poterant, ſic quoque, vt Galeardus exiſtimat, ſingulare ornamentum editioni futurae. Etenim ſex integra ferme capita,

*) Integer titulus ſic ſonat: *Veterum Brixiae Epiſcoporum* S. Philastrii et Gavdentii *opera, nec non* B. Ramperti et Ven. Adelmanni *opuſcula. Nunc primum in vnum collecta, ad veteres MSS. codices collata, notis, aliisque additionibus collata et aucta.* Prodeunt iuſſu Eminentiſſ. ac Reuerendiſſ. D. D. *Angeli Mariae* titulo S. Marci *Cardinalis* Qvirini Brixiae Epiſcopi et Apoſtolicae Sedis Bibliothecarii. Opus ab artis quoque praeſtantia ſplendidiſſimum nuncupauit Quirinus Pontifici S. Clementi XII.

pita, quibus vſque ad eam diem Philaſtrius caruerat, in iis occurrebant, et nunc demum integer ac perfectus hac acceſſione redditus eſt. Emendationes autem, quibus Philaſtrii textum ex eodem MS. vel ſuppleri vel reſtitui poſſet, tam vbertim proueniebant tantique ponderis videbantur, vt ampliſſimum Galeardo commentandi locum concederent. Conſpectus igitur huius editionis hic eſt. Praecedunt Philaſtrii textum, *Pauli Galeardi praefatio ad Philaſtrium*, *Io. Alb. Fabricii Praefatio editioni Hamburgenſi praemiſſa*, *Teſtimonia de Philaſtrio*, *Index Scripturarum, quae a Philaſtrio afferuntur.* Textus paginas 135. occupat. Sequuntur deinde *Syllabus vocum exoticarum*, quae in *Philaſtrio occurrunt*, *Index locorum S. Scripturae, quae in Philaſtrio habentur aut indicantur*, *Index in Philaſtrium*, *Herm. Sam. Reimari Epiſtola ad Card. Quirinum*, *Variae Lectiones in Philaſtrium ex MS Cod. Corbejenſi*, *Pauli Galeardi Spicilegium ad notas Io. Alb. Fabricii.* In ſingulis autem quid ſecutus ſit conſilii, ipſe Galeardus verbis ex praefatione §. V. p. XXXIV. a nobis adducendis declaret. „Ordo, inquit, (n. XXX.) h. ed. a nobis ita conſtitutus eſt, vt primo loco *Philaſtrii liber de haereſibus cum emendationibus et notis Ioh. Alberti Fabricii* exhiberetur, textu editionis Hamburgenſis vbique expreſſo; in quo ſi quod vitium occurreret, quod Corbeienſis MS. ope tolli poſſet, id lector curatum inueniet in Specilegio.

Subduntur eiusdem *Ioh. Alberti Fabricii notae poſthumae ad Philaſtrium*; ex quibus quanta, et quam multiplex fuerit ſummi huius Viri lectio, lector facile perſpiciet. In iis deſcribendis notantur paginae vtriusque editionis tam Hamburgenſis, quam noſtrae, vt facilius loca inueniri poſſint; easque habes pag. 147. huius Brixianae editionis, vna cum

Epiſtola

Epiſtola Hermanni Samuelis Reimari ad Eminentiſſimum Card. Quirinum miſſa.

Accedunt poſtmodum p. 152. *Variae Lectiones in Philaſtrium* ex MS. Corbeienſi, vna cum Epiſtola D. Iohannis Raverdy Monachi Benedictini ad eundem Eminentiſſimum Card. Quirinum; in quibus repraeſentandis lectorem monitum volumus, expreſſam adamuſſim fuiſſe MS. Corbeienſis lectionem, retentis etiam erroribus ipſis, ac mendis, ne quid fidelitati deeſſet.

His ſubiungitur *Spicilegium* noſtrum ad notas Cl. Viri Ioh. Alberti Fabricii, in quo praecipuum ac vberiorem locum obtinent emendationes ex MS. Corbeienſi deſumtae; cum enim, vt iam dictum eſt, Variae Lectiones huius Codicis ſerius ad nos delatae fuerint, eo ſcilicet tempore, quo omnia ad editionem parata erant, imo potius cum editio haec ipſa incoepta iam eſſet; idcirco aliter tum publicae vtilitati in reſtituendo Philaſtrii textu, tum etiam priuatis typographi rationibus conſuli non potuit. Porro iniquus profecto ſim, quem aequum iudicem induſtriae ſuae in recenſendo Philaſtrio Fabricius ipſe appellauit,*) ſi quidquam ſummi Viri, ac de Philaſtrio non ſolum, ſed de litteris omnibus optime meriti famae, aut laboribus detractum velim. Praeclara ſunt, ac prope innumera, quae ipſe Philaſtrio praeſtitit; vt non propterea, ſi quid intactum adhuc, aut non ſatis emaculatum reliquit, hoc aequo iure aliquis ei vitio vertat. Verum cum ea ſit lex, vt in antiquorum ſcriptis recenſendis et emendandis ſemper aliquis poſteriori diligentiae pateat locus; idcirco veniam hanc petimus, damusque viciſſim, vt liceat cuique in eadem palae-

*) Praef. ad Philaſtr. quem locum nos ſupra adduximus.

palaeſtra verſanti, de iis, quae a prioribus ſecus obſeruata, vel dicta ſunt, ſententiam ſuam candide ac ſimpliciter proferre; quae quidem ſentiendi libertas in deteriorem partem trahi non ſolet, niſi ab hominibus parum candidis, et veritatis parum amantibus. In hac porro Editione illud ſedulo curatum eſt, vt vitioſam interpunctionem reſtitueremus, quod paſſim vtrumque exemplar, Hamburgenſe nempe, ac noſtrum conferentibus patebit: in reliquis expreſſimus fere ſemper Editionem Hamburgenſem, paucis admodum immutatis, in quibus Baſileenſis editio Hamburgenſi praeſtare viſa eſt. Scripturarum Syllabum, quae a Philaſtrio afferuntur, concinnauit Reu. Antonius Guelfi Brixianus, Eminentiſſimi *Card. Quirini* Eleemoſynarius, cuius operam in conferendis etiam Variis Lectionibus, ac proinde in hac tota Editione perpolienda numquam mihi defuiſſe, hoc loco libenter teſtatum volo." In praefatione Galeardus primo ingenioſe diſſeruit, quae multa ac operoſa prorſus diligentia *de rebus ad Philaſtrium pertinentibus* congeſſerat; deinde §§. I-V. *de vtilitate et vſu libri de Haereſibus*, cenſuris *heterodoxorum de Philaſtrio, de MS. Corbeienſi et emendationibus ex eo deſumtis*, de *ſex capitibus Philaſtrii in eo nuper inuentis*, nec non conſilio et ordine huius editionis copioſe itidem agit.

1770.

Venetiis, ex typ. Io. Bapt. Albritii. f. S. Philaſtrii Ep. Brix. Liber de Haereſibus. Ad fidem MS. codicis Sangermanenſis recognitus et pluribus in locis ſuppletus curante *Andr. Gallandio. in Tomo VII. Bibl. PP. et SS. Eccl.* p. 480-520.

Quae de Gallandii in hunc libellum opera ſupra a nobis dicta ſunt, non repetimus. Addimus tantum, annotationes Fabricii et Galeardi pro conſilio totius inſti-

inſtituti exulare, inſerta capita notulis margini adpoſitis a reliquo contextu antea vulgato diſtincta, atque ad faciliorem operis conſpectum indiculum ſubiunctum eſſe.

Codices. Codex MS. Philaſtrii, qui vnicus hactenus reperiri potuit, cuique et reſtaurationem et integritatem libellus de haereſibus iamiam debet, extabat in monaſterio Corbeienſi, vnde in Monaſterium Pariſienſe S. Germani a Pratis commigrauit, cuius monachi librum a Corbeienſibus aliquando commodato acceperant. Membranaceus eſt, noni Saeculi, eleganter ſcriptus, atque tum quidem in Bibl. Sangermanenſi ſub n. 717. alias 625. habebatur. Haudquaquam caret librarii erroribus; innumera tamen loca ſolus perſanauit. Sex capita, quibus plenior in eo Philaſtrius comparet, non in fine opuſculi accedunt, vnde reſciſſa eſſe fruſtra ſibi Fabricius perſuaſerat: ſed variis in locis diuerſisque ſub numeris collocantur. Laudauit eundem *Scipio Maffeius* in Epiſtola ad Galeardum Pariſiis a. 733. data, quae inter *Antiquitates Gallicas* p. 76. extat.

22.

F A V S T I N V S.

Presbyter Luciferianus, cuius ſectae cauſam cum *Marcellino*, presbytero et ipſo, in libello Imperatoribus Valentiniano, Theodoſio et Arcadio Auguſtis circa a. 384. oblato defendit. Viginti fere annis ante contra Damaſum quoque cum Vrſinianis ſteterat, quibuscum plurimum tunc Luciferiani conſpirauerant. Qua de cauſa et libello iſti ſeu praefationi potius eidem praemiſſae manifeſta odii in Damaſum veſtigia impreſſa ſunt, ac multorum ipſum et ſocios eius turpiter et inique geſtorum inſimulat, quae quan- §. 1. Vita.

tum ſint veritati conſentanea, quaeri ſolet. Sed hoc certo ſcio, ipſam ſcripti huius lectionem apud aequos bonosque omnes opinionem ac fidem auctorum ſuorum eleuaturam.

§. 2. Scripta. Praeter *Libellum Precum* iam commemoratum, cuius tamen partes ad Marcellinum quoque pertinere aiunt, *Praefatio,* quae antecedere illum ſolet, absque dubio ab iisdem proficiſcitur auctoribus. Licet enim cum libello nihil commune habere videatur ac Tillemontio adeo tanquam alterius operis praefatio vel diverſi auctoris foetus ab eo ſegreganda viſa ſit; haud deficit tamen explicandi huius diſcriminis ratio nec immerito Gallandius acutam Mazochii ſententiam *) exoſculari cenſebitur.

Fauſtini

*) *Mazoch Comment. ad Kalend. Neapol.* Vol. II. p. 581. Cuius libri adeundi copia cum paucis data ſit, non invidebimus lectoribus noſtris docti huius Itali acumen. ,,Stilus, inquit, qui vtrique parti αὐτότατος eſt, plane clamitat; praefationem ab eisdem auctoribus, a quibus libellus eſt, eſſe profectam. Sed tamen ea non ante ſcripta et praefixa huic libello fuit, quam eo accepto Theodoſius ſuum tandem euulgaſſet pro Marcellino et Fauſtino reſcriptum. Tunc enimuero hi duo viri de proſpero ſucceſſu exſultantes, quum e re ſua fore ducerent, ſi libellus vna cum ſubiecto reſcripto in vulgus ſpargeretur; id vt aptius efficerent, inſtruendos ſibi lectores hac ipſa praefatione putarunt de initiis calamitatis ſuae. Nam presbyteros iſtos tunc quidem Luciferianos eſſe, omnes norant, et libellus id palam profitetur: at eosdem olim Vrſinianos fuiſſe, et contra Damaſum ante viginti annos decertaſſe, non omnibus compertum erat; etſi qui id ſcirent, ii, maxime conſopito iam ſchiſmate, aequiores ſe Damaſi, quam Vrſini cauſae praebebant. Itaque in hoc prologo rem omnem ab initio repetunt, ac de rebus olim geſtis in Damaſi et Vrſini diſcidio, cuius ipſi

Fauſtini Fides Theodoſio imperatori oblata. Scr. ex ſententia *Quesnellii* inter annos 379. et 381. quo tempore Eleutheropoli verſabatur Fauſtinus, vbi et exagitatum ſe queritur a Turbone illius vrbis epiſcopo.

Fauſtini de Trinitate ſiue *de Fide contra* Arianos ad *Flacillam Imperatricem* libri VII. ſeu *liber* potius in VII. capita diſtinctus. Scr. ante a. 385. quo ſcilicet Flacillam Theodoſii M. coniugem primam diem obiiſſe conſtat. Fauſtino diſertis verbis

 tribuit

ipſi pars fuerunt, longam narrationem, ſed modo ſuo incruſtatam. tota praefatione contexunt. Id enim initium ſuae calamitatis fuit. Nam Roma tandem expulſi, quod vltimum fuit, Luciferianis ſeſe adiunxerunt: niſi forte mauis, etiam antea, dum Romae eſſent, eos Luciferianos fuiſſe. Vt vt eſt, συνέχεια certe praefationis cum libello hoc eſt Vrſiniani diſcidii cohaeſio, de quo dumtaxat in praefatione agitur, cum Luciferianorum cauſa, quam tantum in libello tuentur, ſatis ſuperque in fine praefationis ſeſe legenti aperit, ad quam miror Tillemontium non attendiſſe. *Exinde,* inquiunt, *presbyteri* partis Vrſinianae *diverſis modis afflicti, per exilia et peregrina loca diſperſi ſunt. Ex quibus* MARCELLINVS *et* FAVSTINVS *presbyteri* (auctores ſcilicet tum libelli tum praefationis, antea quidem Vrſiniani, nunc vero Luciferiani: quod ſequentia ſatis prae ſe ferunt) *de confeſſione verae fidei* (a qua ceteros Luciferiani excludebant, tamquam ipſi ſoli catholici) *oſtentatione* (hoc eſt exhibitione) *ſacrae communionis,* (nimirum, cuinam exhibenda communio ſit, cui vero deneganda) *et perſecutione aduerſantium veritati, preces Valentiniano, Theodoſio et Arcadio principibus obtulerunt ita.* Hactenus praefatio, poſt quam libellus incipit. Quid autem clarius adferri poterat ad praefationem cum libello, qui nunc extat, glutinandam? An poterat per haec verba, quae certe ſummam Luciferiani veneni continent, praefari auctor alteri cuidam libello, qui Vrſinianorum aduerſus Damaſianos preces exhiberet?"

tribuit Gennadius;*) tametſi non defuerint recentiori aetate, qui Gregorio Baetico Eliberitano epiſcopo adſcriberent.

§. 3. Editiones. Fauſtini opuſcula paulatim ſingula prodierunt et ſero ſatis collecta ſunt in ed. Oxonienſi et nupera Gallandii. Primum quidem a. 1555. Fauſtini libri *de Trinitate* per *Baſilium Ioh. Heroldum*, deinde ſub *Gregorii Baetici* nomine partim peculiari volumine ab Achille Statio, partim in quibusdam PP. Bibliothecis emiſſi ſunt. Mox in alias collectiones ſub veri auctoris nomine recepti. *Libellus* precum cum praefatione a. demum 1650. *Iac. Sirmondus* edidit et ſaeculo dimidio poſt *Quesnellius Fidem Theodoſio* oblatam inter Canones et Conſtitutiones Eccleſiae Romanae dedit.

S a e c. XVI.

1555.

Baſileae, ap. Henr. Petri. f. Fauſtini liber de fide contra Arianos; in *Baſ. Ioh. Heroldi Orthodoxographis* n. 31.

1569.

Ibid. ex ead. officina. f. Idem liber. inter *Mon. Orthodoxographa I. Iac. Grynaei.* p. 1998-2028.

1575.

Romae in aedibus Populi Romani. 4. Gregorii, Baetici Heliberitanae Sedis Antiſtitis liber de Trinitate,

*) De Vir. Illuſtr. cap. XI. ſcripſiſſe ait *ad Perſonam Flaccillae reginae adverſum Arianos et Macedonianos libros ſeptem.*

te, ſiue de fide, nunc primum editus ſtudio *Achillis Statii. Cat. Bibl. Bunau.*

❊ ❊

Pariſ. ap. Mich. Sonnium. f. Gregorii Baetici liber de Trinitate et fide. *in Tomo VIII. Bibl. PP. Bign.* p. 766. locum vltimum occupat. At in eadem Bibliotheca Tomo V. p. 716. eundem plane librum ſub ipſius Fauſtini nomine, inſcriptum *Fauſtini opus de fide contra Arianos* extare annotauit *Ittigius.* *)

1577.

Coloniae, per Maternum Cholinum. 8. Idem liber ex *Achillis Statii* editione. *Cat. Bibl. Bunau.*

1589.

Pariſiis. f. Gregorii Baetici, Illiberitanae ſedis Epiſcopi ad Gallam Placidiam Auguſtam de Trinitate et fide contra Arianos liber. *in Bibl. PP. ed. ſec. Tomo IV. p.* 1273. Atqui *in eodem Tomo p. 839.* et ante hunc quidem extat *Fauſtini Epiſcopi de fide contra Arianos opus.* Animaduertit Fabricius**) in eo apographo, quod ſub Gregorii Baetici nomine editio prima et ſecunda Bibl. PP. exhibet, epiſtolam ad Flacillam priore parte mancam eſſe, cum tamen in Orthodoxographis et vniuerſis Collectionibus, in quibus ſub Fauſtini nomine euulgatur, atque adeo in his ipſis Bibl. PP. editionibus integra illa extet. Facile igitur coniici poteſt, defectum iſtum ad editionem Achillis Statii pertinere, vnde haud dubie ſine vlla cura et circumſpectione, tanquam diuerſus a Fauſtini

*) De Bibliothecis PP. p. 37. cf. 44.
**) Bibl. Lat. M. et Inf. ed. Manſi Tom. II. p. 146.

opuſculo liber, in Bibliothecarum primas editiones illatus eſt.

Saec. XVII.

1610.

Pariſiis. f. Fauſtini Epiſcopi de fide contra Arianos liber. *in Bibl. PP. Tomo IV. p.* 765.

1618.

Colon. Agripp. fol. Fauſtini Diaconi liber de Trinitate, ſeu de fide contra Arianos, qui liber etiam ſub nomine Gregorii Baetici ſuit editus. *in Tomo IV. Bibl. PP.* p. 545.

1624.

Pariſiis. fol. Fauſtini Epiſcopi liber de fide contra Arianos. *in Tomo IV. Bibl. PP. ed. quartae.*

1644. (1654.)

Pariſiis, apud tres bibliop. f. Idem liber. *in Tomo IV. Bibl. PP. ed. quintae.* Praefatio ad Flacillam etiam hic maiori parte mutila comparet, vt Gallandius obſeruat, qui propterea ed. Oxonienſem ad eandem deſcriptam putat.

1650.

Pariſiis, ap. Sebaſt. et Gabr. Cramoiſy. 8. Marcellini et Fauſtini Presbyterorum partis Vrſini aduerſus Damaſum libellus Precum ad Imperatores Valentinianum, Theodoſium et Arcadium; nunc primum in lucem editus opera *Iacobi Sirmondi,* Soc. I. Presb. Cat. Bibl. Reg. Pariſ. T. I. 393. ſub ſaeculo VIII.

Praemittitur Praefatio de Schiſmate Vrſini ſubiectumque eſt Reſcriptum Theodoſii pro Marcellino et Fauſtino

Fauſtino Presbyteris. Sirmondi Praefatio breuis et concinna libri et cauſae totius argumentum luculenter exponit atque ſubiuncta habet veterum de Controuerſia inter Damaſum et Vrſinum agitata teſtimonia.

1675.

Lutetiae Pariſ. Io. Bapt. Coignard. 4. Fauſtini Presb. Fides miſſa Theodoſio Imperatori. Edidit *Paſchaſius Quesnellius* inter *Canones* et *Conſtitutt. Eccl. Romanae* ad *Leonis M.* opera. *T. II.* p. 138.

1677.

Lugduni, apud Aniſſonios. f. Fauſtini Diaconi ſeu Presbyteri liber de Trinitate ſeu de Fide contra Arianos. Acceſſit libellus precum ad Imperatores cum reſcripto Theodoſii editus primum a Sirmondo. *in Tomo V. Bibl. Max. PP.* p. 637-661.

1678.

Oxonii e theatr. Sheldoniano. 8. Fauſtini Presbyteri Scriptoris Saeculi quarti et Fidei Orthodoxae aduerſus Arianos Vindicis acerrimi Opera.

Exhibentur 1) *Fauſtini Presb. Fides Theod. Imp. miſſa et in Codicem Canonum eccleſiae Romanae recepta.* 2) *Marcellini et Fauſtini Libellus Precum* cum *praefatione de Schiſmate Vrſini et Reſcripto Theodoſii* p. 1-61. 3) *de Trinitate liber ad Flacillam* (inſcriptio ſub initium ipſius libri habet ad *Gallam Placidiam*) pag. 65-161. Adiecta ſunt in ſingulos libellos adnotata rerum memoriam illuſtrantia. Praeter praefationem praemittitur *incerti auctoris 14 vitarum, quae Catalogo D. Iſidori et Ildefonſi adnectuntur, notitiae de Marcellino.* Praefatio ad Flacillam magna parte decurtata hic repraeſentatur incipiens a verbis: *Incipiamus ergo obedienter.*

1696.

Pariſiis, ex typographia regia. f. Libellus precum ex editione Sirmondi. in *Operibus eius.* Tomo I. p. 230-262. Contulit Editor operum Sirmondianorum cum Cod. MS. Bibl. Colbertinae, indeque variantes lectiones appoſuit itemque nonnullas ex Remigiano Codice, quarum Mabillonius copiam ei fecerat.

1700.

Lugduni. fol. Fauſtini Presbyteri Fides miſſa Theodoſio Imperatori, *in Codice Canonum et Conſtitutionum eccleſiae Romanae* edito a Quesnellio in *Appendice ad Opera Leonis M. Tomo II.* pag. 73. cap. XXXVIII.

SAEC. XVIII.

1757.

Venetiis. fol. Fauſtini Presbyteri Fides miſſa Theodoſio Imperatori in *Codice Canonum et Eccleſ. Conſtitt.* Sedis Apoſtolicae ad *Opera Leonis* edito a *Balleriniis* fratribus. *Tomo III.* p. 278.

1770.

Venetiis, ex typogr. Io. Bapt. Albritii. f. Fauſtini Presb. Opera. Acceſſerunt eiusdem Fauſtini et Marcellini libellus Precum ad Imperatores. cura *Andreae Gallandii. in Bibl. PP. Ant. et Vet. SS. Eccl.* T. VIII. p. 441-474.

Primum locum occupant *libri de Trinitate,* deinde *Fides Theodoſio miſſa,* poſtremo *libellus precum* ſequuntur. Praeter variantes ab editoribus diuerſis ex Codd. MSS. allatas acceſſerunt adnotationes quaedam *Mazochii* ex libro ſupra laudato et Gallandii coniecturae quaedam. Accedunt prolegomena de Marcellino et Fauſtino eruditiſſima. Prol. c. X. p. XIII - XV.

23. SIRI-

23.

S I R I C I V S.

Siricius, Romanus, patre natus Tiburtio, primum Romanae eccleſiae presbyter, deinde Damaſo mortuo an. 384. Epiſcopus Romanae ſedis electus eſt tanta quidem cunctorum ſuffragiorum concordia, vt hoc ipſo ſtatim de integritate ac virtutibus praeiudicio Valentinianus imperator ei conciliaretur, vt quidem Piniano Praef. V. de eius electione reſcribens teſtatus eſt his verbis: *Quoniam*, inquit, *religioſum Siricium antiſtitem ſanctitatis ſic praeeſſe ſacerdotio voluerint, vt Vrſinum improbum acclamationibus violarent; noſtro cum gaudio memoratus epiſcopus ipſe permaneat: ſiquidem magnum innocentiae ac probitatis exemplum eſt in vna acclamatione et ipſum eligi et ceteros improbari.* Nec defuit huic exiſtimationi Siricius. Nam cum a natura mite ei ingenium ineſſet, idque inſigni morum ſimplicitate coniunctum, tum nemini praedeceſſorum ſuorum vigilantia et ſtudio fidei catholicae et diſciplinae eccleſiaſticae ſeruandae tüendaeque ſecundum ſe videri paſſus éſt. Atque in ipſo ſtatim muneris introitu diſciplinae eccleſiaſticae cura eum occupauit. Etenim Himerius quidam, Tarraconenſis epiſcopus, de variis eccleſiarum in Hiſpania conſuetudinibus conſilii incertus Damaſum per litteras interrogauerat conſilioque ſibi ſubueniri optauerat; quibus illo interim mortuo ad Siricium perlatis coactaque aliorum epiſcoporum et presbyterorum ſuorum ſynodo recognitis ex communi ſynodi ſententia ab eo reſponſum eſt, ita tamen vt, ni a communione collegii iſtius ſegregari vellet, ab eadem recedere prohiberetur. Haud multo poſtea Priſcilliani errores in Gallia latius ſpargi certior factus, Maximum tyrannum imperio eam tunc tenentem per literas incitauit

§. 1. Vita.

tauit et impetrauit etiam, vt nec ipſum ſe a fide catholica ſeduci pateretur et Priſcillianiſtarum licentiam reprimeret. Quod Priſcilliano quidem et nonnullis ſociorum eius exitio fuit, nec tamen doctrinam eorum intra arctiores fines cohibere potuit. Porro anno 389. Iouinianum ſynodali ſententia damnauit atque vrbe etiam expulit et Mediolanum fugientem literis ad Ambroſium caeterosque ibi congregatos Epiſcopos anteuertit, ne vel ipſos vel Theodoſium ibi commorantem cauſa ſimulata fallere poſſet. Iniquius ſe geſſit in Flauianum, Antiochiae epiſcopum, quocum poſt mortem Paulini adeo communionem habere recuſabat, atque Theodoſium, quamquam fruſtra, ſuper eo de Antiochiae epiſcopatu ſubmouendo ſollicitauit, paucisque demum ante vitae finem menſibus Chryſoſtomi arte captus cum eo communicauit. Quamobrem de Bonoſi cauſa ſententiam ferre recuſauerit, non liquet. Obiit die II. Nouembris, certe ſub finem a. CCCXCVIII.

§. 2. Scripta. Superſunt *Epiſtolae* Siricii *ſex*, quamquam haud omnes fide ſatis certa ei aſſeri poſſe videantur.

1. *Ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum*, maxime celebris, quod prima eſt, certe prima, quae ad nos peruenit, epiſtolarum decretalium, quibus Romani praeſules ad diuerſarum eccleſiarum conſultationes reſponderunt. Scripta ipſo anno electionis eius 385.
2. *Ad Anyſium Theſſalonicenſem epiſcopum*. Tempus certo definiri nequit. Prope tamen miſſam eſſe conſtat, antequam de Bonoſi cauſa quidquam Romae inauditum eſſet, alioquin de ea Siricium non taciturum fuiſſe, putat Couſtantius. „Nec immerito, inquit, ad annum 385. retulerimus literas illas, quibus Siricius Anyſio,

quae

quae in Illyrici eccleſiis gererentur, cognoſcenda commiſerat. Ille vero has ſecundas miſit, cum, vtrum acceptae eſſent primae, nec dum reſcire potuiſſet. Ex quo conſequens eſt, quod iſtae ſecundae ſaltem ad a. 386. pertineant."

3. *Ad Epiſcopos Africae.* Scr. a. 386. d. VI Ian. Mentio eius iam apud *Ferrandum* diac. in Breviatione canonum art. 6. 130. 138. et 174. extat. Attamen veritatem eius in dubium vocarunt *Blondellus*, *Papebrochius* aliique, argumentis autem validiſſimis *Quesnellius.* *) Quos contra tuiti ſunt *Schelſtraten* et *Baluzius*, **) neutiquam tamen ab omni ſuſpicione a Quesnellio iniecta liberare potuerunt.

4. *Ad diuerſos Epiſcopos.* Vera inſcriptio deſideratur. Videtur proxime ad Epiſcopos Italiae ſcripta, ad nos autem ex exemplari, quod aliarum prouinciarum epiſcopis traditum fuit, peruenit. Quod tempus attinet, ſuperiori non multum recentiorem cenſet Couſtantius.

5. *Ad diuerſos Epiſcopos* contra Iouinianum haereticum eiusque ſocios ab eccleſia remouendos. Tempus ex Ambroſii epiſtola ad Siricium reſponſoria expiſcari poſſe, opportune obſeruat Couſtantius. Nam cum in ea Iouinianus ſociique Roma pulſi Mediolanum ad Theodoſium confugiſſe dicuntur, qui a. 388. menſe Auguſto vel Septembri eo peruenerat, Idibus Iun. autem Romam veniſſe dicitur: hoc patet, non ante labentem annum 388. ſcriptum eſſe potuiſſe,

*) In Adpend. ad Leonis M. opera diſſ. XV.

**) In ſingulari Diſſert. de concilio Teleptenſi aduerſus Quesnell. ad calcem ed. libri *de Concordia ſacerdotii et imperii* recuſa 1704. p. 1339.

potuiſſe, adeoque Couſtantius ipſi a. 389. eam aſſignat.

6. *Ad Anyſium Theſſ. Epiſcopum et alios Illyrici Epiſcopos de Bonoſo.* Scr. eſt proxime poſt Capuanum Concilium i. e. poſt VI. Kal. Dec. 391. et ante Valentiniani necem i. e. ante Id. Mai. 392. Damaſo et Ambroſio falſo adſcriptus eſt. Siricio recte Iuſtellus*) ſuffragantibus aliis vindicauit.

Interciderunt complures aliae eius, veluti *Epiſtola ad Maximum Imp.* ſcr. a. 385; *de Ithacianorum cauſa* a. 386; *ad Theodoſium Imp.* contra Flavianum; *ad Rufinum* a. 398; de quibus omnibus, ſicvti *de iis etiam, quae falſo ipſi adſcribuntur*, Couſtantius diſſeruit.

§. 3. Editiones. Singulae Siricii epiſtolae in diuerſis Canonum et Conciliorum collectionibus diſperſae vt variis temporibus et locis typis deſcriptae fuerint, enumerare haud operae noſtrae putauerim. Sufficiet collectarum editiones per Couſtantium et Gallandium indicaſſe.

Couſtantius igitur in Collectione Epiſt. Pontif. Rom. (T. I. Paris 1721.) p. 622-711. Siricii epiſtolas eodem, quo a nobis enumeratae ſunt, ordine exhibet, ſed inſertis variis aliorum ad eum pertinentibus. Animaduerſiones hiſtoricae vberes omnibus affuſae ſunt, Monita etiam, vbi neceſſe videbatur praefixa. Nec contentus fuit ex praecipuis impreſſis Conciliorum et Canonum collectionibus eas repraeſentare, ſed multis etiam Codicibus MSS. adiutus fuit. Recenſuit Epiſtolas *decem*. I. *Epiſt. ad Himerium*, quae in omnibus Canonum collectionibus extat, aucta eſt ex Codd. MSS. Corbei. Colbert. et Sangerman. appen-

*) In notis ad Canon. 48. Cod. Eccl. Afr.

appendice triplici Decreti, quod Dionyſius Exiguus ignorauit, quodque ad aliud fortaſſe Siricii reſcriptum pertinere Couſtantius exiſtimat. II. *Ep. Valentiniani* Imperatoris ad Pinianum V. Praef. III. *Ep. Maximi* Imperatoris ad Siricium papam. IV. *Ep. ad Anyſium.* Haec a Luca Holſtenio olim in *Collectione Romana bipartita* (Romae 1762. 8.) Parte I. p. 43. edita fuit. V. *Ad Epiſcopos Africae.* Seruata eſt Synodi Teleptenſis beneficio. Eam, qualis in hoc Concilio recitata eſt, exhibent diuerſae eaeque perantiquae Concil. et Pontif. Epiſt. Collectiones, quarum quatuor in Bibl. olim Colbertina, duae in Regia, vna in Germanenſi, aliae alibi aſſeruabantur, quarum plerisque vſus eſt Couſtantius. Nec abeſt ab eo Codice, quem Codicis Canonum eccleſiae Romanae nomine Quesnellius donauit, quamquam poſtremum in eo locum occupat ac praeterea poſtmodo addita ab eodem cenſetur; contra quam ſententiam Couſtantius pugnat atque etiam ex inſcriptione, quam Corbeienſis Codex praebet, Teleptenſe Concilium ab omni ſuſpicione liberare ſtudet. VI (n. 4.) *Ep. ad diu. Epiſcopos.* VII. (n. 5.) *Ep. ad diu. Epiſcop.* Vtramque ad Codices MSS. Bibl. Colbertinae et editiones impreſſas exegit. VIII. Ep. ſeu reſcriptum Ambroſii aliorumque epiſcoporum ad Siricium papam de cauſa Iouiniani. IX. *Ep. ad Anyſium.* Edidit 1662. Holſtenius in Coll. Bip. P. II. p. 189. Extat etiam inter Ambroſii Epiſtolas. Plures MSS. libri Couſtantio in ea recognoſcenda ad manus fuerunt. Ep. X. ſeu *Canones ſynodi Romanorum ad Gallos Epiſcopos,* quos ex Cod. Foſſatenſi, poſtea Colbertino, et alia Cod. Pithoeani collectione ad Calcem T. I. Conc. Galliae Sirmondus adiecerat. Sequitur iam *Notitia ſcriptorum aliorum, quae ad Siricium attinent.*

1770.

1770.

Venet. ap. Albritium. f. S. Siricii Papae Epiſtolae et Decreta. Nonnulla intexuntur, quae ad eundem Pontificem attinent: in *Gallandii Bibl. PP.* T. VII. p. 533-549. Praeter ſex Siricii Epiſtolas n. VI. Ambroſii reſcriptum, n. VIII. Canones Synodi Romanorum exhibentur. Notae critici imprimis generis ex Couſtantio ſelectae ſunt. De ſingulis epiſtolis Gallandius, Couſtantii veſtigiis inſiſtens, c. XIII. Prolegg. p. XVIII ſq. diſputat.

24.

GAVDENTIVS.

§. 1. Vita. Patria Gaudentii incerta eſt. Niſi Brixianus fuit, certe diu Brixiae Philaſtrii iam temporibus vixit, alumnus eius atque eccleſiaſtica diſciplina ab eo imbutus. Quo tempore magnum ſibi apud populum et clericos fauorem conciliauit. Quippe qui dum in Orientem religionis cauſa peregre profectus eſſet, Philaſtrio interim mortuo, populo flagitante et ſuffragio aliorum epiſcoporum, cui magnum ex Ambroſii Mediolanenſis auctoritate pondus accedebat, Brixiae epiſcopus electus eſt. Ac Gaudentius quidem, nuntio hoc accepto, nihil intentatum reliquit, quo onus iſtud declinaret. Sed Ambroſius caeterique antiſtites ſacramento, quo fortaſſe Brixiani ciues ſe obligauerant, nullum alium epiſcopum ſe accepturos adſtricti tales ad ipſum epiſtolas cum legatione ciuium miſerunt, vt diutius reſiſtere religioni ſibi duceret, praeſertim cum ab ipſis Epiſcopis Orientalibus, niſi reditum ad Brixianos polliceretur, communio negata eſſet. Initium epiſcopatus eius pariter ac dies emortualis praedeceſſoris eius latet. Nulla in epiſcopatu re geſta magis inclaruit, quam ſuſcepta pro Ioanne Chryſoſtomo legatione

legatione ad Arcadium Imperatorem a. 405. Aemilio et Cythegio comitibus. Quae quamuis euentu fuerit deſtituta, conſtantiae tamen et magnanimitatis laude eum nobilitauit, atque diſertiſſimum hac de re praeconium ipſius Chryſoſtomi teſtimonia praebent. Quando obierit Gaudentius aeque incertum eſt, aliis ad a. 427., aliis, in quibus Tillemontius, maiori probabilitate ad a. 410. obitum eius referentibus.

Ad *genuina* Gaudentii *ſcripta*, praeter *Paſchales decem ſermones cum praefatione* ad Beniuolum, *quatuor* de diuerſis Capitulis Euangelii et *quintus* de Machabaeis Martyribus ex ipſius Gaudentii verbis in eadem Praef. ad Beniuolum pro veris agnoſcuntur. *Quatuor* alii, nempe *de Ordinatione ſui*, *de Dedicatione Baſilicae*, itemque *ad Serminium et Paulum Diaconum,* qui poſteriores epiſtolae potius quam Sermones ſunt, cum argumenti tum orationis ſimilitudine Gaudentii eſſe probantur. His inſuper in Galeardi editione addi vides *duo*, *de Petro et Paulo* alterum, alterum *de vita et obitu Philaſtrii, praedeceſſoris ſui.* §. 2. Scripta.

Intercidiſſe nonnullos Gaudentii tractatus, ex ipſis qui ſuperſunt diſcimus, vt Galeardus ad Tract. XIV. annotauit, vbi etiam locum ex Serm. VIII. affert, qui ſi quis alius ingenio hominis declarando inſeruit Dupiniumque a temeritatis crimine vindicare poteſt. *Diſſeruimus, vt meminiſtis*, inquit Gaudentius, *omnem textum lectionis eius, quae coenantem deſcribit in Bethania Dominum, explanantes diſcubitum Lazari, rationem loci et temporis, Marthae miniſterium, ſororis eius obſequium, vnguenti virtutem, rationemque crinium, quibus Maria pretioſo myro vnctos Chriſti terſit pedes!*

Nec *ſuppoſititia* deſunt, *Rhythmus de Philaſtrio*, *liber de Singularitate Clericorum* alioquin modo Origeni, modo Cypriano aut Auguſtino tributus, ab Oxonienſi autem Cypriani editore Gaudentio adſcriptus, quamquam in notis ad Bedae tempora reuocat. Praeterea *Commentarii in Symbolum*, quod vulgo *Athanaſii* appellatur, auctorem Gaudentium facit Elias Capreolus l. III. Hiſt. Brix. et ex Capreolo Vghellus. Quod cum errore manifeſto factum ſit, tum nihil etiam eiusmodi Commentarii exiſtit, niſi forte, quod commode Galeardo ſuccurrit, pro *Commentario in Symbolum Athanaſii* intelligenda ſit Expoſitio Rufini in Symbolum, quae a multis Hieronymo et Cypriano temere adſcripta, aliquando etiam Gaudentio tributa fuerit.

§. 3. Editiones. Gaudentianorum ſcriptorum ſpecimen, vt pridem obſeruauit Galeardus, primus edidit *Capreolus* lib. III. Hiſt. Brix. excerpta nempe *Sermonis de Philaſtrio* circa a. 1500. aut paulo ſerius. Deinde circa a. 1554. Aloyſius Lipomanus, Veronenſis Epiſcopus, protulit *Sermonem* integrum *de Philaſtrio, Sermonem de Dedicatione Baſilicae*, itemque excerpta ex *Praefatione ad Beniuolum, in Vitis SS.* T. IV. a p. 52. 4. *editionis Venetae*, vbi p. 1. et p. 15. Opera Gaudentii nondum excuſa dicuntur. Collecta primum edita ſunt in *Orthodoxographis Grynaei* anno 1569. eodemque ordine ac numero ſaepius deinde in *Bibliothecis PP.* repetita, mendis tamen adſperſa quamplurimis et duobus carentia Sermonibus, qui in nouiſſima demum eaque prima, quae ſeorſim prodiit et accurata dici poſſit, *Galeardi* editione a. 1720. additi inueniuntur. Eandem poſtea ab editore retractatam Quiriniana Operum Brixianorum Epiſcoporum Collectio accepit. De ſingulis ſingulatim.

SAEC.

Saec. XVI.

1569.

Baſileae, ap. Henric. Petri. f. Gaudentii Epiſcopi Brixienſis tractatus in *Monumentis S. Patrum Orthodoxographis* T. VI. p. 1793 - 1860. Exhibentur XVII. *tractatus* cum *reſponſionibus* duabus *ad Serminium* et *Paulum Diaconum*, nec non *praefatio* eiusdem *ad Beniuolum*.

1575.

Pariſiis, apud Mich. Sonnium. f. Gaudentii Brixienſis ſermones et tractatus. *in Bibl. PP. Bigneana.* T. VII.

1579.

Coloniae. fol. Gaudentii Epiſc. Brix. ſermo de Philaſtrio Ep. Brix. in *Vitis Sanctorum Surii T.* IV. a pag. 225.

1589.

Pariſiis . . . . f. Gaudentii Epiſcopi Brixiani in varia Scripturae loca ſermones, ſiue tractatus varii. *in Bibl. PP. Bign. ed. ſecunda T. II. col.* 209 ſqq.

Saec. XVII.

1610.

Pariſiis. f. Gaudentii Brix. tract. et ſermones aliquot. in *Bibl. PP. Tom. II.*

1618.

Coloniae. f. Gaudentii Brix. Ep. tractatus aliqui in varia Scripturae loca. in *Tomo IV. Bibl. PP.*

1624.

Pariſiis. fol. Gaudentii tract. et ſermones aliquot. *in Bibl. PP. Tom. II. col.* 1 ſqq.

1644. (1654.)

Pariſiis, apud tres Bibliopolas. f. Gaudentii Epiſc. Brix. in varia Scripturae loca ſermones ſiue tractatus etc. in *Tomo II. Bibl. PP. Bign. ed. quintae.*

1662.

Pariſiis, ap. Ant. Bertier. f. S. Gaudentii Ep. Brix. Sermones aliquot in *Franc. Combefiſii Bibl. PP. Concionatoria.*

1677.

Lugduni, apud Aniſſonios. f. Gaudentii Brix. Ep. tractatus in varia Scripturae loca. *in Tomo V. Max. Bibl. PP. col.* 942 ſqq.

S A E C. XVIII.

1720.

Patauii excudebat Ioſ. Cominus. 4. S. Gaudentii Brixiae Epiſcopi Sermones qui exſtant nunc primum ad fidem MSS. Codd. recogniti et emendati. Acceſſerunt Ramperti et Adelmanni Venerabil. Brixiae Epiſcoporum opuſcula. Recenſuit ac Notis illuſtrauit *Paulus Galeardus* Canon. Brixian.

Suſcepit Galeardus Gaudentii edendi conſilium ſuaſu ac impulſu Praeſulis *Io. Franc. Barbadici* recens tunc a Veronenſi epiſcopatu ad Brixianum translati, qui et opibus et nulla non opera eum iuuit meritoque nomini ſuo inſcriptum vidit. Nactus vero editor praeclara ex Codd. MSS. Vaticanis, Florentino, Vrbinate, et Brixianis ſubſidia aſſiduo ſtudio emendationi auctoris deprauatiſſimi vacauit, ita tamen, vt, vbicunque aliquid innouatum eſſet, de eo lectorem admoneret. In variantibus lectionibus apponendis et recenſendis religioſior paene fuit: maluiſſe enim,

enim, inquit, ſedulitatem ſuam delicatis hominibus nimiam aut moroſam videri, quam fidem apud ſtudioſos et doctos lectores periclitari. Animaduerſiones rariores adiecit, in quibus ea, quae locutionibus illuſtrandis inſeruiunt, comparatione fere locorum ſimilium apud alios ſcriptores occurrentium conſtant, nonnullae res eccleſiaſticas attingunt, vtrumque genus haud magnae lectionis eruditionem prodit. Tanto vero inſigniora ſunt, quae in praefatione de vita, virtutibus et laude, qua apud aequales et poſteros claruerit Gaudentius, de ſcriptis eius genuinis et ſuppoſititiis, eorumque indole diſſeruit. Qua occaſione (§. II.) grauiter etiam in Dupinium, iniquius, vt ipſi viſum eſt, de Gaudentio ſtatuentem, inuehitur. Poſtremo de conſilio et ordine huius editionis, ſuperiores breuiter perſtringens, lectores admonet. His omnibus inſuper teſtimonia de Gaudentio, nec non index locorum SS. addita ſunt. Rerum vero index Rampertum ſimul et Adelmannum complectitur.

1721.

Hamburgi. 8. Vita S. Philaſtrii Epiſcopi Brix. per S. Gaudentium eius ſucceſſorem conſcripta quae habetur in libro vetuſto Sacrarii Eccleſiae Brixienſis eſtque ſermo habitus in anniuerſario die ſolennitatis eius: *cum Philaſtrio, ed. a Io. Alb. Fabricio.*

1738.

Brixiae, ex typogr. Io. Mariae Rizzardi. f. S. Gaudentii Brixiae Ep. Sermones qui exſtant, ad fidem MSS. Codd. recogniti et emendati. in *Collectione Vet. PP. Brix. Eccleſiae* Quiriniana. a p. 185. vſque ad 379. Recenſuit denuo et Notas ſecundis curis auctas adiecit *Paulus Galeardus,* Can. Brix.

Quid

Quid nouae huius editionis occaſione a Galeardo praeſtitum eſt, ipſe quidem modeſtia in Italis ſcriptorum eccleſiaſticorum editoribus ſequentium temporum raro obuia indicat, inſperſas eſſe nouas huc illuc textui Gaudentiano notationes, nonnullas etiam ex prioribus in melius reformatas dicens. Sed primo ſtatim obtutu vnusquisque facile animaduertet, quam ſaepe illud et quam praeclare factum ſit. Imprimis autem de Codice non magnae quidem antiquitatis, ſed egregiae lectionis et emendationibus Octauii Pantagathi Brix. manu adſcriptis repente ſibi oblato laetatur, ex quo innumera ſibi reſtituta eſſe affirmat.

1757.

Auguſtae Vindelicorum Sumpt. Ignatii Adami et Franc. Ant. Veith. 4. S. Gaudentii Br. Ep. Sermones etc. Editio Patauina ad vnguem expreſſa.

Codices, qui Galeardo auxilio fuerunt, partim vniuerſa opera vſque tum edita, partim vnum vel alterum recens additorum ſermonum ſingulatim complectebantur. Illorum *quinque* erant, horum *quatuor*.

1. 2. *Codices MSS. Bibl. Vaticanae* n. 1243. et 4580. vterque papyraceus.
3. *Codex MS. Vrbinatenſis* membranaceus n. 75. elegantiſſimus, literis initialibus pictis et deauratis.

Caeterum non vetuſtate quidem praeſtare hosce Codices, praeclara tamen plurimis in locis ad Gaudentii emendationem contuliſſe, Galeardus ſcribit. Excerpendi curam, poſtquam poteſtas a P. S. Clemente XI. facta eſſet, Franciſcus Blanchinus et Carolus Maiellus, Bibl. Vat. Praefectus, vterque P. M. a honore ſacri cubiculi ſuſtinuerant.

4. *Codex*

4. *Codex MS. Florentinus* Bibliothecae S. Marci chartaceus, cuius Io. Mabillonius in Itin. meminit. Collationem curauerat atque variantes lectiones diligenter excerptas editori transmiſerat P. Albertus Salui eiusdem Monaſterii S. Marci Florentiae Prior.

5. *Codex MS. Octauii Pantagathi* Brixiani, magni aeuo ſuo inter Literatos nominis viri.*) Qui quamquam nec ipſe magnae vetuſtatis erat, attamen, quod contra opinanti Galeardo accidit, lectiones optimas a ſuperioribus diſcrepantes frequentes ſuppeditauit. Praeterea Pantagathi illius manu paſſim emendationes margini erant adſcriptae, quibus haud modicum ſtatuit pretium editor.

6. *Codex MS. Vrbinas* n. 150. membranaceus.

7. *Codex MS. Vaticanus* n. 1235. membranaceus pariter. Vterque ex his duobus *Sermonem Gaudentii de Petro et Paulo* exhibentibus Zenonis etiam Sermones continebat.

8. 9. *Codices MSS.* duo *Brixiani* membranacei, quorum antiquior praefert notam ſaeculi XI. *Sermonem de vita et obitu b. Philaſtrii* exhibentes.

25.

VIGILIVS TRIDENTINVS.

Vigilius, ſi quidem in Actorum SS. fide, deficientibus monumentis certioribus, acquieſcendum eſt, genere §. 1. Vita.

*) Coaeuorum de eo teſtimonia haud praetermiſit Galeardus, nempe *Lil. Greg. Gyraldi* Dial. 2. de Poet. ſuae aet. *Auguſt. Thuani* Comm. de Vita ſua lib. I. *Onuphrii Panuinii* Comm. ad lib. Faſtorum p. 390.

genere Romanus, ciuis Tridentinus fuit, Athenis vero liberalibus literis eruditus. Vnde Tridentum reverſus dictae ciuitatis epiſcopus ordinatus traditur a primo tertius, aetatis anno vigeſimo, intra annos CCCLXXXI. et CCCLXXXVIII.*) In tanta autem aetatis ſuae immaturitate viriumque tam graui muneri gerendo imbecillitate conſilia ab Ambroſii Mediol. prudentia atque vſu expetiit, ab eoque praecepta epiſcopatus bene adminiſtrandi accepit epiſtola etiam nunc in operibus illius ſuperſtite, quam ſi vere omnino ad annum CCCLXXXV. referendam cenſuerunt Viri Docti, arctioribus etiam limitibus ordinationis eius tempus circumſcribere liceret. Vita exceſſit martyrium paſſus Theodoſii et Honorii Auguſtorum regnantium tempore, Stilicone (iterum) conſule vrbis Romae a. CCCCV; poſtquam viginti annis, vt Acta eius a Donato Faetio euulgata produnt, Tridentinae eccleſiae praefuerat.

§. 2. Scripta. *Scripſit Vigilius*, Gennadio teſte,**) *ad quendam Simplicianum libellum et epiſtolam continentem geſta ſui temporis apud barbaros martyrum.* Quibus verbis ſine dubio *duas*, quae nunc ſub Vigilii nomine feruntur, *epiſtolas de martyrio ſanctorum Siſinnii et ſociorum (Martyrii* et *Alexandri)* innuit, quarum altera inſcribitur *Simpliciano epiſcopo Mediolanenſi*, altera *Ioanni epiſcopo Conſtantinopolitano*, qui pro

*) Succeſſit nimirum Abundantio, quem a. CCCLXXXI. Aquileienſi concilio aduerſus Palladium et Secundianum coacto interfuiſſe conſtat. Ordinatus autem fuit ab Epiſcopo Aquileienſi, qui alius quam Valerianus, Fortunato a. CCCLXVIII. ſuffectus, haud eſſe potuit. Atqui hic annos XX. eccleſiam Aquil. rexiſſe diemque a. CCCLXXXVIII. obiiſſe perhibetur.

**) De Vir. ill. c. XXXVII.

pro temporum ratione Chryſoſtomus fuerit. Vtraque, vel prior ſaltem ipſo an. 397., quo paſſi ſunt martyres, ſcripta eſt. Peſſime huic Vigilio *libri V. aduerſus Neſtorium et Eutychen* aliaque nonnulla adſcripta ſunt et perpetuo fere ſub illius nomine edita, quae proprie ad alterum *Tapſenſem* pertinent, de quo infra Tomo ſecundo agitur.

Prior epiſtola edita eſt ab *Aloyſio Lipomano* in Vitis SS. priſcorum PP. Tom. II., 151. I. edit. Venet. a. 1553. eamque deinceps excuderunt *Surius* Vit. SS. 29 Maii Tom. III. p. 319. et ex variis codicibus emendatiorem *Baronius* ad a. 400. §. VII ſqq. *Poſteriorem*, quam dudum periiſſe Baronius cenſuerat, ex MS. Cod. bibliothecae Vaticanae in lucem protraxit, alteri, quae iam dudum prodierat, adiectam *Papebrochius* in Act. SS. Maii Tom. VII. pgg. 42 ſq. Vtramque denuo *Ruinartius* inter *Acta Martyrum* ſincera pgg. 534 ſqq. edit. Veron. et nuper demum *Andr. Gallandius* in *Bibl. Vet. PP. et Antiq. Scr. Eccl. Tom. VIII.* (1772.) *pgg.* 203-206. recudendam curauerunt: poſterior etiam prolegg. c. V. p. X ſqq. doctiſſimam de eo diſputationem inſeruit. §. 3. Editiones.

26.

TYCHONIVS,

Quem conſtanter *Tichonium* ſcribunt, natione Afer, aetate, qua Rufinus, Theodoſio et filio eius regnantibus, floruit, in diuinis literis eruditus, iuxta hiſtoriam ſufficienter, in ſaecularibus non ignarus, in eccleſiaſticis quoque negotiis ſtudioſus, teſte Gennadio.*) Auguſtinus hominem fuiſſe ait et acri ingenio §. 1. Vita.

*) De Vir. illuſtr. cap. XVIII.

genio praeditum et vberi eloquio, ſed Donatiſtam, qui tamen aduerſus ipſos ſuos calamum ſtrinxerit, et cum inuictiſſime eos refutaſſet, tamen non ex omni parte eos relinquere voluerit. Quod abſurdiſſimi cordis indicium ſanctus Doctor putat, ex reliqua parte apprime ſtudioſis omnibus libros eius tanquam plurimum ad ſcripturas adiuuantes commendat.

§. 2. Scripta. Extat libellus eius *ſeptem Regulae* ſ. *de ſeptem Regulis* inſcriptus, quas ſingulatim expendit Auguſtinus.*) Plura, quae interciderunt, opuſcula Gennadius recenſet, nempe *de bello inteſtino lib. III. expoſitionem diuerſarum cauſarum* et *commentarium in Apocalypſin* integrum.

Tychonii *Regull. XII.* de Concordia Euangelii MS. in Bibl. Monaſterii B. M. de Becco inueniri, Montefalconius Bibl. MSS. p. 1253. notauit.

§. 3. Editiones. Prodierunt primum in Orthodoxographis Grynaei et diuerſis deinceps in Bibliothecis PP.; excuſas ad MSS. Codices iterum excuſſit Andr. Schottus a. 1662. cuius recenſionem nuper Gallandius ſecutus eſt.

1569.

Baſileae, ap. Henr. Petri. f. Tychonii liber de ſeptem regulis *in Io. Iac. Grynaei Mon. PP. Orthodoxogr.* Tom. V. p. 1352 ſqq.

1575.

Pariſiis, ap. Mich. Sonnium. f. Idem liber *in Tomo VI. Bibl. PP. Bign.*

1622.

*) De Doctr. Chriſt. lib. III. c. XXX. n. 42 ſqq.

1622.

Coloniae Agr. ap. Ant. Hierat. f. Idem liber ad libros MSS. ab *Andrea Schotto* recognitus in *Auctario* ad *Magn. Bibl. PP. Colonienſ.* p. 152.

1677.

Lugduni, ap. Aniſſonios. f. Idem liber ex recognitioe *Andr. Schotti in To. VI. Bibl. Max. PP.*

1772.

Venet. ap. Io. Bapt. Albritium. f. Idem liber *in Bibl. Vet. PP. Andreae Gallandii Tomo VIII.* p. 107-129.

Schotti editionem expreſſit editor a mendis tamen compluribus, quibus illa ſcatebat, emendatam nonnullisque obſeruationibus locisque Sacrae Scripturae diligentius annotatis auctam. De Tychonio ipſo agitur Proleg. c. II. p. V.

* *

Codices MS. *Regularum VII.* in Bibl. Benedictinorum Florentiae et S. Victoris Pariſiis Montefalconius Bibl. MSS. p. 416. 1375. commemorat.

27.

R V F I N V S.

Cognomen diuerſiſſime ſcribi ſolet *Toranus*, §. 1. Vita. *Turranius*, *Tyrannius*. Annus natalis eius a *Blondello* ſcriptus eſt 345. *Fontaninus*, quem nos in adumbranda huius doctoris vita potiſſimum ſequemur, *) nullum definire audet, *Concordiam* tamen patriam

*) *Iuſt. Fontaninus*, Archiep. Ancyranus, *Hiſtoria Literaria Aquileienſi*, quae libris V. conſtat et poſt mortem

patriam tribuit, cuius rationes non magis expeditas eſſe quam anni natiuitatis *de Rubeis* cenſet. Adulta aetate Aquileiam ſe contulit monaſticae viuendi regulae in monaſterio, quod Athanaſii inſtitutionibus primordia debebat nomen daturus, ibique poſt aliquot temporis ſpatium literis et fidei chriſtianae formulis addiſcendis conſecratum baptizatus eſt a Chromatio Presbytero, digniorem forte tunc inter Aquileienſis eccleſiae presbyteros locum tenente, miniſtrante Archidiacono Iouino et ſuſceptore Euſebio Diacono, qui antea catecheſi illum imbuerat.*) Intra hoc tempus cum Hieronymo, qui et ante iter in Gallias aliquantiſper in eodem monaſterio commoratus eſſe videtur et poſt reditum ibidem ſubſtitit, arctam amicitiam contraxit mutuae virtutis contemplatione et amore innutritam et animis officioſiſſimis conglutinatam. Sed antequam baptiſmum Rufinus ſuſciperet, hic in Orientem

tem auctoris *Romae* 1742. 4 publici iuris facta eſt, optime et copioſiſſime de Rufini rebus geſtis, ſcriptis eorumque Codicibus MSS. et editis diſſeruit. Non pauca tamen diligentius excuſſit et explorata retulit *Io. Franc. Bernard. Maria de Rubeis* accuratioris doctrinae laude inſignis in libro inſcripto: *Diſſertationes duae, quarum prima de Turranio ſeu Tyrannio Rufino Monacho et Presb., altera de vetuſtis Liturgicis aliisque ſacris ritibus. Venetiis* 1754. 4. Vtrumque inuicem non ſine moleſtia contulimus, quaeque Rubaeus certius vel veriſimilius explicaſſet, aut adoptauimus ſtatim, aut adnotare non neglexinius.

*) Ita Rubaeus cap. II. p. 8 ſqq. verba Rufini Inuect. I. n. 4. apte et ritibus eccleſiarum conuenienter interpretatus eſt additque, *incertum eſſe, qua de cauſa Valerianus Epiſcopus abfuerit, ſed non dubitandum, quin poſt baptiſmum Rufinus ad illum adductus fuerit, ſacro chriſmate ungendus.* Secus Fontaninus baptizatum a Valeriano Ep. ſuſceptoribus baptiſmi *Chromatio, Iouino* et *Euſebio* ſcribit.

tem profectus eſt, cuius viſendi deſiderio etiam Rufinus flagrabat. Opportune igitur accidit, vt Melania, nobilis Romana, Hieroſolymam proficiſcendi conſilium cepiſſet. cui comitem ſe eodem, quo baptizatus erat, anno Rufinus adiunxit. Roma a. 371. relicta Alexandriam a. 372. viuente adhuc Athanaſio, adplicuerunt. Hinc monachos Aegypti inuiſit Rufinus, cuius nuntium ſemel, iterumque ad ſe in eremum perlatum Hieronymus in Aegypto moranti ſignificat.*) Et cum Ariani Athanaſio mortuo, duce Lucio Alexandrinae ſedis inuaſore, nefanda immanitate et omni facinorum genere in Orthodoxos Alexandriae et per eremum ſaeuirent, ipſum quoque furentis tempeſtatis calamitas feriit.**) Tandem, ſex menſibus in Aegypto cum Melania transactis, cum eadem monachos confeſſores exilio mulctatos in Palaeſtinam comitatus eſt, vbi illi quidem circa Diocaeſaream conſederunt, Melania breui poſt a. 373. poſt V. Cal. Apriles, vt Fontanino placet,***) Hieroſolymam contendit, Rufinus autem Alexandriam repetiit ibique ſex annos in conſortio et inſtitutione Didymi et aliorum tunc Alexandriae florentium doctorum verſatus eſt,

Origenis

*) Ep. I. al. XLI. II. al. V.

**) Ruf. Apol. l. II. cap. III. vbi horrendam iſtam Orthodoxorum ſtragem cruentis coloribus deſcribit et ſe quoque oppreſſorum *in paſſionibus ſocium* fuiſſe dicit

***) Anno 373. cadenti vel appetenti aut currenti etiam a. 374. *de Rubeis* cap. VII. aſſignat. Pendent nimirum haec ex diuerſa anni emortualis Athanaſii notatione. Nimirum Fontaninus dicto loco et peculiari etiam diſſertatione Hiſtoriae Aquileienſi lit. ſubnexa mortem Athanaſii a. 372. 11 Maii affigit, Baronii ſententiam tuitus, Rubaeus contra laudatae diſſert. cap. IV. V. et VI. noua diſcuſſione facta anno 373. adſcribendam docet.

Origeniſque ingenium adamare coepit, tametſi non omnem eius doctrinam amplexatus videri debet. Rediit Hieroſolymam, ſi cum Fontanino calculum ponere inſtitueris, a. 377. hic enim ſextus currebat a primo eius in Aegyptum aduentu,*) rediitque eo animo, vt totum ſe deinceps vitae monaſticae traderet, cellulasque inhabitauit in monte Olitieti, quae ab aliis etiam quamplurimis monachis frequentabantur. Hieroſolymis in varias adiacentes regiones ad viſendos eximios viros excurrit, fortaſſe etiam Alexandriam iterum cum Melania, quam circa idem tempus Aegyptum tetendiſſe conſtat. Dein plures annos cum Melania in omnis generis hominibus illuc pietatis cauſa aduentantibus liberaliter excipiendis impendit. Interea Hieronymum ipſum et amicos veteri ac diuturna neceſſitudine copulatos mutuoque alterius videndi deſiderio, dum propius inuicem admouerentur, ſuſpenſos, mira quaedam caſuum et euentuum connexio identidem diſtraxit, non aliter ac ſi occulta aliqua vis hac ipſa diuiſione animorum coniunctioni proſpexiſſet, quam ruptam et profanatam iri ipſorum congreſſibus praeſentiret. Nam cum primum in Palaeſtinam Rufinus aduentaſſet, adhuc in eremo degebat Hieronymus, ſed literas amicitiae veteris, quam Aquileiae olim ſtrinxerant, teſtes a. 373. aeſtate media ab Hieronymo ſcriptas ibidem recepit. Dum in Aegypto

*) Octennium interpoſito aliquo interuallo in Aegypto eum degiſſe, Rubaeus ex Codice Guarneriano contendit, eiusque rationes ita ſubducit, vt prima vice Alexandriam a. 375. repetiiſſe ibique vſque ad a. 380. vel inſequentem inceptum aut adultum manſiſſe ſtatuat. Hinc negotii vel Melaniae viſendae cauſa in Palaeſtinam profectum ponit, atque inde altera vice in Aegyptum rediiſſe. ac tandem aliis inſumptis annis ante annum 385. remeaſſe Hieroſolymam.

pto literis operam nauaret Rufinus, aliquamdiu Antiochiae Hieronymus ſubſtiterat, vnde Conſtantinopolim profectus erat eo ipſo tempore, quo fortaſſe Rufinus ad breue tempus, ſi Rubaeo aſſenſeris, Palaeſtinam repetierat. Reuerſo denique a. 385. poſt tres annos integros Romae traductos Hieronymo, nullum eſt dubium, quin Hieroſolymis obuiam ſibi facti priſtinae pietatis ac officiorum memoriam inſtaurauerint, nunc ad breue tantum duraturam.

Prima diſcordiae ſemina inter ipſos ſparſit Aterbius quidam, qui Hieroſolymam perlatus Rufinum tanquam Origenis commenta ſectantem carpſit, eademque criminatione Hieronymum tanquam Rufini amicum et Origenis laudatorem traduxit. Tunc primum alienatior a Rufino factus eſt Hieronymus. Mox (a. 394.) vterque in cauſam Epiphanii Salaminis Epiſcopi et Ioannis Hieroſolymitani inuoluitur. Nam Hieronymus non ſolum, vt reſpuere ſe Origenis haereſes omnibus teſtatum faceret, Epiphanio in Origenem et Ioannem peſſima quaeque eructanti adhaeſit, ſed per monachos etiam Bethleemiticos, quod monaſterii vnius conditor eſſet Epiphanius, in partes eius pertrahebatur. Rufino autem, cui per ſeptem fere annos cum Ioanne familiaris conſuetudo interceſſerat quique ab eodem haud dubie presbyter ordinatus erat, non temere licebat ab eo reuelli. Litigatum eſt vtrinque animis infeſtis aliis alia ſuppetente iraſcendi cauſa. Nam Epiphanius tanquam Origeniſtam Ioannem inſectari; Ioannes ordinatione Pauliniani fratris Hieronymi in presbyterum ab Epiphanio in paroecia ſua facta iuri ſuo inique detractum eſſe, vrgere; Hieronymus non vanam omnino fuiſſe ſuſpicionis de Origenis haereſi in ſe ex familiaritate cum Rufino aliquando ſubnatae cauſam ſtomachari idque impenſe dolere, quod hominem amicitia ſit proſecutus, qui occulte

occulte haereſibus deſponſum habuiſſet animum. Addita eſt indignationi huic fomes epiſtola ab Epiphanio de ordinatione alieno loco a ſe facta ad Ioannem Hieroſ. ſcripta, quam Hieronymus in Euſebii Cremonenſis Graeci ſermonis ignari gratiam inque priuatos vſus vt homini in monaſterio ſuo verſanti latinam reddiderat, ſed quae furto ablata ad Rufinum peruenerat eique occaſionem dederat in interprete ſi non malignitatem reprehendere certe deſiderare veritatem. Hieronymus autem aegrius hoc pati, quod Rufinus *haereſeos ac dogmatum peruerſionis inſimulatus nihil reſpondere auſus ſit: interpretem laceraret, de ſyllabis calumniaretur et totam defenſionem ſui putaret, ſi tacenti detraheret.* Interclusus erat ad animos reconciliandos aditus, cum pro ſe quisque poenam ab altero poſceret et dolum ſibi a conciliaturis metueret. Hinc fruſtra a Theophilo Alex. et Archelao Palaeſtinae comite pax inter eos tentata, inſeditque per triennale ſpatium hic rancor animis liuidis. Iam tum autem Hieronymus in publicum extuliſſet odium ſuum in Rufinum librum apologeticum *de optimo genere interpretandi* ad Pammachium exorſus, quem pace interim a. 397. compoſita non abſoluiſſe creditur, quemadmodum amplioris voluminis librum in *Ioannem Hieroſ.* tum imperfectum reliquit.*) Quo auctore tandem extinctum ſit diuturnum illud diſſidium, haud liquet. Id conſtat, Hieronymum ac Rufinum more ſolemni in Anaſtaſi, templo Hieroſolymitano, poſt ſacrificium Miſſae in gratiam rediiſſe illumque Rufinum nullius erroris compertum agnouiſſe.

Pace reuocata reuertendi in Occidentem cura Rufinum inuaſit. Profectus eſt a. 397. menſe Auguſto vel

*) De Rubeis cap. IX. n. VI. p. 65.

vel Septembri. Diſcedentem Hieronymus pace inuicem data et accepta proſequutus eſt.*) Romam non continuo appulit, ſed ad Monaſterium *Vrſei* Abbatis in loco *Pineti*, in agro Romano deuertit. Ibi tum plurimi rerum Orientalium curioſi et ſcriptorum auidi circumſteterunt, percontantur, narranti auſcultant, poſtremo, vt graeca latine ſibi legenda reddat, flagitant. Erat inter hos ipſe Abbas Vrſeius, cui percontanti, quaenam in Oriente Monachorum eſſet obſervatio, quae inſtituta ſeruarentur, cum reſpondiſſet, Baſilii: efflagitari ſe ab eo magnam ab Occidentalibus gratiam ei habitum iri pollicente ſiuit, vt latinitate eam donaret. Similiter *Macarius* monaſterii iſtius monachus, vt Fontanino viſum, ſeu Romae degens, vt Rubaeus contendit,**) *Pamphili Apologiam Origenis* ab eo impetrat, quam Romae, quo a. 397. exeunte vel ineunte 398. ſe contulerat, transtulit, addito de ſuo pro fide ſua vindicanda libello *de Adulteratione librorum Origenis.* Cumque in Pamphili Apologia *Origenis* libros *de principiis* identidem laudari obſeruaſſet Macarius, iterum Rufinum rogauit, vt Romanis auribus accommodaret. Nec in hoc quidem, quamquam praeuideret, quantum ſibi inuidiae conflaturus eſſet hac obſequendi facilitate, morem ei gerere recuſauit, ſed primum duo priores edidit atque in praefatione haud dixerim bona fide, an inui-
diae

*) Permultorum ea ſententia eſt non ſolum, ſed cum Melania in Italiam hoc anno Rufinum rediiſſe ita *Fontaninus*, *Baronio* et *Pagio* conſentiens. At plurium auctoritate, inter quos *Lebrunus* etiam in Vita Paulini, reditum Melaniae a. 402. illigant, quam plane ſententiam argumentis nouis adſtruit *de Rubeis* c. X. p. 70.

**) cap. XII. p. 84.

diae declinandae cauſa. Rufini auctoritatem praetendit, quod in praefatione ad Homilias duas Origenis in Canticum Canticorum tam magnifice de auctore locutus eſſet, vt cuiuis legendi eius deſiderium commoueret et plurima ſe ipſum poſthac translaturum promiſiſſet. Interea euenit, quod metuerat. Ingentes per totam vrbem rumores ſuborti, aeſtusque plane in turbinem editis duobus poſterioribus libris ceſſit. Sed quod longe peius Rufino accidit, homines male feriati, ſed arctiſſima Hieronymo amicitia coniuncti, Pammachius et Oceanus, qui ex ſuperiori inter eos ſimultate odiſſe Rufinum coeperant, quique, vt fit, vbi non tui ſed alterius cauſa iraſceris, pace inter illos inſtaurata iras deponere neſciebant, ſchedas Rufini imperfectas et nondum expolitas, vt forte de manu exciderant, ad Hieronymum tacito auctoris nomine, vt poſtmodum ille contendit, ſed adſperſis de eius obtrectandi Hieronymo libidine querelis, quae ſuſpicacem illius animum facile roderent, transmiſerant. Simul nouam librorum *de Principiis* verſionem ab eo expetunt. Eodem tempore Rufinus, nuntio de obitu matris accepto, Aquileiam proficiſci inſtituit: ad Hieronymum id perſcripſit literisque *formatis* a Papa Siricio acceptis via mediterranea per Mediolanum eo contendit. *) Aquileiae imprimis conſuetudine et beneuolentia Chromatii Epiſcopi recreatus eſt. Num vero ab eodem Aquileienſi eccleſiae aggregatus ſit, cum a Ioanne Hieroſolimitano presbyter monaſticae profeſſionis eſſet ordinatus, nemo pro certo affirmaverit.

*) Ex calculo Rubaei paulo ante Siricii obitum, qui ſecundum Baronii ſententiam a. 398. XXII Febr. ſecundum Pagium d. XXVI Nouembr. accidit, Romam peruenit, ac integrum paene annum ibi commoratus, Aquileiam menſe Auguſto vel Septembri adiit.

verit. Interea literae Hieronymi, quibus Rufinianis reſpondebat, a Pammachio et Oceano interceptae erant, alias, quas ad ipſos dederat, in quibus Rufini praefationem refutabat et alienum ſe ab Origenis dogmate teſtabatur, vna cum noua librorum *de Principiis* verſione, vt magis inuidia Rufinum obuoluerent, Romae circumferebant. Ab Aproniano Aquileiam transmiſſae ad reſpondendum Rufinum permouent, cui reſponſioni ab a. 399. vſque ad a. 401. inſudavit. Iam hinc, ſi quid iudico, patet, quam parum irae patiens fuerit animus viri, vtpote defenſionem, non bella meditantis. Contra obſeruet mihi aliquis Hieronymum. Carptim ei ab amicis ſpeculatoribus, quae Rufinus procuderat, transmiſſa erant, et vixdum abſoluta ea et Aproniano inſcripta cum amicis, qui Hieronymi maxime verbis laeſi erant, Rufinus communicauerat: cum *duo* iam illius *Apologiae* libri contra *tria* iſtius volumina nondum plena ſed ſummatim tantum accepta prodeunt. Horum exemplar Aquileiam per negotiatorem tranſeuntem perlatum biduoque tantum conceſſum breuem Rufino reſponſionem extorſit.*) Simul integros apologiae libros Hieronymo legendos mittit. Reddita fuiſſe videntur a. 402. Eodem certe anno menſe Martio vel Aprili tertium apologiae librum Hieronymus effudit, licet pridem a Chromatio eſſet commonefactus, vt contentioni Chriſtianorum animos offendenti ſilentio finem imponeret. Quid? quod ad Auguſtinum adeo tanquam moderationis ſuae teſtem poſtremam hanc apologiam miſit, Rufiniana maledicta, quo nomine eius

*) Haec epiſtola nunc quidem intercidit. Non per biduum exaratam eſſe potuiſſe, Hieronymus obiecit, Quippe nulla vnquam cauſa tam tenuis ei viſa eſt, quin ad vellicandos, quos odiſſet, vteretur.

eius apologiam vocat, in Africa ſtudio ipſius dudum perlata eſſe ratus. Ad quae ille, *neſcire ſe, quae ſcripta maledica ſuper nomine eius Africam peruenerint, contabuiſſe autem dolore, et timore obriguiſſe legentem quae illis maledictis reſpondiſſet: exanimatum iri, ſi in manus ſuas forte venirent, quae a Rufino tam effraenata libidine in ſe iacta nuntiaſſet.* Num aequiorem in cauſa Origenis iudicem Anaſtaſium pontificem Rufinus expertus ſit, quaeſtio eſt, de qua haudquaquam docti conſentiunt. Nam cum an. 400. Theophilus Alexandrinus, vt reos faceret Nitriae monachos, vehementius in Origenis errores inueheretur, nec contentus, raptis in flammas igniculis, Synodo Nitriae celebrata criminis conuictos exilio mulctaſſe, alios etiam epiſcopos ad exſtirpandam haereſim prouocaſſet: Anaſtaſius etiam et impulſu eius Mediolanenſes et Aquileienſes epiſcopi Origenis dogmata damnarant. At Anaſtaſius, cui, cum ipſe Romam proficiſci non potuiſſet, breuem fidei ſuae Apologiam Rufinus miſerat, eius cauſam a cauſa Origenis plane diuerſam deprehendit, teſtatus id in literis ad Ioannem Hieroſolymitanum datis; in quibus, cum aperte Origenem damnaſſet, Rufinum tunc demum ſe damnare ſcribit, ſi aſſenſum iſtis, quae interpretatus ſit, praebuerit, quod ad Dei non hominum iudicium cenſet remittendum. Nihilominus in extrema epiſtola procul ſe a communione ſua habere Rufinum ſignificat, et hanc ipſam epiſtolam cum altera, quae periit, in rem ſuam interpretatus erat Hieronymus; vnde neutram pro vera agnoſcere voluit Rufinus. Tandem conſopiti hi furores reductaque coeli ſerenitate totus ſcribendis aut de Graeco traducendis libris vacauit, plurimamque partem ſcriptorum intra ſeptennium, quod adhuc Aquileiae transegit, confecit. Aquileia a. 408. relicta, in monaſterium Pineti iterum

conceſ-

conceſſit, ibique alterum *de benedictionibus Patriarcharum librum*, quem Paulino poſt primum Aquileia ipſi transmiſſum pollicitus erat, abſoluit, Romam deinde perrecturus. Ingruentibus autem Romae barbaris, profugo *Piniani* coetui adiunctus eodem anno in Siciliam transfretauit. Ibi in conſpectu vaſtatae cum caeteris regionibus ab Alarico Calabriae aliquot Origenis libris, *Homiliis* ſcilicet *in Numeros*, quas Donato alicui inſcripſit, et *Cantico Canticorum*, in Piniani gratiam, extremas vires inſumſit, tandemque animam in amicorum complexibus anno 410. reddidit, eiusque oſſibus haec ſuper inlatrauit ſanctiſſimus Hieronymus: *Scorpius inter Enceladum et Porphyrium Trinacriae humo premitur.*

Longe maxima pars operum Rufini verſionibus librorum graecorum latinis conficitur. Quae de ſuo ſcripſit, exiguo numero conſtant. Vtriusque autem generis elenchum, quemadmodum a *Fontanino*, qui de iis accuratius egit, concinnatus eſt, dabimus. §. 2. Scripta.

I. *Opera Sincera.* 1. *Scripta Propria.*

Diſſertatio de Adulteratione librorum Origenis.

Benedictionum XII. Patriarcharum explanatio.

Apologia, ſeu Inuectiuarum libri II. aduerſus Hieronymum.

Apologia pro fide ſua ad Anaſtaſium Pontificem.

Hiſtoriae eccleſiaſticae libri II. ſcilicet X. et XI. poſt Hiſtoriam Euſebianam.

Hiſtoria Eremitica ſiue Vitae Patrum vulgo ſub Hieronymi nomine editae.

Explicatio Symboli.

2. *Verſa e Graeca in Latinam Linguam.*

Baſilii M. Regula.

Eiusdem Homiliae VIII.

Liber I. Apologiae Pamphili pro Origene; in quo Sententiae aduerſus Mathematicos.

Origenis Libri IV. περὶ ἀρχῶν.

Eiusdem Homiliae XVII. in Geneſin.

— — XIII. in Exodum.

— — XVI. in Leuiticum.

— — XXVIII. in Numeros.

— — XXVI. in Ioſue.

— — IX. in Iudices.

— — I. in I. librum Regum.

— — IV. in Cantica Canticorum.

— — Tomi XV. in libros X. diſtincti in Epiſtolam D. Pauli ad Romanos.

Gregorii Nazianzeni opuſcula X. nempe

Apologetici liber vnus. De Epiphaniis. De Luminibus. De Fide liber vnus. De Nicaena Fide, Pentecoſte et Sp. S. De Semetipſo ex agro reuerſo. De Dictis Hieremiae. De Reconciliatione et Vnitate Monachorum. De Grandinis vaſtatione. De Arianis.

Sixti Pythagoraei Sententiae.

Euagrii C. Sententiae ad Monachos.

Eiusdem Sententiae de Apathia.

— liber ad Virgines.

Clementis Romani Recognitiones.

Euſebii Hiſtoriae eccleſiaſticae libri X.

Anatolii Alexandrini Canon Paſchalis.

II. *Suppoſititia et Aliena.*

Verſio Origenis Homiliarum in Lucam non Rufini, cui adſcribitur, ſed Hieronymi.

Verſio Ioſephi Operum, non Rufini, ſed Ambroſii.

Commentarii in LXXV. priores Dauidis Pſalmos.

— in Oſeam, Iohelem, Amos.

Vita S. Eugeniae.

Libellus de Fide breuior.
Libellus de Fide fuſior.

III. *Dubia.*

Origenis Homiliae VII. in Matthaeum.
— Homilia I. in Iohannem.
Eiusdem de Maria Magdalena.
— de Epiphania Domini; in latinum conuerſae.

IV. *Deperdita.*

Epiſtola ad Hieronymum, in qua huius prima Apologia confutatur.
Epiſtolae ad Aniciam Falconiam Probam.
Librorum aliquot e Latino in Graecum ſermonem conuerſio.

Iniqua plane, vt auctoris olim optimi et nunquam non bene merentis, ita et *ſcriptorum* eius apud poſteros, maxime ex quo arte typographica libri multiplicari et ornari conſueuerunt, fortuna fuit. Nam in communi illa, quae verſus finem ſaeculi XVmi obtinebat, librorum eccleſiaſtici potiſſimum argumenti imprimendorum aemulatione, in qua vix pauci fuerunt inſigniorum auctorum, quibus non honos ſuus habitus eſſet, ſolus Rufinus tamen exſors et absque munere manſit. Atque vt *collectiones* taceam, quarum vna demum eaque et manca et ſuppoſititiis libris interpolata exeunte ſaeculo XVI. facta noſcitur, ne ſingulis libellis quidem vel hoc vel ſequentibus ſaeculis opera aliqua impenſa eſt. Ex quo autem a. 1580. *Laurentius de la Barre opuſcula quaedam* Rufini protulit, *vno* amplius et *dimidio* ſaeculo ceſſatum fuit, donec celeber Hieronymi editor *Dominicus Vallarſius* nouae et integrae editioni manum admoueret, cuius §. 3. Editiones.

 Tomus

Tomus I. Veronae 1745. prodiit, alter vero etiamnunc, quantum quidem nobis compertum, deſideratur. Quae inſignis librorum Rufini infelicitas dubitari nequit, quin magnam partem exiſtimationi debeatur, qua apud omnes proximis abhinc et magis etiam ſuperioribus ſaeculis implacabilis eius aduerſarius Hieronymus floruit. Minus inuidiae verſionibus eius latinis ſcriptorum graecorum adhaeſit, quae et ab initio paene apud occidentales Graeci ſermonis ignaros magni aeſtimatae ſunt et recentiori aetate beneuolentiores expertae ſunt chriſtianae ſapientiae ſtudioſos. Quid? quod tanta in eum inſolentia vſa fuerit fortuna, vt *hiſtoria* eius *Eremitarum* ſub Hieronymi ipſius nomine vigeſies et amplius intra ſaeculum impreſſa et in complura aliarum linguarum idiomata translata ſit. Quae cum ita ſint, in recenſendis operum Rufini editionibus ita pergemus, vt primum quae collectionibus comprehenſa fuerint vel ex propriis eius ſcriptis aut perperam ei tributis cum ſingulatim excuſa, tum aliorum operibus permiſta habeantur, deinde hiſtoriae eccleſiaſticae itemque eremiticae eorumque, quae de graeco vertit, editiones referamus.

Saec. XV.

1468.

Oxonii. 4. (8.) B. Hieronymi expoſicio in ſymbolo apoſtolorum ad papam Laurentium. Impreſſa Oxonie et finita anno Domini MCCCCLXVIII. 17. die Decembris. Liber decantatus propter origines rei typographicae in Anglia, de quo pluribus *Maitt.* Ann. typ. T. I. p. 279. Specimen literarum ſiſtit *Ames* typogr. Antiquities p. 437. *Middletonus* quidem vitium typographicum ſubeſſe et omiſſo altero X. 1468. pro 1478. excuſum nihil Caxtoni glo-

riae,

riae, qui primus artem typographicam in Anglia exercuiſſe fertur, detrahere debere cenſuit. Vid. *the Subſtance of his Diſſ. on the Origin of Printing in England in Two Eſſays on the Or. of Print.* ed. 2. Lond. 1776. 8. Sed licet aſſentientes haud paucos, attamen et aduerſarios reperit, inque his grauiſſimum *Meermannum in Ep. ad Andr. Coltée Ducarel.* inſerta Origg. Typogr. indeque in *Suppl. to the Origin of Printing.* 1781. 8. p. 236 ſqq.

1470.

Romae, ap. Sweynh. et Pannartz. f. Expoſicio in Symbolum *cum* priore volumine *Epiſtolarum Hieronymi.* Aſſignatur etiam huic anno a nonnullis velvti Caueo, Ittigio, et aliis editio Operum Rufini Romae facta, ſed huiusmodi editio merum figmentum eſt, a quo lectores ſibi cauere debent. Auctor fuit *Labbeus* in *nouae Bibl. MS. Suppl. p.* 340. hanc editionem tanquam exiſtentem in Bibl. Reg. Pariſ. laudans. Vnde Maitt. Ann. T. I. p. 298. ex eoque plures deinceps bona fide deſcripſerunt. At vero in Catalogo dictae Bibl. nullum de ea veſtigium reperias, nec ab alio perito et curioſo harum rerum indagatore vſquam viſa intelligitur. Facile autem conieceris, Labbeum editione praecedente *Symboli* cum Epiſtolis Rufinianis inductum eſſe, vt editionem operum Rufini ſtatueret, quae partem illorum licet minimam in fronte gereret; cuius quidem opinionis adſtipulatorem habes Fontaninum. Fortaſſe catalogus imperite confectus eum decepit.

1498.

Oxonii. 8. B. Hjeronymi Expoſicio in Symbolo Apoſtolorum.

SAEC. XVI.

1516.

Venetiis, apud Lazarum Soardum. f. Ruſinus de Benedictionibus Patriarcharum, *ſub falſo titulo* Homiliae XVII. in Geneſim cum *Origenis Opp. in Nov. Teſt.* fol. CIIII. Editor Conſtantius Hierotheus iam primum hoc Rufini opuſculum, ſed tanquam Origenis foetum et peſſime tractatum produxit.

1519.

Baſileae, ap. Frob. f. Symbolum Fidei, *cum* Operibus Cypriani ab Eraſmo editis, qui de eo ita in Epiſtola ad Laur. Puccium Card. ſcribit: *Symbolum Fidei quod in uulgatis pariter ac deſcriptis voluminibus Cypriani titulum habet, inter Opera Diui Hieronymi fertur Ruſini nomine.* In notis vero poſt epiſtolam: *ſtilus ſatis arguit, hoc opus non eſſe Cypriani, et inter opera Hieronymi fertur inſcriptum Ruſino. Nec abhorret phraſis a phraſi Ruſini: et inter huius opera magnifice de Symbolo meminit Gennadius, quod adeo praeclare dicit eſſe diſſertum, vt ceteri ad hunc dixiſſe videantur.* Recuſum eſt deinde cum omnibus Eraſmianis non modo, ſed et aliis fere omnibus Cypriani editionibus veluti Romana ap. Paul. Manutium 1563. p. 381. in qua optime ſingulos articulos ſeparatim ante expoſitionem diſpoſitos et diverſo charactere expreſſos Fontaninus laudat; item in Pamelianis, Oxonienſi et Baluziana denique.

1555.

Baſileae, apud Henr. Petri. f. Rufini Aquilei. de benedictionibus Iudae et reliquorum Patriarcharum. in Orthodoxographis *Ioh. Heroldi.* Tom. II. p. 1423. Heroldus ignorata Hierothei editione vero auctori

auctori librum ſuum reſtituit ex Codice MS., quem pluribus, quae lectu non indigna videbuntur et a Fontanino etiam allata ſunt, ita deſcribit: *Georgius Piſtorius, Vir clariſſimus apud Enſisheym medicus excellens, atque de literatura univerſali optime meritus, quum procul dubio nonniſi vel ingenii ſummis laboribus aut aeris impenſa inſani, libellum hunc Rufini bibliothecae ſuae, tanquam theſaurum paraſſet, qua eſt in literas bonas atque erga amicos humanitate, Domino Henrico Petri, iam ſacrorum Auctorum bibliothecam edenti, etiam hunc libellum ſponte obtulit: qui quidem Romanorum maiuſculis literis, iis quidem,* quibus *Pandectas Florentinorum ſcriptas vidimus, ſine diſtinctione ulla, ante mille ac plus annos, ſcriptus erat, venerandae antiquitatis gemma, mehercle pretioſa. Hunc vero, ut ſolet, temporis iniuria, incuriaque Barbarorum miſere laceravit, quippe quum de Benedictione Iudae, myſtica tractatur ſententia, tres plagellae reſciſſae ac perditae deſiderantur; quarta etſi ſuperſit lacera, quo loco reponenda ſit, vix poteſt divinari. Erat proinde membranula tam tenera, ut teneriorem me vidiſſe affirmare non auſim: quod quidem tanto plus damni attulit ſcripto. Equidem ipſum ſcriptorium atramentum acerbitate ſua plures verſus eroſos ac transparentes reddiderat, ut ex ſtigmatibus tantum legi poſſent, niſi ſi e regione in facie alterius paginae verſus verſui reſponderet, tunc utrinque maior inſtabat labor. Accedebat et hoc quod vel pluvia irrorante, qua olim adſervabatur, bibliothecam, vel dum huc atque illuc ad oſtentationem veteris monumenti perfertur, in marginibus totus madefactus fuerit liber, atque membranula tenerrima, quaſi glutino concreta, quod ferme ſingula folia, nonniſi lacerarentur, disiungi aut aperiri poſſent; Sed et hoc taedii devorare volui, ut qualis qualis oblatus eſſet,*

eſſet, a me deſcriberetur liber: qui quidem finem ſuum non habet, pauca tamen deeſſe ſuſpicor Adhortor itaque ſtudioſos omnes; ut quod huic deeſt ſcripto, quacumque occaſione in bibliothecis venari velint, ut tandem et integer theologisque minus mancus offerri poſſit.

1569.

Baſ. ap. Henr. Petri. f. Rufini explicatio benedictionis Iudae et rel. Patriarch. in *Monum.* Orthodox. *Io. Iac. Grynaei* T. II. p. 1065. Heroldi opera, ipſo tamen non nominato.

1570.

Lugduni ap. Guilielm. Rouillium ſub ſcuto Veneto. f. Ruffini Aquileienſis presbyteri in LXXV. Davidis Pſalmos commentarius ex vetuſtiſſimo exemplari bibliothecae monaſterii inſulae Barbatae iuxta Lugdunum nunc primum in lucem editus. Cum indice copioſiſſimo.

Editor eſt *Antonius Alboneus* (de Albone), Archiepiſcopus Lugdun. et Primas Galliarum, qui in prolixa, qua Pio V. Pontifici librum nuncupauit, epiſtola (dat. Lugd. Id. Martii 1570.) occaſionem commentariis hisce potiundi hoc modo enarrat: Eſt in agro Lugdunenſi, inſula quaedam, quam Barbae appellant incolae: docti vero Barbatam, medium alveum Araris findens, in qua peruetus ac ſanctum Monaſterium extructum fuit, et magna totius prouinciae veneratione celebratum: ſed ita ſuperiore bello ab haereticis diſturbatum, atque dirutum, vt nihil in eo niſi loci cuiusdam diuinioris veſtigia ſupereſſe videantur. Id cum ego multis iam ſuperioribus annis auctoritate ſedis Apoſtolicae (vti fit) gubernandum ſuſcepiſſem, cum multa in eo offendi pietatis antiquae moni-

monimenta, tum vero praecipue bibliothecam opulentam, quam cum ſtudioſe luſtraſſem, offendi commentarios Ruffini presbyteri Aquileienſis in ſeptuaginta quinque Dauidis pſalmos notis et characteribus, qui ſummam antiquitatem prae ſe ferrent, deſcriptos, et membranis propemodum exeſis, ac ipſa vetuſtate et ſitu attritis commendatos: quos cum auide perlegiſſem, aliisque viris eruditis legendos tradidiſſem, cenſui non eſſe hunc theſaurum denuo defodiendum, ſed luci, ac aurae exhibendum. Neque vero, *pergit*, ab edendo hoc opere ſe deterritum eſſe eo quod ex amicis quidam obſeruaſſent *plerisque ac infinitis prope locis ita cum Auguſtino in ſuis tractatibus in pſalmos conſentire, vt eaedem ſaepe ſint ſententiae, eadem verba atque adeo ſimiles inter ſe periodi.* Id enim in hoc opere eueniſſe cenſet, quod *D. Ambroſio* in ſuis libris Exameron, ac de Spiritu ſancto contigit, vt quemadmodum hic integras in ſuum opus ex Diuo Baſilio periodos transtulit, ſic ex Ruffino, veluti alibi ex Hieronymo, et Cypriano, in ſuos ille commentarios quamplurima deriuarit. Ad haec *ex ipſa ſtili facilitate ac aequabili* dicendi genere eluceſcere putat Rufinum auctorem eſſe ſimulque cauſa ipſi reperta eſt, cur *ſtudioſius a primis a Barbata inſulis monachis hi commentarii aſſeruati fuerint*, ſcilicet, *quod in eos fere duntaxat pſalmos ille ſcripſerit, quos ſine controuerſia Dauidis eſſe docti fere omnes aſſeuerarint.* Poſtremo *Gelaſii* teſtimonium profert, qui *nonnullas ab eo ſcripturas explicatas tradiderit*, quibus hosce ſeptuaginta quinque pſalmos declaratos putat. Ac aliquamdiu pro genuino ſane Rufini foetu habiti ſunt iſti Commentarii; non omnes tamen fallere potuerunt. Primum, qui illis laruam detraxerit, fuiſſe *Io. Lorinum*, Fontaninus nòtat, eiusque locum ex Commentariis in Pſalmos Lugduni apud Io. Cardon

Cardon 1623. editis profert.*) Animaduertit idem a nonnullis viris eximie doctis ſubinde pro vero citari Rufinum in Pſalmos, veluti a Iac. Vſſerio in Hiſtoria de Scripturis et ſacris vernaculis p. 67. et Baluzio in Cyprianum. Caeterum in plures adeo Pſalmos auctorem huncce Commentarios perſcripſiſſe, Alboneus perſuaſum ſibi habuiſſe videtur, dum ad reliqua, ſicubi extent, eruenda et proferenda lectores nota in calce libri appoſita excitat. *Rufini Aquil. in Pſalmos LXXVI. Commentarios nonnihil diuerſos ab editis* ex indice Bibl. S. Germani Pariſ. laudat Labbeus Noua Bibl. MSS. Libr. P. I. p. 23.

1576.

Romae, in aed. Pop. Rom. f. Rufini Expoſitio in Symbolum *cum Operibus S. Hieronymi* a Mariano Victorio editis Tomo IX. p. 108.

1580.

Pariſiis, ap. Mich. Sonnium. f. Rufini Aquileienſis Presb. Opuſcula quaedam, partim antehac nunquam in lucem edita, partim nuper ope doctiſſimorum virorum emendata et caſtigata. Cum indicibus, tum locorum Sacrae Scripturae explicatorum, tum rerum ac verborum, ampliſſimis.

Inſunt 1) *de benedictionibus Iudae ad Paulinum Epiſc. Nolanum*, lib. I. 2) *Paulini ad Rufinum epiſtola.* 3) *Rufini ad Paulinum fr. epiſtola.* 4) *Eiusdem in Benedictiones reliquorum vndecim Patriarcharum, ſiue Commentariorum in Geneſeos cap. 49.* lib. II. 5) *Commentariorum in Oſeam prophetam* libri III. 6) *Eiusdem Comment. in Iohel prophetam.* 7) *Eiusdem in Amos.* 8) *Comment. in Symbolum.* 9) *Eius-*

*) Hiſt. lit. Aquil. p. 404.

9) *Eiusdem hiſtoriae Eccleſiaſticae* lib. II. Ex quibus n. 2. 3. 5. 6. 7. nunc primum ex Codice MS. Monaſterii Montis Dei proferuntur. Editor *Renatus Laurentius de la Barre* iam Tertulliano et Arnobio circa idem tempus edito nobis cognitus in epiſtola nuncupatoria ad Io. a Sancto Andrea Pariſ. Eccleſ. Canonicum (d. Id. Iun. 1580.) de Rufino eiusque Scriptis extantibus et deperditis quaedam diſputat, criticorum ſui temporis ſtudia, qui neglecta fere codicum MSS. inueſtigatione ad coniecturas omnia referrent, obiter perſtringens. Scripſit Fontaninus lib. V. cap. XVII. Commentarios in LXXV. Pſalmos decennio ante ab Alboneo editos hoc anno apud eundem Michaelem Sonnium titulo immutato eſſe recuſos et tomum II. Operum Rufini conſtituere; de quo nobis haud liquet. Certe in priori volumine nulla adiectorum commentariorum eſt ſignificatio. Sed exemplar, quod manibus tenemus, cum ipſa Albonei editione Commentar. anni 1570. compactum eſt.

1745.

Veronae . . . . f. Rufini Torani Aquileienſis Presbyteri opera quae ſuperſunt. Ad codices MSS. denuo emendauit Dominicus Vallarſius Presbyter Veronenſis. T. I.

Exhibentur 1) *liber de Benedictionibus Patriarcharum* cum notis editoris ad Codicem MS. Bibl. Bononienſis recenſitus. 2) *Commentarius in Symbolum Apoſtolorum* ad Baluzianam editionem exactus. 3) *Hiſtoria Monachorum et itinera per Aegyptum* ex ed. Rosweydiana repraeſentata. 4) *Duo hiſtoriae eccleſiaſticae libri* cum MSS. Codicibus comparati. 5) *Libri Apologetici duo aduerſus Hieronymum* ſubiuncta *Apologia ad Anaſtaſium.* Succedit his Appendix dubia et ſpuria continens, in quibus 1) *Commentarius*

mentarius in 75. priores Pſalmos, cuius auctorem Gallum nec facile alium eſſe a Vicentio Presbytero Gallo (de quo Gennad. de SS. Eccl. cap. 80.) Vallarſius contendit. 2) *in tres minores Prophetas, Oſeam, Ioelem, Amos Commentarius* Hiſpani cuiusdam Scriptoris, fortaſſe Pauli Oroſii vt V. ſuſpicatur. 3) *Vita S. Eugeniae Virginis ac Martyris* ex Rosweydo et cum eius Notis. 4) *Libellus de Fide* a Card. Sirmondo olim e Vaticano et a Garnerio e Bellouacenſi Codice ſub Rufini nomine prolatus. 5) *Rufini Presbyteri prouinciae Palaeſtinae liber de fide* a Sirmondo olim vulgatus et nunc iterum recuſus additis ex MSS. Codicibus variantibus. Quibus omnibus praetermittitur vita Rufini a Fontanino condita nonnullisque in locis a Vallarſio correcta et emendata. Haec de huius ed. Tomo I. et vnico, ni fallor, Io. Domin. Manſius ad Fabricium.*) Quibus tamdiu contentos eſſe nos oportet, donec ipſis fruendi eius copia data fuerit. Speramus enim Bibl. Regiam praeſtanti hac editione auctam iri, antequam vltimam ſecundi Tomi operis noſtri paginam abſoluerimus, vt in addendis haec notitia ſuppleri poſſit. In praeſenti fruſtra mentionem de eo vel titulum ſaltem in diariis eruditis et Bibliothecarum illuſtrium Catalogis perquiſiuimus. Manſius d. l. excitat Codicem MS. *duorum librorum Hiſt. Eccleſ. Rufinianae* vetuſtiſſimum et a nemine hactenus collatum, qui in Bibl. Cathedralis Eccleſiae Lucenſis extat et Caroli M. tempore ſcriptus cenſetur, de quo idem peculiarem alibi diſſertationem perſcripſit. **)

Caeterum Rufini libri Apologetici contra Hieronymum in variis huius editionibus recuſi ſunt, quibus ſingu-

*) Bibl. M. et Inf. Lat. T. VI. p. 132 ſq.
**) In Opuſculis P. Calogierà. Tom. XV. §. XV.

ſingulatim oſtendendis otium perdere nolumus. *Gallice conuerſi* extant in Recueil de Pieces concernant la Vie de Rufin (Paris 1727. 12.), qui liber iam ſupra in Hieronymo nobis laudatus eſt.

I.

Euſebii Hiſtoria Eccl. a Rufino conuerſa et duobus libris aucta.

Huius operis editionum indicem tanto maioris vtilitatis fore confidimus, quanto minus iamiam ex vſu illae et frequenti lectione cognoſci ſolent. Ex quo Muſculi enim et Chriſtophorſoni*) verſiones inualuerunt, Rufinianae verſionis ſtudium langueſcere viſum et Valeſianae deinde celebritate omnis eius vſus paene ceſſauit. Tametſi vero Rufiniana non ſatis fida vbique et integra dici poſſit, ſingularia tamen ab Rufino inſerta habet et ad criſin graeci textus Euſebii haud exigui momenti eſt.

SAEC. XV.

1474.

Sine loci et typographi indicio. fol. Euſebii hiſtoria eccleſiaſtica, per Rufinum e Graeco in Latinum traducta. *Maittaire* T. I. p. 332. et ex eo *Hamberger* T. III. p. 43. Fontanino haud innotuit, qui ſequentem principem putat.**)

1476.

Romae, apud Iohannem Philippum de Lignamine. f. Liber Hiſtoriae Eccleſiaſticae Euſebii Caeſarienſis,

*) Prodiit *Louanii apud Seruatium Saſſenum* 1569. tomis duobus. 8. *Coloniae, ap. Am. Birnmannum* 1570. f.

**) Hiſt. Aquil. lit. lib. V. cap. XI. p. 356 ſqq.

rienſis, quam Beatus Rufinus presbyter de Graeco in Latinum transtulit. Haec inſcriptio non in prima pagina, ſed poſt Lignaminei ad Xyſtum pontificem nuncupatoriam epiſtolam legitur. *In fine:* milleſimo CCCCLXXVI. die XV. Maii P. M. Sixti quarti anno eius quinto completum eſt hoc opus. Nuncupauit Iohannes Philippus, Archiater Pontificius, Xyſto IV. P. M. cuius in literas et literatos homines ſtudium ac patrocinium in epiſtola praefixa mirifice extollit, atque poſt plurima, iuſſu illius typis impreſſa et eidem Xyſto dicata ad Hiſtoriam ſe conuertiſſe et ab hac Rufiniana auſpicatum eſſe dicit. In quibusdam exemplaribus huius epiſtolae loco alia plane ad Card. Guil. de Eſtoutavilla legitur, vnde hanc editionem distractis ſtatim exemplaribus recuſam cenſuit duasque adeo eiusdem typographi propoſuit Fontaninus. Audiffredus contra non negat conſilium forte recudendae editionis Lignamineo fuiſſe, ſed vltra primum voluminis quinternionem typographum non proceſſiſſe idque inſtitutum rurſus abiectum eſſe contendit. Caeterum *Secunda* Editio, ſiue tota excuſa ſiue incepta tantum fuerit, admodum rara et elegans eſt, literis tamen paulo craſſioribus et ſyllabis pro ſaeculi more ſaepe contractis, de eaque nec non aliis a Io. Phil. excuſis libris pluribus Fontaninus l. l. et nuper P. *Franc. Xauer. Laire* in ſpecim. p. 232. 233. et *Audiffredi* p. 212 ſq.

1479.

Mantuae, apud Ioh. Schallum Herosfeldenſem. fol. Euſebii Hiſtoria Eccl. etc. Ioh. Schallus Germanus, arte pariter ac Lignamineus medicus, vtrumque et curam et typos nouae editioni accommodauit Romana editione ignorata. Fontaninus aeque elegantem eſſe dicit ac Romanam. Inſcripta eſt Friderico

rico Gonzaga, Mantuae Marchioni. Epigramma in fine operis adiectum quinque diſtichis conſtans vide apud Fontaninum.

1497.

Pariſiis, apud Petrum Lovet. 4. Euſebii Hiſt. Eccl. etc.

S a e c. XVI.

1514.

Argentinae . . . . fol. min. Eadem cum Bedae Hiſtoria eccl. gentis Anglorum. Rariſſima putatur, emendata non item; quippe quam deprauatiſſimam et mendoſiſſimam Ioh. Grauius apud Fontaninum excitatus dicit. *)

Intra a. 1514. *et ſequentem ed.*

Pariſiis, ſine anni et typogr. nota. 8. Euſebii Hiſt. eccl. *Rufino* interprete. Accurauit et ad codices MSS. et varias edd. denuo recognouit *Gaufridus Bouſſardus*, Theol. Pariſ. Nuncupauit Stephano Poucherio Senatus Galliar. praeſidi et Pariſienſ. poſtea antiſtiti.

1523.

Lugduni, apud Benedictum Bonnyn. 8. Eadem ex editione Bouſſardi.

Baſileae, apud Io. Froben. f. Hiſtoriae eccleſiaſticae Euſebii Pamphili Caeſarienſis libri IX. Rufino interprete, Rufini presbyteri Aquileienſis libri duo recogniti ad antiqua exemplaria Latina per Beatum

*) Lib. V. cap. XI. n. IX.

tum Rhenanum, in *Auctoribus Hiſtoriae eccl.* primum locum occupant.

1525.

Pariſiis, apud Franc. Regnault. 8. Eadem ex Bouſſardi editione.

1528.

Baſileae, ap. Io. Froben. f. Euſebii Hiſt. Eccl. l. IX. Rufino interprete etc. repetitio Rhenanianae, cuius tamen praefationes ſunt reiectae.

1533.

Lugduni, apud Bened. Bonnyn. 8. Eadem ex editione Bouſſardi.

1539.

Baſileae, ap. Io. Froben. f. Eadem cum iisdem Hiſtoricis Rhen. aliquot libellis auctioribus.

1541.

Pariſiis per Galeotum a Prato. f. Eadem cum iisdem ex recognitione Rhenani impreſſis.

1542.

Baſileae, apud Henric Petri. f. Eadem in *Tomo III. Operum Euſebii* Latine editorum.

1544.

Baſil. ap. Froben. f. Eadem ex ed. B. Rhenani inter *Auctores* Hiſt. Eccl.

1548.

Antverpiae, ap. Io. Steelſium. 8. Eadem cum iisdem *Auctoribus Hiſt. Eccl.* Tomis II. recuſis.

1549.

Baſil. ap. Froben. f. Rufini Hiſtoriae Eccl. libri II. cum *Auctoribus Hiſtor. Eccleſ.* ex interpret. Wolfg. Muſculi. Similiter in repetitis a. 1554. et 1557. nec non ed. *Henricpetrina.* Baſ. 1611.

1570.

Baſileae, ap. Henric Petri. f. Eadem cum brevibus ſcholiis *Ioh. Iac. Grynaei* in Tomo II. eorundem *Euſebii Operum*, vbi tamen liber X. eſt ex verſione Io. Chriſtophorſoni, liber vero XI. ex Rufino.

1571.

Pariſiis, ap. Nic. Cheſnan. f. Rufini libri duo Hiſtoriae Eccl. quibus Euſebium ſupplet, cum *Euſebii Hiſt. Eccl.* ex verſione Chriſtophorſoni et Schol. Ioh. Curterii.

1580.

Pariſiis, ap. Mich. Sonn. f. Rufini Hiſt. Eccl. libri II. *cum eius Opuſculis* a *Ren. Laur. de la Barre* editis.

S a e c. XVIII.

1740 - 41.

Romae, typis Antonii de Rubeis. 4. Tomi II. Eccleſiaſticae Hiſtoriae Euſebii Pamphili Libri nouem Ruffino Aquileienſi interprete, ac duo ipſius Ruffini Libri. Opus in duas partes diſtributum, quarum altera Euſebii, altera Ruffini libro continet ad Vaticanos MSS. Codices exactos, notis que illuſtratos labore ac ſtudio *F. Petri Thomae Cacc ari* a Bononia Carmelitae rel. Accedit poſtremae parti eiusdem hiſtorica Diſſertatio de vita, fide ac Euſebiana ipſa Ruffini Translatione et cum indice loc pletiſſimo.

Per Centum et ſexaginta ſex annos Rufiniana Euſebii translatio praelo non tradita erat. Haec vero tam commendati veteribus operis fortuna iniquior Cacciario viſa eſt, quam tolerari diutius ab homine eccleſiaſticae hiſtoriae ſtudioſo fas eſſet. Bene autem intellexit, non ſatis eſſe typis iterum deſcribendum textum Rhenanianum tradere, ſed emaculandum et expoliendum ab innumeris, quas facile in priſtina ſpecie detegeres, ſordibus ſibi ſumſit, atque ita reſtitutum demum Valeſianae verſioni opponere auſus eſt, ſi iunior eius ac nitidior forma detrahere aliquid amatorum illi poſſet. Non opus eſt, vt multis declaremus, quam dextre ipſi hoc propoſitum ceſſerit, cum ſatis ſuperque viri doctrina et ſolertia ex Leonis operum editione conſtet, cui hoc labore quodammodo praeluſiſſe videri queat. Textum igitur ad quinque inſignes Codices MSS. Vaticanos collatum exhibuit, his legibus ſibi ſcriptis, vt nihil de ſuperiorum editorum lectione immutaret, niſi duo ſaltem codices ſuffragarentur, etiamſi in loca incideret, de quorum corruptione vix dubitari poſſet. Adſperſit etiam notas, ſed quas iuuenibus ſtudioſis tantum, non viris doctis ſcripſiſſe videri vult: in quibus partim hiſtorica breuiter et quae Geographiam attinent vel loca SS. et PP. notantur. Vltimo loco denique et quidem in dictae *diſſ.* de Rufini vita et fide, quae cum libris ab ipſo Rufino ad ſupplendum Euſebium ſcriptis ſecundum volumen conſtituit, *parte tertia*, de *Verſione Rufiniana*, videlicet 1. de eius apud maiores auctoritate, vſu et pretio, 2. de Muſculana et Chriſtophorſoniana Euſebii verſionibus, 3. de Valeſii translatione, 4. de Rufinianae verſionis laudibus ex ipſo Valeſio differit, ac 5. vtriusque Rufini et Valeſii verſiones ad graecum textum inuicem examinat, illamque huic ſuperiorem cenſet. Quo nouo tamen iudicio Valeſium non protinus

tinus contemnit et flocci facit. Sed deteriorem eius conditionem a codicibus imprimis graecis Euſebii ducit, quos ad vnum omnes pro interpolatis et corruptis habet, Rufinum contra, Euſebii temporibus tam propinquum, veriſimile putat ex limpidioribus fontibus hauſiſſe. Deinde vero in potioribus ipſius Rufini veſtigia preſſiſſe ab eoque ſubſidia petiiſſe iuniores interpretes, addit atque exempla, vtrumque argumentum roborantia, quinto potiſſimum paragrapho ſubminiſtrat.

* *

Codices Cacciarii. Omnes Vaticani. *Primus* n. 1978. pergamenus, in quarto, circa XIII. ſaec. ſcr. Conſtabat fol. 174. ſolamque Rufini verſionem continebat cum decimo et vndecimo libro ab eodem ſcripto. Textus in columnas diuiſus. In margine variae adſperſae erant annotationes.

Secundus n. 5089. quaternis ſcr. a. 1448. et abſolutus die XIII. Decembris in Verona. Libros tantum a Rufino conuerſos complectebatur. Singulis capitibus tituli praefixi et marginibus notae appictae erant, iis, quas Rhenaniana exhibet, non diſſimiles. Atqui hunc potiſſimum ſe ſecutum teſtatur, quod accuratiſſime ſcriptus eſſet.

Tertius n. 564. formae maioris, pergamenus et in duabus columnis ſcriptus. Conſt. fol. 77. Saeculi videbatur XI. et optimas lectiones dedit. Fuit olim Reginae Sueciae.

Quartus n. 563. pergamenus, conſt. fol. 72. ad Saec. XII. Cacciarius refert. Literae initiales vario ornatu gaudebant. Complectitur praeterea Recognitiones Clementis a Rufino verſas hac epigraphe: *Ruffini Aquileienſis* Epiſcopi *(ſic) in hiſtoriam Clementis quae dicitur itinerarium Petri ſeu Clementis recognitionum.*

Quintus n. 385. recenti ſed perpulchro charactere ſcr. et miniatis figuris operoſe diſtinctus, vnde ex perantiquo inſigniori quopiam exemplari ſumtum ſuſpicatur editor. Conſt. f. 201. aſſeruaturque in ea Vaticanae Bibl. parte, quam Vrbinatem dicunt.

2.

Rufini Hiſtoria Eremitica ſ. de Vitis Patrum liber.

Patres vel Sanctos, quorum vitae Rufini hoc libello enarrantur, in Nitriae eremo aliquando floruiſſe diſcimus, atque vt certius, qualem volumus librum, conſtet, nomina ſingulorum et ordinem in recentiſſimis editionibus obuium appoſuiſſe plurimum iuuabit.

Praemittitur *prologus* incipiens a verbis *Benedictus Deus*, deſinens: *et perfectae ſapientiae palmam vel patientiae requirant.* Capitula libri ſunt XXXIII. 1. *De S. Ioanne.* 2. de Hor. 3. de Ammone. 4. de Beno. 5. de Oxyryncho ciuitate. 6. de Theone. 7. de Apollonio. 8. de Ammone. 9. de Coprete Presb. et Paternatio. 10. de Syro, Abbate, Iſaia, Paulo et Anuph. 11. de Heleno. 12. de Elia. 13. de Pithyrione. 14. de Patre Eulogio. 15. de Apellen Presb. et Ioanne. 16. de Paphnutio. 17. de Monaſterio Abbatis Iſidori. 18. de Serapione Presb. 19. de Apollonio Monacho et Presb. 20. de Dioſcoro Presb. 21. de Monachis in Nitria commorantibus. 22. de loco qui dicitur Cella. 23. de Ammonio. 24. de Didymo. 25. de Cronio. 26. de Origene. 27. de Euagrio. 28. 29. de duobus Macariis, Aegyptio et Alex. 30. de Ammone primo Nitriae Monacho. 31. de Paulo Simplice. 32. de Piammone Presb. 33. de Ioanne. *Epilogus* tandem *de periculis itineris ad eremos.*

Hoc

Hoc ergo opuſculum, quo ab omni inde aeuo nihil paene frequentius lectitatum ac deſcriptum, et recenti memoria impreſſum eſt, temporibus proxime Rufinum attingentibus lectores dubios de auctore ſuo habuit, ſucceſſuque temporis tanta opinionum hac de re ſeges ſuccreuit, vt Rosweydus decem vel vndecim enumerare poſſet, quibus paſſim adſcriptus fuerit, nomina, ac Verus illius auctor non niſi recentiorum ſtudio agnitus ſit et poſtliminio reſtitutus. Quod primum a *Iac. Fabro* Stapulenſi *) factum, Rosweydus deprehendit. Nititur hoc maxime Hieronymi teſtimonio in Epiſt. XLIII. ad Cteſiphontem, quo ipſo diu nimis ad eripiendum, quod Rufino debebatur, vſi fuerant, vt ſcilicet Euagrio tribuerent; deinde ipſius etiam Rufini in Hiſtoria eccl. Lib. XI. cap. IV. innuentis, ſe eiusmodi libro ſcribendo poſt abſolutam hiſtoriae ſeriem operam daturum. Quibus poſitis multis et variis praeterea argumentis ex ipſo plerisque libro petitis idem adſtruxerunt Rosweydus **) et Fontaninus, ***) in hoc tamen inter ſe diſcrepantes, quod ille Rufinum pro interprete tantum eorum, quae Heraclides forte aut Palladius graece ſcripſiſſent, habeat, idque ex parte cauſam putet, cur tam facile ignorari Rufini opera potuerit, alteram eam ratus, quod propter Origeniſtas nonnullos immixtos non auſus ſit proprio nomine foetum ſuum protrudere et venditare, quamquam ne ſic quidem Hieronymi inuidiam effugiens; Fontaninus contra expedita argumentatione tueatur: Rufinum ipſum ſcriptorem fuiſſe, ſed nomine alterius, qui in Aegypto verſatus itinera et res a ſe viſas ipſi vt ſtilo romano decoraret, narrauerit,

*) In praefatione ad Paradiſum Heraclidis.

**) Proleg. IV. §. X. p. XXV.

***) cap. XII. p. 360 ſqq.

quem fuiſſe vult Petronium Bononienſem, cui Gennadius ſcribit*) ſua aetate vitas Patrum aſſignatas. Tantum autem abeſt, vt ex graeco interpretatum vitas iſtas Rufinum putet, vt eius potius operam graece poſtea verſam et Palladii Hiſtoriae ob rerum cognationem immixtam eſſe, ita vt ex vtroque auctore vnum corpus fieret, non improbabiliter credat. Cauſam porro, ob quam Hieronymi nomen libro praefigi conſueuerit, minime a vero profecto abludentem Fontaninus docet. Vitas Patrum aliquas, ab Hieronymo conſcriptas, cum hiſce Rufinianis, nullum nomen praeferentibus, ob argumenti ſimilitudinem compactas effeciſſe dicens, vt omnia ad Hieronymum tanquam vnicum auctorem referrentur. Atque iam opportunum erit, vt lectorem moneamus, vitas PP. a Rufino ſcriptas nunquam ſeorſim eſſe vulgatas, ſed in codicibus MSS. omnibus aeque ac impreſſis libris a prima ad nouiſſimam vſque editionem cum aliis diuerſorum auctorum eſſe coniunctas, iis ſcilicet, quae apud Rosweydum ſeptem prioribus libris comprehenduntur, in editionibus antecedentibus autem varie pro cuiusque concinnatoris captu diſperſae ſunt aut coagmentatae. Rosweydus viginti enumerat *Vitarum* harum editiones, quas tamen ad tria commode genera reuocari poſſe putat hoc modo, vt primam familiam ducat editio ſine loco, anno et typographi nomine excuſa, quam ipſe reliquis omnibus vetuſtate anteponit, nosque ſuo deinde loco ad ductum eius cognoſcendum dabimus; alteram exordiatur editio Norimbergenſis a. 1478., tertiam denique Colonienſis anni 1548. conſtituat. Quam viri diligentiſſimi deſcriptionem equidem hactenus valere putauerim, ſi non cunctis, quae vſquequaque extent, ſed viginti tantum ab iſto enume-

*) De vir. ill. cap. XLI.

enumeratis editionibus latinis regulam hancce ſcriptam velit. Sunt enim apud nos editiones duae, altera plane innominata, altera anni nota carens, quae et inter ſe diuerſae et a prima, quam facit Rosweydus, ambae differunt. Nec dubito, quin aliquanto plures reperiri poſſint, quae inter ſe comparatae omnino nullam inter antiquiſſimas editiones intercedere cognationem euincant.

Caeterum in ipſo ſingularum editionum recenſu morem hactenus a nobis ſemper conſeruatum, vt innominatas editiones poſt reliquas ſaeculi XVmi demum commemoraremus, ſemel hoc loco deſerere ac reliquis eas praemittere placuit; tum quoniam vix dubium eſſe poſſit, quin ſingulae a. 1478. vetuſtate ſuperent, tum ne a ſecunda, quam Rosweydus facit, editionum claſſe initium faceremus. Deinde Rufinus ſolus nobis curae eſt, cuius quidem liber in Collectione vitarum ſemper eminuit et antiquitus vnice intelligebatur, dum Vitas Patrum veteres citarent, quapropter multa, quae in vniuerſum editionibus, imprimis principibus quas putat, accuratius noſcendis, admirabili diligentia deſcribendo et inter ſe conferendo Rosweydus explanauit, hic omiſſa vides, quae bibliographis haudquaquam poſthabenda ſunt.

Saec. XV.

I. *Sine loco et anno.* fol. Deeſt inſcriptio. Typis plane rudibus et qui certe in ipſa typographiae infantia impreſſam eam arguant, exſcriptam Rosweydus tradit. Initium libri ſic habet: *Incipit praefatio Hieronymi presbyteri in primum librum de Vita SS. Patrum.* Deinde: *Benedictus Deus* etc. Definit totus liber in Marino monacho. Conſtat omnino quinque libris, quorum primus Rufini noſtri poſt Prologum *Benedictus Deus* etc. a vita S. Iohannis Abbatis

Abbatis incipit. Finit in ſeptem periculis itineris. Atque haec eſt princeps omnium ex Rosweydi ſententia editionum, quam niſi ante a. MCCCCLXXI. excuſam putat. Poſterius ex Dionyſio Carthuſ. de quatuor nouiſſimis probat, qui artic. 52. hiſtoriam Macarii de cranio Sacerdotis gentilis inuento narrat eamque citat ex lib. IV. Vitarum Patrum, quae in hac prima editione libro IV. habetur. Obiit autem Dionyſius, Trithemio teſte, eo ipſo anno. Alterum ex MS. Monaſterii Cortracenſis coniicit, quod, cum verbotenus cum hac editione conueniat, ita vt deſcriptum ex eadem putet, completum ſubſcriptione ſignificatur a. MCCCCLXIX. menſe Nouembri. Haec ergo editio eadem forma et ordine tertio fuit typis ſubmiſſa, nulla, vt Rosweydus animaduertit, plane acceſſione aut immutatione, niſi quod ſummaria capitum poſteriores duae adiecerint et interſeuerint, quae in prima omnino deſiderantur. Fontaninus huic primae Rosweydi antepoſuit *Vlmenſem apud Ioh. Zainer*, de qua nos pluribus.

II. *Sine loco et anno.* f. Deeſt inſcriptio. Initium: *Incipit prologus.* Praeſto nobis eſt talis editio, qualem hic innuit Rosweydus, cuius initium: *Incipit prologus in vitas patrum.* Videtur ſummae antiquitatis, charactere gothico admodum rudi, diffluente et inaequali, paginis ſectis, ſine plagularum ac foliorum ſignis et numeris impreſſa. Similiter omnes literae initiales maiores et minores deſunt. Prologum ſequitur tabula in librum primum, cuiusmodi etiam ſingulis reliquorum quatuor librorum praemittitur. In fine, qui in paginae auerſae columnam alteram dimidiam incidit: *Explicit liber quintus de vitis ſanctorum patrum. Deo Gratias.* Haec

vltima

vltima verba literis gothicis maiuſculis. Differt tamen a prima, qualem Rosweydus deſcripſit, in eo, quod *Vita Marini*, quam in illa poſt finitum textum libri quinti ſequi notauit, tanquam ipſius huius libri pars, nempe caput XCIIII. in praeſenti editione compareat atque inſuper caput XCV. accedat, vitam Eufroſinae habens, quod incipit: *Fuit vir quidam* Paſuntius *nomine* etc. definit verbis: *glorificantes deum patrem et filium eius Ieſum Chriſtum una cum ſancto ſpiritu in ſempiterna ſaecula. Amen.* — Manus ignota ad calcem voluminis adſcripſit: „*Excuſum comperi, ex collatione cum antiquiſſima editione a. 1462. circa idem tempus.*"

III. *Sine anno et loco.* f. Absque inſcriptione incipit: *Prologus infructuoſum.*

Sine loco et anno. f. Inſcriptio abeſt. Primo loco exhibentur vitae PP. quae Rufino Aquil. tribuuntur, deinde ſub titulo *exhortationes ſanctorum patrum et perfectiones monachorum, quas de graeco tranſtulit hyeronymus*, vitae eremitarum a Graeco Anonymo ſcriptae interpretibus Pelagio Diacono, Ioanne Subdiacono et Paſchaſio Diac. apud Rosweydum libris V. VI. et VII. comprehenſae. In extrema vero parte admodum a Rosweydi textu differunt. A Paſchaſii praefatione volumen exorditur, cui literis maiuſculis ſuperſcriptum: *Prephatio Operis.* Ante prologum autem inſcriptio legitur: *Diui hyeronimi libellus de vitis patrum editus feliciter incipit,* proximumque deinceps caput inſcriptum eſt *de Sancto Iohanne baptiſta.* Impreſſus eſt charactere minuto gothico eleganti, qualem alibi non vidimus. Ad calcem noſtri

noſtri exemplaris manus ignota adſcripſit *opus hoc Neapoli a Magiſtro Matthia Morauo circa a. 1470. impreſſum maxime probabile videri.* Certe Italica eſt, nam familiam Germanicarum editionum haud duxit.

✣ ✣

Vlmae, ap. Ioh. Zainer. ſ. a. fol. Deeſt inſcriptio. Impreſſum eſt paginis latis, charactere gothico admodum luculento in charta nitidiſſima. Exordium fit in auerſa primi folii pagina a regiſtro duabus columnis impreſſo, per ſequentia nouem folia integra, excepta vltimi folii columna quarta, quae vacua eſt, continuato. Textus complet folia CCCLXXV. Conſtat duabus partibus ſeu libris, quarum prima a Rufinianis vitis incipiens, quas eodem plane ordine, quo ſupra enumeratae ſunt, exhibet, Hieronymianas *S. Hilarionis* etc. itemque feminarum, quas ille contexuit: denique multas alias e diuerſis auctoribus ſubiungit. Inſcripta eſt: *Incipit prologus ſancti Hieronimi cardinalis. presbiteri. in libros vitaſpatrum ſanctorum. Egiptiorum. etiam eorum que in Scithia Thebaida. atque Meſopotamia morati ſunt: non ſolum quos oculis vidit. maximoque labore inſpexit: verum et quamplura a fide dignis relata inſcripſit notabili diligencia. Denique aliorum etiam autenticorum libellos. fideliter e greco in latinum tranſtulit: et ab aliis tranſlata pro ſui perfectione huic operi inſeruit.* Subſcriptio ſonat: *Finit vita beati patris Effrem. et per conſequens liber primus vitaſpatrum.* Altera pars exordium ducit (p. CCXV. a libro, qui apud Rosweydum tertius eſt et ab eo Rufino ſimul adſcribitur, cuius Prologus *Vere mundum quis dubitet meritis ſtare ſanctorum*, qui hoc loco toti ſecundae parti praefigitur. Textus inſcriptio eſt: *Incipiunt adhortationes ſanctorum patrum profectionesque monachorum.*

ceteri-

ceterique ſubſequentes libelli, quos de graeco in latinum tranſtulit ſanctus Hieronymus cardinalis presbiter. Finitur in epiſtola S. Macharii ad Monachos, verbis *Preſtet nobis itaque dominus vt inueniat in nobis talem manſionem. qui viuit et regnat deus in ſecula ſeculorum. Amen.* Extrema denique ſubſcriptio: *Liber Vitaſpatrum ſancti Hieronymi cardinalis preſbiteri ſecundum alphabeti ordinem bene regiſtratus impreſſus per Iohannem Zainer in oppido Vlm finiunt feliciter.* Memorant *de Bure* Bibl. inſtr. T. I. p. . . *Seemiller* Biblioth. Ingolſtd. Incunab. Typogr. faſc. I. p. 128. n. 30. adde *Helmſchrot* T. II. 72. Seruat etiam Bibl. Reg. Acad. Ex allatis autem conſtabit, quantum inter hanc et reliquas editiones diſcrimen intercedat.

1478.

Norimbergae per Anton Koburger. Nonas Mai. fol. Inſcriptio deeſt. Charactere gothico maiori paginis ſectis impreſſum. Incipit a praefatione, quam ad ed. 1483. notabimus, quae editionem innominatam et Vlmenſem tangere videtur. Cf. etiam *Seemiller Incun. Typ. Ingolſt. Bibl.* faſc. II. p. 25. n. IX. Accuratius deſcripſit Rosweydus imprimisque ea, quae de diſpoſitione totius voluminis per literas Alphabeti editor docet, diſtincte enucleauit. Ex his autem, quae Proleg. XIX. de contentis huius editionis annotauit, intelleximus, ex Vlmenſi aeque ac Rosweydi principe eſſe conflatam. Rufini liber vt in ſuperioribus ab initio exhibetur.

1483.

Norimb. per Ant. Koburger. fol. S. Hieronymi Cardinalis presbyteri vitae Patrum. *In fine:* Anno chriſti natiuitatis Milleſimoquadringenteſimo-

octuageſimotercio. Nonas vero April. ob beatorum patrum profectum vitam heremiticam diligentium geſta, quorum (haud immerito) memoriter ſunt commendanda. Opus (*Vitaſpatrum* appellatum) inſigne a quamplurimis excerptum codicibus per ſacrarum ſcripturarum viros admodum peritiſſimos. In oppido Nurinbergen per Anthonium Koburger oppidi prefati incolam, quam compte impreſſum. finit feliciter. — Character eſt medius inter gothicum et rotundum et ad hunc prope accedens. Impreſſum eſt paginis ſectis. Sequitur poſt ſubſcriptionem index rerum, quem praecedit praefatiuncula ſupra in anteceſſum iam laudata, quae nouam atque a ſuperioribus editionibus, quas confuſas vocat, recedentem partitionis rationem explicat. *In quatuor,* inquit editor anonymus, *diſtinxi partes diuiſas differentesque. In cuius prima collegi hyſtorialia. In parte ſecunda libellos et doctrinalia. In parte tertia de regulari obſeruantia. Et finali parte de laude et virtutum efficacia. Ita ſane: vt pars prima per hyſtorias: ſecunda per libellos: et paragraphos: pars tertia per rubricas et quarta per rubricarum capitula diſtinguatur* etc. Cf. etiam Repetitio ed. Koburgerianae 1478. *Pray* Index libr. rar. Bibl. Bud. P. I. p. 506.

Venetiis, *per Octauianum Scotum Modoëtienſem.* 4. B. Hieronymi Vitae Patrum. *Rosweydus.* In *Cat. Bibl. S. Angeli ad Nidum Neapoli* (1750. fol.) p. 152. occurrit absque typographi indicio. Commemorat etiam talem fere editionem Vitarum, quae dimidia folii vltimi parte truncata erat, Cl. *Helmſchrot* P. II. p. 105 ſq. quam eandem cum hac eſſe nullus dubito, ſed lectorem curioſum ad eundem miſſum facio.

Sine

* *

Sine loco et typographi nomine. f. Vitaſpatrum. *Rosweydus* laudat et Germanicam ſibi videri addit.

1485.

Norimbergae, ap. Anthon. Koburger. f. Eaedem. *Weislinger Catal. Bibl. Ord. S. Ioh. Hieroſ. Argentorati* p. 110. Aliam eiusdem anni et formae, ſed *loco et typographi nomine* deſtitutam Rosweydus octauo loco commemorat. Alteruter errauerit, an vterque vera tradiderit, videant alii.

1500.

Venetiis, apud Bonet. Locatellum. 4. Vitaspatrum. Haec in titulo literis maiuſculis inter gothicos et rotundos mediis, quibus, minutioribus tamen, totum volumen exſcriptum eſt. *In fine.* Beatiſſimi Hieronymi Card. presb. ſancte rom. eccl. cath. doctoris praecipui Libris qui vitaſpatrum inſcribuntur: diligenter examinatis: vigilantique ſtudio emendatis: atque per punctas et comas diſtinctis: finem impoſuit Venetiis Bonetus Locatellus presbyter. Iuſſu impenſisque viri domini Nicholai ex Franchfordia oriundi. Anno ab incarnatione domini noſtri Ieſu chriſti. *Milleſimo quingenteſimo.* Octauo Idus aprilis. — Incipit ab iis quae ſequuntur ſubſcriptionem editionis 1483. pariterque ac illa paginis ſectis impreſſum eſt. Vtraque admodum luculenta.

Saec. XVI.

1502.

Lugduni, per Nicolaum Wolff de Iutreck. et venumdantur a Iacobo Huguetano. 4. F. Hieronymi Vitae S. Patrum. Titulus ſiſtit inſigne bibliographi

ligno quidem impreſſum, ſed quod aeris paene ἀκρίβειαν et nitorem refert cum inſcriptione: *La marque. de Jacques. Huguetan libraire en* ∴. *Hoc ſupra:* Vitaſpatrum. *Circum latera eiusdem verſiculi:*

Si uirtus animi rebus praeſtare caducis.
Creditur excultis nil dignum duxero libris.
Ecce parare tibi poſthac ſtudioſa iuuentus.
Ere potes modico quos multo impreſſimus auro.

Infra legitur: Venundantur lugduni ab jacobo huguetano eiuſdem civitatis bibliopola et cive in vico mercuriali ad angiportum qui in Ararin ducit. Et pariſiis in vico ſancti iacobi ſub diva virgine prope ſanctum benedictum. *In fine* ſubſcriptio, quae in ſuperioribus, additis: *Impreſſum Lugduni ameniſſima urbe. Per magiſtrum Nicolaum Wolff de Lutrea* MCCCCCII. *menſis Aprilis die vero* XXVIII. Expreſſa eſt Koburgeriana, charactere gothico minuto, paginis ſectis. Laudatam praeterquam a Rosweydo nusquam inuenimus. Praemittitur epiſtola dedicatoria *Hugonis Diſſuti* in utroque Iure Doct. Cabilonenſis Canonici, qua Ioanni de Ponpeto, I. V. D. Cabilonenſique Epiſcopo ac abbatialis monaſterii S. Petri prope muros Cabilonenſes Commendatario adminiſtratorique perpetuo operae ſuae praetium exponit, nihil ſani, nihil prorſus a mendis tutum ſuperioribus editionibus tribuens, ut ſibi ſoli omnem emaculationem debere intelligant.

1507.

Lugduni, per Jannot de Campis. 4. Eaedem cum eadem Io. Diſſuti praefatione. *Rosw.* In *Cat. Muſei Britt.* eiusdem anni et formae editio *ſine loco* proſtat.

1508.

1508.

Venetiis, per Bonnetum. 4. Eaedem. Vndecima apud *Rosweydum.*

1509.

Lugduni, per Steph. Balann. 4. Eaedem.

1512.

Lugduni, per Iacobum Sachon. 4. S. Hieronymi in vitas patrum celebre opus. *Rosw.*

Venetiis, apud Nicolaum de Francofurdia. 4. Idem opus. *Rosw.*

1515.

Lugduni, per Iac. Myt. 4. S. Hieronymi in vitaſpatrum percelebre opus, oculos mortalibus celumque aperiens.

Scandere celſa volens ſupremi ſydera celi
Me planum lecto quisquis habebit iter:
Hic cernet magno celum ſubiiſſe labore
Antiquos: levior ad datur aſtra via.

Venundantur Lugduni abs Iacobo Huguetan in vico Mercuriali ad angiportum, qui in Ararin ducit. *In fine:* Beatiſſimi Hieronymi Cardinalis presbyteri, ſancte Romane eccleſie Catholice doctoris praecipui Libris, qui Vitaſpatrum inſcribuntur, diligenter examinatis vigilantique ſtudio emendatis atque per puncta et commata diſtributis nuper finis imponitur. Impreſſis Lugduni per honeſtum Iacobum Myt. 1515. die vero XVII. menſe Auguſti. *Pray ind. libr. rar. Bibl. Bud.* T. I. p. 507.

1520.

Lugduni, per Iacobum Mareſchal. 4. Idem opus. *Rosw.*

1536.

Lugduni . . . S. Hieronymus de vitis Patrum. *Cat. Bibl. Barber.*

1537.

Lugduni, per Anton. Vincentium. 4. Idem. *Roſw.*

1547.

Coloniae, per Gaſparem Gennepaeum. f. Prototypon veteris Eccleſiae, continens Vitas, geſta, dictaque ſanctorum Dei amicorum vtriusque ſexus auctore ſeu rhapſodo S. Hieronymo partim, partim aliis atque aliis.

Adornauit hanc editionem frater Theodoricus Loher a Stratis Carthuſiae aulae Mariae in Bruxia Prior ac Prouincialis viſitator eamque dedicauit Principi Othoni S. R. E. Card. epiſcopo Auguſtano, quem in epiſtola ſua dedicatoria (d. Ratisponae a. 1546.) de opera in hunc librum impenſa edocet *ſe antiquis iisque fide dignis MSS. exemplaribus octo aut decem ſimul collatis textum recognouiſſe et reſtituiſſe, deinde in ordinem certum, juxta ſeriem et rationem temporum, quo quisque patrum huic illuxerit mundo, digeſſiſſe.* Conſtat haec editio quinque libris vt prima, ſed ordine multum immutato et quibusdam ex ſecunda editione et aliunde (Vlmenſi puta, quam ignorauit Rosweydus) additis. Rufini liber non continuo tractu, ſed dilaceratus exhibetur, nempe ex tribus, quibus liber primus conſtat, partibus, prima de ſanctis viris et ſecunda de ſanctis mulieribus permixta, et conſlata eſt e Rufino. Reliqua vide apud Rosweydum.

1548.

Ibidem, apud eundem typogr. f. Vitae ſanctorum Patrum veteris Catholicae atque Apoſtolicae Eccleſiae

cleſiae dicta geſtaque inſignia et admiranda excellentium aliquot Dei amicorum vtriusque ſexus complectentes, auctore D. Hieronymo partim, partimque aliis atque aliis, quos verſa pagella noſſe poteris. Accepta et approbata ab Eccleſia Catholica ante annos plus mille quinquaginta.

Ab eodem editore proficiſcitur, qui nouam tamen epiſtolam dedicatoriam (d. Auguſtae XII. Kal. Febr. 1548.) ad Henricum Abbatem Coenobii Ord. D. Bened. in Wiblinghen Conſtantienſis dioeceſis praemiſit, in qua *a plus mille erroribus ad vetuſtiſſima pariter ac diuerſa exemplaria vitas Patrum repurgaſſe ſe* affirmat. Quod vtrum de iterata hac opera eius, an de cura vniuerſa intelligendum, nouane editio ſit, an titulus tantum prioris mutatus, neſcire ſe Rosweydus fatetur. Ordo idem eſt ac in ſuperiore et Rufiniani operis eadem plane ratio, omninoque nihil differre Fontaninus ſcribit.

1596.

Compluti, apud Io. Gratianum. 4. Vitae Sanctorum Patrum. *Rosweydus.*

SAEC. XVII.

1615.

Antverpiae, ex off. Plant. f. Vitae Patrum de Vita et Verbis ſeniorum ſiue Hiſtoriae Eremiticae libri X. Auctoribus ſuis et nitori priſtino reſtituti ac Notationibus illuſtrati Opera et ſtudio *Heriberti Rosweydi* Vltraiectini e Soc. I. Theol.

Totius huius operis ratio ad nos haud pertinet. Sufficit indicaſſe, quaenam Rufini partes in eo ſint. Vitae ſcilicet Patrum Eremitarum librum ſecundum huius collectionis conſtituunt. Editor autem non

veritus eſt totum etiam tertium librum *Verba Seniorum* inſcriptum et in ſectiones CCXX. diuiſum, cuius prologus *fere mundum quis dubitet meritis ſtare ſanctorum,* Rufino deferre. Cuius iudicii ſui cauſam tam vniuerſam ſtili ſimilitudinem, quam ſingulorum in vtriusque libri prologo locorum conuenientiam praetendit, quae poſterior tamen vix admittenda erit, ſed diuerſum potius auctorem Rufini imitatorem prodere videtur. In prolegomenis, vt ſupra iam indicauimus, fuſius de fatis omnium horum ſcriptorum de vitis Patrum et Rufini libris diſputat. Singulis libris notas haud vulgaris eruditionis plurimumque criticas adiecit.

1617.

Lugduni . . . . fol. Vitae Patrum. Studio *Heriberti Rosweydi.* Repetitio Antuerpianae.

1628.

Antuerpiae, ex off. Plant. f. Vitae Patrum ſtudio *Herib. Rosweydi* editio ſecunda varie aucta et illuſtrata.

Rufini liber I. a p. 445-491. extenditur. Secundus, qui ibi tertius eſt, a p. 492-535.

✣ ✣

Verſiones. Mature in *Graecam* linguam traductam eſſe Hiſtoriam eremiticam, haud temere Fontaninus aſſeruit. Extat enim etiamnunc in MSS. codd. pura puta haec verſio, a Palladii Hiſtoria Lauſiaca plane diuerſa ſub *Hieronymi* nomine. Talem in Biblioth. Coisliniana ſe deprehendiſſe notauit *Montefalconius* p. 198. ſub titulo *Hiſtoriae monachorum Aegypti,* cuius verum auctorem ille quidem ignorabat, vt ante eum *Io. Meurſius,* qui in praefatione ad Palladii

Palladii Hiſtoriam Lauſiacam, quam graece vulgauit, penes ſe librum eſſe inquit *de Vitis Patrum Aegypti* a noſtro haud dubie nequaquam diuerſum. Quid? quod *Coteleriuſ* adeo in *Monum. graec.* T. III. p. 171. praefationem et partem huius verſionis ex Codicibus Colbertinis et Regiis, quos laudat p. 564. ediderit, vbi in Cod. Colbertino 1213. Rufini Hiſtor. Graece ſcriptam et Hieronymi *Preſb. Dalmatae* nomen praeferentem, poſt Palladii Lauſiacam extare annotauit. Fragmenta etiam huius verſionis ex Codd. Venetis et Auguſtanis Rosweydus accepiſſe ſe ſcribit Proleg. IV. §. VIII. p. XXIII.

Nec Graece ſolum verſa eſt, ſed in *Syriacam* et *Arabicam* linguam etiam transfuſa, vt Fontanino Maronita quidam narrabat. Frequentiſſime denique linguis recentioribus loqui docta, quarum verſionum antiquiſſimae ſunt *Italicae*, plurimae *Gallicae*, nec *Belgicae*, *Germanicae* et *Anglicae* deſunt.

Italica I. 1476. *Venetiis, apud Anthon. Bartholomaei.* f. in libros VI. diſtincta, quorum I. Hieronymi nomen gerens ex diuerſis auctoribus, ſed maximam partem Rufino, conſtat.

Italica II. 1589. *Venetiis, apud Gurras* (in typograph. *dei Guerra*) 4. cum figuris ex noua interpretatione Io. Marci Verdizotti. — Has duas commemorat Rosweydus; ſed longe plures intra paucorum annorum ſpatium ſaeculo decimo quinto Italia vidit, quarum *octo* vnus *Franciſci Car. Alter* libellus (bibliograph. Nachrichten Wien 1779. 8.) profert, nempe 1) 147 . in *Vinetia* impreſſe da *M. Gabriel di Pietro da Triviſio.* f. nitidis characteribus, columnis ſectis. 2) 1477. in *Vicenza* per *Herm. Liechtenſtein.* f. 3) 1479. in *Vinetia* per *M. Nicolao Giran engo.* f. 4) 1483. in *Venezia* per *Bernardino di Pino da Como.* f. 5) 1490. in *Milano* pergli

 diſcreti

diſcreti Compagni *Leonardo Pachel* et *Hulderico Scinzenzeller.* f. literis gothicis minuſculis, absque ſignaturis. 6) 1493. in *Vinegia* per *Gioanne.* f. 7) 1499. in *Milano* per *M. Vld. Scinzenz.* f. 8) 1409 in *Venezia* per *Criſtof. di Penſa.* f.

Gallica I. 1486. *Lugduni*, laudatur in editione Anglica mox adducenda.

Gallica II. 1494. *Pariſiis, ap. Io. Duprè.* f. cum figuris, interprete anonymo. Ex ſecunda latina expreſſum monet Rosweydus.

Gallica III. *Pariſiis,* absque indicio *anni et typographi* 4. cum figuris. Cum praecedente plane convenire ac forte ea priorem eſſe Rosweydus notat.

Gallica IV. 1605. *Pariſiis apud Guillelm. Chaudiere* 4. cum figuris interprete anonymo. Ex tertia latina expreſſam vult Rosweydus. Quatuor libros tantum continet omiſſo toto quinto libro et Paſchaſio.

Gallica V. 1606. *Pariſiis, ap. Guil. de la Neve.* 8. Interprete *Iacobo Gaultier.* Continet primum et ſecundum librum Rosweydi collectionis ex ed. ſecunda latina.

Gallica VI. 1657. *Pariſiis, apud Petrum Petitum.* 4. interpr. *Arnoldo Andillio* Tomi II. ed. IV.

Gallica VII. *Foſſeo* interprete laudatur a Tillemontio in Vita S. Apollonii T. X. p. 36.

Belgica I. 1490. *(Zwollae)* ap. *Petrum van Os.* f. Conſtat tribus partibus varie diſpoſitis et mixtis. Rufini librum totum continet.

Belgica II. 1498. *Delphis*, apud *Henricum Ekert van Hombrech.* f. priori ſimilis.

Belgica III. 1511. *Leydae*, apud *Io. Severſoen.* f. ſequitur priores.

Germanica. ſine anni et loci indicio; f. cum figuris. Conuenit fere cum Belgica editione. Rufini vitae a folio LXXXV. circiter ad CLXI. extenduntur.

Anglica.

Anglica. 1495. *Weſtmonaſterici apud Wynkyn de Worde.* fol. interprete *Guilelmo Capton*, ad editionem Gallicam Lugdunenſ. 1486. confecta eſt.

* *

Codices. Ex pluribus harum Vitarum codicibus, qui Rosweydo praeſto fuerunt, Rufini librum exhibebant:

MS. S. Floriani. f. in membrana ante annos DCCC. ſcriptus.

MS. Ingolſtadienſis Collegii Soc. Ieſu. f. in membrana ſcriptus valde vetuſtus.

MS. Audomarenſis ex eccleſia collegiata S. Audomari, vetuſtus et maxime perfectus. Librum Rufini ſub ipſius nomine exhibet.

MS. Affligenienſis ex Abbatia S. Petri apud Aloſtum in folio, membrana bonae notae.

MS. Crisbinienſis ex monaſterio Ord. S. Bened. apud Valentianas. f. in membrana ſcriptus a vetuſta manu.

MS. Aquicinctinus ex coenobio Ord. S. Bened. apud Duacum. f. in membrana.

MS. Laetienſis maior ex monaſterio S. Bened. ſub Patrocinio S. Lamberti f. in membrana. Liber ſecundus hic *Poſthumiano* adſcribitur et dicitur ad *Phydoſum* miſſus.

MS. Laetienſis minor, olim S. Michaelis in Sarto. 4. in membrana.

MS. Bonae Spei ex Abbatia eiusdem nominis Ord. Praemonſtrat. apud Binchium Hannoniae oppidum. 4. obl. in membrana charactere bono et vetere. Fragmenta tantum ex diuerſis libris et *Rufino* continet.

MS. Moretianus. f. in membrana, non valde vetuſtus quidem, ſed plurima continens. *Rufini* librum

Poſthumiano vt Laetienſis maior adſcribit. A filiis D. *Moreti* acceperat Rosweydus.

MS. S. Iacobi in Inſula vbi eſt Abbatia Ordin. S. Bened. Leodii. f. in membrana a. MCCCXII. ſcriptus.

Ex eadem Abbatia habebat libellum chartaceum, 8, in quo *vita S. Onuphrii* erat recenti manu.

MS. Camberonenſis ex Abbatia S. Mariae de Camberone Ord. S. Bernardi apud Athum in membrana, f. recentiore manu. Liber Rufini ſub hoc titulo venit: *Incipiunt actus SS. Patrum a Poſthumiano monacho editi et ad Fidoſum miſſi.*

MS. Claromareſcanus ex Abbatia S. Mariae de Claromareſco iuxta Audomarum, Ord. S. Bernardi, f. in membrana charactere bono, ſed non valde veteri. Liber Rufini nulli auctori inſcriptus eſt.

MS. S. Mariae Bibrach in Germania, f. in membrana, charactere vtcunque vetuſto.

MS. S. Petri in Munſter. f. in membrana, recentiore charactere quaedam tantum ex libro Rufini continet.

MS. S. Sepulcri Maior ex monaſterio S. Sepulcri, quod Cameraci eſt Ord. S. Bened. f. chartaceus recentiore manu. Rufini liber Palladio tribuitur et ab Hieronymo Graece verſus dicitur.

MS. S. Sepulcri Minor. 4. in membrana, manu recenti. Librum Rufini Hieronymo tribuit.

MS. Carthuſianorum Mariae de Gratia prope Bruxellas, f. in membrana ſcriptus a. 1460.

MS. Ruraemundanus ex Collegio Soc. Ieſu Ruraemundae, f. in membrana, ex ed. prima videtur exſcriptus.

MS. Sionius monaſterii religioſorum de Sion Ord. S. Auguſtini Cortraci, f. chartaceus ſcr. a. 1469. haud dubie ad ed. primam.

3. *Baſi-*

3.

Baſilii M. regula ſeu *inſtituta Monachorum.*

Haec Rufini verſio, vt ab ipſo olim in Italia vulgata erat, S. Benedicti aeuo vulgo *Regula S. Baſilii* audiebat, atque tunc temporis et in ſequentibus ſaeculis frequenti lectione per monaſteria verſabatur. At recentioribus a typographia inuenta temporibus non admodum typis frequentata eſt. Primus eam vulgavit *Iohannes Franciſcus Brixianus* Monachus Congregationis S. Iuſtinae, anno

1500.

Venetiis, apud Lucam Antonium Iuntam. 4. In libro, cui titulus: *Quatuor primum approbatae religioſis quibusque viuendi formulae.* Haec editio poſtea renouata eſt

1519.

Pariſiis, apud Io. Petit. 4. vbi tamen, vt Fontaninus obſeruat, qui in codicibus MSS. eſt *Vrſeius*, mendoſe appellatur *Vrſarius*, fortaſſe *Vrſacius* dicendus. Monachus Brixianus adnotauit in fine, hanc regulam in ſuo fonte apud Graecos ampliorem et in ordine accuratiorem haberi, eamque ſe *cum aliis eiusdem Baſilii diuerſis tractatibus Rufino* interprete propediem Latinis donaturum.*) Ad manus noſtras eſt editio operum Baſilii M. latina ex interpretationibus Io. Argyropuli, Geo. Trapezuntii et Raphaelis Volaterrani, anno

1523.

Pariſiis, apud Iod. Bad. Aſcenſ. f. parata, in qua *Regula de Inſtitutione Monachorum* Rufino interprete

*) *Fontan.* lib. V. cap. I. p. 207.

terprete a folio CLVI. vſque in finem legitur. Fol. CLV. extremo praefatio Rufini in opus ipſum, quod capitibus centum conſtat, legitur. In fine praecedentis opuſculi ſubſcriptum: *Finis Operum D. Baſilii* M. per R. Volaterranum *traductorum. Sequitur Regula* et quaedam alia per Rufinum translata. *Quorum ſimilia fere in ſuperioribus habentur opuſculis.* Id quo ſit referendum, non video, cum in ipſo hoc opuſculo totum volumen definit. Niſi forte ex vltima ſubſcriptione diuinare aliquid audeas, quae ſic ſonat: Explicitae ſunt Inſtitutiones Monachorum S. Baſilii M. Caeſarienſis epiſcopi. Sub cuius regula militant omnes Monachi orientales et in Aſia ferme et Graecia, et olim etiam Carmelitae, vt et nunc, non ſane multis mutatis. *Epiſtola ad B. Gregorium Nazianzenum prius inter translata ab R. Volaterrano poſita eſt.* — Ita vero et hanc Rufinianae translationi deberi exiſtimauerit oportet editor vel edendorum auctor ſaltem Iacobus Faber Stapulenſis. Caeterum hic quoque *Vrſarius* pro *Vrſacius* exſcriptum eſt. Repetita eſt, ſi quid iudico, haec editio, anno

1531.

Coloniae, apud Euchariuni. f. quam Fontaninus laudat.

1575.

Coloniae, apud Geruinum Calenium. f. Eadem regula, acceſſit Regula S. Benedicti, Commentario illuſtratae per *Iohannem* Cardinalem *a Turrecremata* p. 537.

Vera ac germana prae caeteris Rufini interpretatio creditur, quae laudatur in Concordia Benedicti Anianenſis, cuius Codici Regularum ſeorſum inſeritur. Hinc ad membranas Colonienſes, olim ex autographo

tographo S. Mariani Treuirenſis deſcriptas, vbi Rufiniana Regula primo loco legebatur, ad amuſſim expreſſam euulgauit *Lucas Holſtenius* anno

1661.

Romae, ap. Vitalem Maſcardum. 4. in editione *Codicis Regularum quas SS. Patres Monachis et Virginibus Sanctimonialibus praeſcripſere. Collecta olim a S. Benedicto Anianenſi Abbate.* Parte Prima.

Ex Membranis Colonienſibus deſcripſerat et ad Lucam Holſtenium editionis cauſa miſerat an. 1643. Fabius Chiſius Neritinorum tunc Epiſcopus ſedis Apoſtolicae apud Vbios Apocriſarius, poſtea ſummus Pontifex Alexandri VII. nomine. Mox

* *

Pariſiis, ap. Ludouicum Billaine. 4. eadem editio repetita eſt et nuper admodum anno

1759.

Auguſtae Vindelicorum. Sumpt. Ignatii Adami et Franc. Ant. Veith. f. cum *eodem Codice a Mariano Brockie* multis acceſſionibus *aucto, amplificato* et in ſex Tomos diuiſo *Tomo I. parte prima* p. 67-108. haec Baſilii Regula recuſa eſt.

Praeterea de quodam conſilio edendae huius Regulae Rufinianae vna cum aliis eiusdem operibus, initio ſaeculi XVII. neſcio quibus auctoribus ſuſcepto, ſed quod exitum non habuit, Fontaninus in medium profert verba ſequentia praefationis in opera S. Baſilii gr. lat. *Pariſiis apud Mich. Sonnium* a. 1617. in folio impreſſa: *Exſtat etiam aſceticorum librorum epitome vel certe regularum fuſius expoſitarum, quam latinitate donauit Rufinus Aquileienſis, ac librum de inſtitutis monachorum appellauit, eaque Coloniae vna cum*

cum caeteris Rufini ſeorſim edetur, praeſertim cum ordinem Regularum non ſeruet, quem Baſilii opera prae ſe ferunt. Idem obſeruat, Frontonem Ducaeum ibidem Tomo II. p. 28. col. 2. in notis ad *Regulam fuſius diſputatam* emendationes latinae verſionis Rufini ex duobus MSS. codicibus Puteanis inſeruiſſe. Porro aliam Baſilii regulam eſſe, quam Proſper Stellartius in libro, cui titulus: *Fundamina et regulae omnium ordinum*, edito *Duaci per Balthaſſarem Bellerum* a. 1626. 4. p. 138. attulit. Denique hos inſuper et obiter quidem *Codices* Fontaninus laudauit, 1) vnum peruetuſtum membranaceum Bibliothecae Sanctae Crucis in Hieruſalem. 2) alterum vetuſtiſſimum Bibliothecae Sancti Germani a Pratis, in quo in ducentas interrogationes totidemque reſponſiones iisdem ſubiectas Regula diuiſa ſit.

4.

Baſilii M. Homiliae VII. a Rufino conuerſae.

Hae non niſi a *Iuliano Garnerio* in ed. Operum S. Baſilii, Pariſiis 1722. Tomo II. p. 713. ex *Codicibus Regio* et *Colbertino* editae ſunt. Easdem in codice Bibliothecae Vaticanae Vrbinate n. 67. membranaceo deprehendit *Fontaninus.* *)

In Benedictina Operum S. Auguſtini editione poſt initium Tomi IV. exſtat *S. Baſilii praefatio ad Commentarium in Pſalmos* olim S. Auguſtino attributa, quam editionis illius auctores interpreti *Rufino* transſcribunt, quod item in codice Bibliothecae Thuaneae T. II. p. 456. fieri Fontaninus obſeruat. Haec eſt *praefatio Homiliae I. S. Baſilii*, a Rufino latine translata: quam pariter Thomaſius vtrique Pſalterio editionis I. et II. p. XI. et XLIII. praepoſuit. *Fontan.*

5. *Pam-*

*) l. l. cap. VIII. I. p. 299.

5.

Pamphili Apologia pro Origene a Rufino conuerſa.

Ex ſex libris, quibus haec Apologia conſtabat, ſolus *primus* a Rufino latine redditus eſt. Reliquos, quorum quatuor ab Euſebio et Pamphilo coniunctis ſtudiis, ſextus ab Euſebio ſolo compoſiti erant, non attigit. Fuit haec ex cauſis vna, quas cum aliis non grauioribus ad derogandum vero auctori librum Hieronymus excogitauit, et Fontaninus ſeuera lance expendit. Lib. V. cap. V. III. p. 254 ſqq. Inſertus eſt hic liber vna cum Rufini Apologia in variis Origenis et Hieronymi editionibus, veluti *Hieronymi Martianaea*, Tomo V. p. 219-249. *Origenis Ruaei*, Tomo IV. inter Opera ad Origenem ſpectantia primo loco, ad ſex codices MSS. 1. Corbeienſem tum S. Germani a Pratis noni ſaeculi. 2. Regium. 1641. XIII. ſaec. 3. Sorbonicum. 4. S. Remigii Remenſis. 5. S. Vitoni. 6. S. in periculo maris, nec non eos, ad quorum fidem libri *de principiis* emendati erant, collatus praeuiaque docta et ampla Admonitione.

6.

Origenis libri IV. de Principiis et Homiliae.

Reperiuntur haec opuſcula ex Rufini interpretatione in omnibus Origenis operum editionibus. Librorum *de principiis* prima editio videtur eſſe ea, quae cum *variis Origenis operibus* ſtudio *Conſtantii Hierothei* Canonici regularis Sancti Saluatoris facta eſt *Venetiis apud Lazarum Soardum.* 1514. fol. Hinc in Eraſmianas tranſiit. In nouiſſima *Ruaei* extat Tomo IV. Quod Homilias attinet, hae pariter in omnibus

bus operum deſcriptionibus cum latinis tum graece ac latine editis proſtant. Ne quis autem miretur, ſi intellexerit, in antiquioribus non Rufino ſed Hieronymo earum interpretationem tribui: in omnibus codicibus MSS. idem fieri diſcat. In quibus inſuper prologi plerumque omnium librorum inuidiae euitandae gratia reſecti ſunt, ne Origenis errorum metu, quorum ſuſpicione Rufinus premebatur, lectores ab emendo deterrerentur, vt Eraſmus libere in cenſura Homiliis in Geneſin addita edixit. Vnum, ſi bene memini, commemorat Fontaninus, qui *Rufinum interpretem* ſimpliciter adſcriptum habuerit, codicem Homiliarum in Leuiticum Bibliothecae S. Antonii Venetiis, ſed quae incendio interim abſumta eſt. In editione Ruaei Homiliae in *Geneſin*, *Exodum*, *Leuiticum*, *Numeros*, *Ioſue*, et *Iudices* Tomo II. (1733.) p. 52 vſque ad 489. in *Pſalmos* ibid. a p. 654-700. *Libri decem in Pauli Ep. ad Romanos* Tomo IV. (1759.) pgg. 458-689. leguntur. Praeterea peculiares quasdam occurrunt editiones, quas iuxta Fontaninum enumeratas dabimus.

Coniunctim *Origenis* Homilias in *Geneſin*, *Exodum*, *Leuiticum*, *Numeros*, *Ieſu Naue* et *librum Iudicum*, diuo *Hieronymo interprete*, primus omnium edidit *Aegidio Viterbienſi diuinorum verborum oratori excellenti*, *Ordinis eremitarum*, poſtea S. R. E. Cardinali, nuncupatas, *Aldus Manutius*, Venetiis 1503. *fol.* Editioni operam ſuam commodauit Monachus, qui nomen ſuum in praefatione reticuit, multum ſe debere profeſſus ſodali ſuo in coenobio Patauino Sanctae Iuſtinae, Hieronymo a Valentis, Hiſpano. Quamquam autem vniuerſi operis interpretem Hieronymum facit, nimirum quod in codicibus MSS. vnde illud eruit, pro Rufino ab librariis *Hieronymum* ſcriptum reperiſſet, vt eius nomine volumen acceptius

euaderet:

euaderet: prologum tamen, quem in codicibus repererat, tanquam alienum ac Hieronymo haud dignum praetermiſit. *Haud quidem dubitare ſe*, inquit, *tam auctorem quam interpretem absque prooemio opus edidiſſe, verum ſcriptorum incuria ad nos minime perueniſſe.* Recuſa eſt haec editio iterum a *Bernardino Benalio, Venetiis* 1512. fol.

Homilias in Leuiticum in libros XVI. digeſtas *Rufini* nomine ex Codice Corbeienſi primus vulgauit *Iodocus Clichtoveus, Luteciae* typis *Wolfgangi Hopylii* 1514. *fol.* Perperam *Cyrillo* tribuuntur in latinis Patris eius editionibus, ex quibus duas prae caeteris appellat Fontaninus, *Colonienſem per Melch. Noueſianum* 1546. tomis duobus in *folio,* accurante *Petro Caniſio*, factam, in quo Tomo I. p. 41. extant; et *Pariſienſem* apud *Mich. Sonnium* a. 1573. *fol.* vbi p. 66. reperiuntur.

Homiliarum in Numeros prologus, qui ſicut reliquarum etiam praefationes in editionibus typis deſcriptis et codicibus deſideratur, ſeorſum in quibusdam codicibus reperitur, quorum complures apud Fontaninum lib. V. cap. VII. p. 286 ſq. enumeratos videas. Editus autem eſt ex codice Bigotiano ab Henrico Valeſio in notis ad Hiſtoriam Euſebii lib. VI. c. XXXVIII. et pluribus collatis Petro Franc. Chiffletio in Paulino illuſtrato Parte II. c. XXV. qui tamen non *Vrſacio*, ſed *Donato* inſcripſit. De quo errore eiusque occaſione accurate Fontaninus.

Homiliarum in librum *Ioſue* codicem MS. ſubnotauit Fontaninus ex Bibliotheca MS. Antonii Auguſtini edita *Tarracone* apud *Philippum Mey* 1587. 4. cod. 48. hoc lemmate: *Origenis Alexandrini, qui et Adamantius, in librum Ioſue Homiliae XVI. Beato Hieronymo interprete, vel Rufino, ad Chromatium.*

matium. Liber in membrana annorum CCC. et vltra, forma quadrati.

Homilias IX. in *Iudices* a *Rufino* translatas et cum prologo ad *Apronianum* directas poſt *Merlini* primam editionem latinam Operum Origenis (Pariſ. 1512.) vulgauit *Conſtantius Hierotheus* cum aliis Adamantii Operibus in Nouum Teſtamentum, praemiſſa Apologia Iacobi Merlini pro Origene, *Venetiis* apud *Lazarum Soardum* 1516. *fol.* Occurrunt ibi poſt Homilias in Lucam fol. LXXXVII., extantque etiam in *Codice MS. Vaticano, Urbinate* 65. fol. 34. p. 2. *Fonton.*

Homilias in *Cantica Canticorum incerto interpreti* adſcriptas Ioannes Martianaeus coniecit in Tomum V. Operum Hieronymi p. 603. In quibusdam codicibus Hieronymo et Ambroſio tribuuntur. Nec Eraſmus verum auctorem agnouit. Sed Caſſiodorus Diu. lect. cap. V. Rufinum facit interpretem et firmat Codex Petri Pithoei, ſic inſcriptus: *incipit Tractatus Origenis in Cantica Canticorum a Rufino translatus in Latinum.*

Commentarii in Epiſt. Pauli ad Romanos. Hos *Theophilus Salodianus* ordinis Fratrum obſeruantium, de quo in ſcriptoribus Minorum ſilet Lucas Waddingus, in Feſulani Monaſterii bibliotheca *Hieronymi* interpretis nomine a ſe repertos foras emiſit *Venetiis apud Simonem de Luere.* 1506. *fol.* nuncupauitque Alexandro Portenſi Vicetino, equeſtris ord. viro. Recudit poſtea idem opus *Bernardinus Benalius* 1512. fol. operumque Origenianorum collectioni ſuae deinde inſeruit Eraſmus. *Prologum Rufini* ad *Heraclium,* Hieronymum auctorem arbitratus Ioannes Martianaeus inſeruit epiſtolis ab ſe nouo ordine digeſtis Tomo IV. n. CVII. p. 808. Codices MSS. quosdam obiter notat Fontaninus p. 297.

7. *Grego-*

7.

Gregorii Nazianzeni opuſcula X. a Rufino latinitati donata.

Ipſe Rufinus in Hiſtoria eccleſiaſtica *denas* Gregorii *oratiunculas* a ſe conuerſas notauit. Has primus *Iohannes Adelphus* Mulingus luci dedit *Argentinae* 1508. hoc titulo: *Hi ſunt in hoc codice libelli X. Gregorii Nazianzeni.* — Ad calcem: *Explicit liber B. Gregorii Nazianzeni, translatus a quodam Rufino, impreſſus Argentinae per Iohannem Knoblouch anno* MDVIII. 4. Editor librum dicat Geargio Bohem, Moguntinae, et Ioanni Flamingo, Boppardienſis eccleſiarum presbyteris, quibus palam facit, ſe Ioanni Franciſco Pico, Mirandulae Comiti, neceſſitudine iunctum, ſeque ſcripta Rufini in lucem ferre, ne tandem pereant. Prodierunt deinde cum aliis Nazianzeni operibus ex interpretatione *Petri Moſellani* et *Bilibaldi Pirckheimeri*, Lipſiae 1522. 8. *Fontan.* Aliam editionem a Fabricio etiam praetermiſſam memorant recentiſſimae Nazianzeni Operum editionis conditores, Monachi Benedictini (Pariſiis 1778. T. I.), ita inſcriptam: *Gregorii Nazianzeni* cognomento *Theologi orationes XXXVIII. tractatus, ſermones, et libros aliquot latine, Bilibaldo Pirckheimero, Rufino Presbytero, et Petro Moſellano interpretibus, ex editione Ioannis Straub et Deſiderii Eraſmi.*

Denique de *codicibus* Rufini Gregorianis *MSS.* ſingulatim paucis egit Fontaninus, quae repetere haud poeniteat.

Vaticani codices n. 4259. et 5259. exhibent opuſculum ſecundum de *Natali Domini.*

Vrbinas 72. *Apologeticum* vna cum prologo ceteriſque opuſculis comprehendit, non tamen de *Nicaena Fide deque Arianis.*

Palatinus 566. Apologeticum quoque cum prologo. Hic libellus ſeruatur etiam in Bibl. S. Crucis in Agro Seſſoriano poſt regulam paſtoralem S. Gregorii cod. 109. et exta in Bibl. Bodleiana inter MSS. Io. Seldeni n. 3423.

Codex Noruicenſis n. 9333. caetera opuſcula ſub *prologo* ad *Apronianum* complectitur.

Codex Baluzianus Ruſiniana Nazianzeni opera complectens (Cat. Bibl. Baluz. T. III. p. 24.) in Regiam transit.

Codicem Regium n. 313. in quo aliquot Gregorii orationes ex verſione Rufini exſtent, Labbeus in Bibl. min. ſuppl. p. 274. laudat.

8.

Sixti Sententiae.

Enchiridium etiam vel *Annulus* inſcribuntur. De Auctore Sixtinae huius ſententiarum collectionis iam ab ipſa Rufini aetate contrariis opinionibus diſceptatum fuit, aliis Ethnicum aliis Chriſtianum cenſentibus. Fuerunt, qui ad Sextium philoſophum Stoicum a Seneca laudatum; alii, qui ad Pythagoraeum neſcio quem referrent; alii rurſus Sixtum II. Pontificem Rom. et Martyrem auctorem eius fecerunt. Plurima editorum pars, vt alios innumeros ſcriptores taceam, in hac quaeſtione occupata fuit, nec tamen multum, ſi quid video, profecit. Erat quidem ſaeculum illud post Chriſtum natum ſecundum gnomographis huius generis fertile. Potuit autem liber varie poſtmodum a gentilibus et Chriſtianis interpolari. Et ſane a Rufino admodum interpolatus eſt et immutatus. Quid obſtat igitur, quo minus Hieronymus, cui alias, ob inuidiam, qua in Rufinum commouebatur, parum equidem tribuerim, vera dixerit, Ethnicum primarium

rium ſcilicet auctorem ſtatuens? Quid? quod Galeus obſeruauerit, Rufinianarum ſententiarum codices adeo inter ſe diſcrepare, vt ferme conſtet, duas Xyſti editiones antiquitus prodiiſſe. Alios enim codices plures, alios pauciores ſententias comprehendere. Alibi multa repeti, interdum ordinem immutari. Alia quoque exemplaria non vno tenore procedere, ſed duas partes conſtituere, quod poſterius etiam ab Hieronymo notatum Fontaninus animaduertit. Denique Galeus nullum ſe codicem nactum affirmat, cui ex accurata praedictorum collatione non aliqua acceſſio fieri poſſet. Prima editio fuit *Symphoriani Champerii* a. 1507. In ſequentibus, quarum hic indicem ſtatuimus, eminent editiones *Hilleſemii*, *Galei* et *Siberi* quae eſt nouiſſima.

1507.

Lugduni, apud Jannot de Campis. 4. Sixti Annulus cum prologo ad Apronianum cum *Symphoriani Champerii* libro de *Quadruplici Vita.* Miratur editor in praefatione ad Philibertum Naturellum, librum eximium *a nemine Gallorum* ante, quod ſciret, impreſſum.

1514.

Wittenbergae, in officina Grunenbergi. 4. Idem. cum *Pythagorae* aureis carminibus.

1516.

Baſileae, apud Io. Frobenium. 4. cum aliorum quibusdam ſcriptis hoc titulo: *Aeneae Platonici Chriſtiani de immortalitate animae deque corporum reſurrectione Dialogus, qui Theophraſtus inſcribitur, Ambroſio Camaldulenſi interprete.*

Athenagoras Athenienſis de reſurrectione, Marſilio Ficino interprete.

Xyſti Pythagorici ſententiae, Rufino interprete. Rhenanus in epiſtola ad Paulum Volzium, Abbatem Hugonicae Curiae in Valle Vogeſina, inque altera, qua praefatur in *Xyſtum*, ait, huius ſententias, ad *antiquum exemplar*, quod *apud Diuam Fidem Seleſtadii* extiterit, ab ſe recognitas. Vtraque editio vt inter ſe conferantur, optat Fontaninus p. 304. Diſcrepant imprimis quoad prologum.

1518.

Louanii. 4. Eaedem. *Font.*

1520.

Baſileae. 4. Haud dubie Repetitio Rhenanianae.

1522.

Coloniae Agr. 4. Eaedem.

1541.

Pariſiis. 4. Eaedem.

1552.

Venetiis, ad ſignum Spei. 12. Eaedem. Sine *prologo.* fol. 122. poſt indicem libelli ſic inſcripti: *Dicta pretioſa ſiue loci communes ex omnibus fere doctoribus qui in ſacris literis ſcripſerunt, per Defenſorem Theologum vetuſtiſſimum excerpti.*

1574.

Coloniae, apud Maternum Cholinum. 8. Sententiae Sixti aut Xyſti quae verae ſapientiae praeceptis refertae ſunt et ad coeleſtem diſciplinam animos informant, *Ludouici Hilleſemii* Andernaci docta explanatione illuſtratae. Sine *prologo.* — Praeter commentarium legentium commoditati ſuccurrit ſententiarum diſtinctione per numeros in margine indicata. Dicauit Gregorio XIII. S. Pont.

1575.

1575.

Pariſiis, ap. Mich. Sonnium. Eaedem ex Hilleſemii editione, ſed notis omiſſis in *Bibl. PP. Bign.* T. III. p. 962. Ad eandem etiam in reliquis Bibl. PP editionibus 1589. 1609. 1624. 1634. 1644. (1654.) Tomo VI. Colonienſi 1618. T. III. et Bibl. Max. Lugd. 1677. T. III. deſcriptae ſunt, in quibus omnibus *prologo* carent.

1615.

Helmſtadii, ap. Iac. Lucium. 12. Gnomae ſive ſententiae de moribus, non minus eruditae, quam piae, Xyſti philoſophi, Laurentii Piſani et Thalaſſii epiſcopi, nunc primum ſeorſim editae ſtudio *Iohannis a Fuchte.* ſine *prologo* quoque.

1670.

Cantabrigiae, ap. Io. Hages. 8. *Sexti* Pythagorei ſententiae e Graeco in Latinum a Rufino verſae. et Xyſto Romanae eccleſiae epiſcopo falſo attributae cum *Opuſculis mythologicis Thomae Galei.* 1671.

Textum deſumſit Galeus ex Bibl. PP. Rhenanianam haud ſibi viſam faſſus. Hinc etiam prologus deeſt.

1725.

Lipſiae, in offic. Weidmanniana. 4. S. Sixti II. Philoſophi Pontificis R. et Martyris *Enchiridion* vt Chriſtianum Saec. III. Monumentum iuxta Codicem Beati Rhenani edit, obſeruationibus illuſtrat, aduerſus S. Hieronymi, Gelaſii, I. M. Braſichellenſis etc. Cenſuras vindicat, Concilioque Romano ſub Auſpiciis Benedicti XIII. P. R. A. R. S. MDCCXXV. conuocato, ad reſtituendam libri famam off. offert *Vrbanus Godofredus Siberus* Prof. Lipſ.

Quodſi editor famam libri reparari poſſe putabat, demoſtrando, auctorem niſi primarium, potioris tamen partis fuiſſe Chriſtianum, nihil reliquiſſe cenſebitur, quod ad hanc illi gloriam vindicandam ſpectare poſſit. Tam docte enim quam ſagaciter fontes plerarumque ſententiarum in ſacris aut antiquiſſimorum chriſtianorum ſcriptis indagauit et ex iis potius quam ex veterum graecorum doctrina deriuandas eſſe probauit. Sin in eo contineri libri exiſtimationem cenſuit, vt a Sixto II. Pontifice profectus putaretur, nimium probaſſe magis, quam verum videbitur. Caeterum ordo et deſcriptio commodiſſima eſt et omnino ad gratiam lectorum promerendam aptiſſima.

9.
Euagrii opuſcula.

Conſtat ex Hieronymi (ad Cteſiphontem) teſtimonio, Rufinum aliquot Euagrii opuſcula latine interpretatum eſſe et diſertis verbis *ſententiarum illius* verſionem ei tribuit Gennadius cap. XVII. Sed cum non vnus Euagrii liber hac inſcriptione olim extaret, per ſe quidem haud facile dirimi poſſet, qualis ille liber fuerit, niſi alter eiusdem Gennadii locus quodammodo ſubuenire huic dubitationi videretur. Is enim cap. XI. Euagrii ſcripta recenſens *quinquaginta ſententiarum librum* commemorat, quem ego, inquit, Latinum primus feci. *Nam* ſuperiorem *olim translatum, quia vitiatum et per tempus confuſum vidi, partim reinterpretando, partim emendando auctoris veritati reſtitui.* Liber *ſuperior* ſeu *praecedens* eſt liber *centum ſententiarum*. Huius ergo verſionis olim factae et a Gennadio emendatae auctorem alium ac Rufinum neminem fuiſſe, Fontaninus contendit.*) Quam recte, iudicent alii. Nobis quidem hae Fontanini

*) Lib. V. cap. IX. §. IV.

tanini ſuſpiciones non tantae videntur, vt absque dubio inter Rufiniana hunc Euagrii librum, nedum alterum et tertium cum eo referendum cenſeamus. Nam quod ait, Gennadium cap. XI. quaedam Euagrii opuſcula a ſe, quaedam ab alio, quem Rufinum eſſe vult, translata eſſe, ſcribere et in poſteriorem claſſem tres illos libellos reieciſſe, falſum eſt. Nec Hieronymus, *hos* libros ſed *huius*, *Euagrii* libros *aliquot* a Rufino conuerſos ab occidentalibus lectitari, ſcribit. Interea dictos tres Euagrii libros, qui iamdudum periiſſe credebantur, in Adpendice Codicis regularum S. Benedicti Abbatis Anianenſis, quem Holſtenius publici iuris fecit ex membranis Floriacenſibus Reginae Suecorum, nunc Vaticanis vulgatos eſſe, Fontaninus oſtendit. Monet autem, priores duo absque diſtinctione ſententiarum ob ſimilitudinem in vnum coaluiſſe vtrique vna, quam ſubiicimus Epigraphe impoſita, hoc pacto tamen diuidenda: 1. *Euagrii monachi ſententiae.* 2. *Ad eos, qui in Coenobiis et Xenodochiis habitant.* Quorum primus *centum ſententiis* conſtans abſoluitur pag. 35. ed. Pariſ. verbis: *ſuauis eſt mel, et dulcis fauus. Scientia autem Dei dulcior ambobus.* Alter inchoatur verbis: *audi, o monache, ſermones Patris tui.* Atque his ſuccedit tertium opuſculum, *Sententiae ad Virgines.* Iam vero addit, ſummopere optandum eſſe, vt ſinguli ſeorſim diſpoſiti, et ſententiis per numeros ad oram diſtinctis cum caeteris Rufini operibus, tam alienis, quam propriis in vnum corpus redactis officinas typographicas ſubeant.

10.

Recegnitiones Clementis.

Variis hic liber in diuerſis codicibus MSS. gaudet inſcriptionibus, vnde etiam in impreſſis diuerſa interdum

dum nomina. Audit igitur mox *Recognitiones* vel *Recognitio Clementis*, mox *Clementis Romani Itinerarium ad Iacobum fratrem Domini*, vel *Itinerarium S. Clementis de factis et dictis B. Petri Apoſtoli*, item *Acta Petri Apoſtoli*, *Circuitus*, *Periodus Petri*, *Clementis Itinerarium*, Hiſtoria, *Chronica Geſta*, ſimpliciter denique *liber* vel *libri Clementis*; aliquoties etiam inſcribitur *de vera diſputatione Petri Apoſtoli contra falſitatem Simonis Magi* vel *de diſputatione Petri cum Simone Mago*.

Primus, qui typis deſcribendum daret, extitit *Iacobus Faber Stapulenſis*, anno

1504.

Pariſiis, ex officina Bellouiſiana impenſis *Io. Parui*. f. min. in libro, cui titulus: *Paradiſus Heraclidis*, *Epiſtola Clementis*, Recognitiones Petri Apoſtoli, *Complementum Epiſtolae Clementis*, *Epiſtola Anacleti*. Duobus et Viginti annis poſt ſecuta eſt *Sichardi* editio

1526.

Baſileae, per Io. Bebelium. f. Diui Clementis Recognitionum libri X. ad Iacobum fratrem Domini Rufino Torano Aquileienſe interprete, cui acceſſit non poenitenda epiſtolarum pars vetuſtiſſimorum epiſcoporum hactenus non viſa, eorum qui abhinc annis MCC. Romanae eccleſiae praefuerunt.

Cum Fabri editionem Sichardus ignoraſſet, tanquam opus nouum et ab ipſo demum erutum ex codicibus duobus, Baſileenſi et Schonaugienſi, edidit et Bernardo Cleſio Tridentino Epiſcopo et poſtea Cardinali nuncupauit. Duo in illo reprehendit Fontaninus. Primum quod Recognitiones ab Euſebio ſuppilatas tradiderit. Alterum a Voſſio et Barthio quoque repre-

reprehenſum, quod Gelaſii et LXX. Epiſcoporum de Clemente iudicium reprehendere non ſit veritus. Nempe Decreti Gelaſiani vulgatam lectionem eum fefelliſſe, huncque offenſionis lapidem genuinum et vetuſtiſſimum Gelaſium a ſe editum ſuſtuliſſe. Ab hac deinde reliquas editiones fluxiſſe obſeruat, veluti

1547.

Coloniae, ex off. Melch. Noueſiani. 8. eodem titulo, et

1568.

Pariſiis, ap. Audoenum Paruum, alias ap. Mich. Sonnium et Sebaſt. Niuellium. 8. quae eadem eſt, ſed mutato titulo. Neminem autem in Rufinianis Clementis Recognitionibus maiorem operam poſuiſſe, Fontaninus cenſet, quam *Lambertum Gruterum* Maximiliani II. Imp. a ſacris concionibus, qui vniuerſa, quae ſub nomine Clementis Romani circumferuntur, vno volumine complexus praefationibus, argumentis, notis et monitis inſtructa vulgauit. Prodiit opus

1569.

Coloniae Agrippinae, apud Ioh. Birckmannum. f. hoc titulo: Clementina, hoc eſt, B. Clementis Romani — opera quae quidem in hunc vſque diem a variis auctoribus collecta, conuerſa emendataque latine exſtant, omnia *cum noua praefatione de veris falſisque B. Clementis ſcriptis*, poſtremaque eorundem fideli emendatione ac diligenti argumentorum difficiliumque locorum explanatione *D. Lamberti Gruteri* Veriradii ad D. Danielem Archiep. Mog. etc. Hanc editionem nonnullis reſectis deinde expreſſerunt editores *Bibliothecae PP. Lugd. (ap. Aniſſonios* 1677.) Tomo II. p. 376.

Omnium

Omnium denique hactenus laudatorum editorum induſtriam et diligentiam vicit *Io. Bapt. Cotelerius* in celebratiſſima collectione *Patrum Apoſtolicorum*, quae primum

1672.

Pariſiis, ap. Io. le Petit. f. deinde auctior aliquanto et commodiori habitu 1698. *Amſtelodami* ſub nomine *Antuerpiae, Huguetanorum ſumptibus*, tertia denique vice 1724. *Amſtelodami, ap. Io. Wetſten.* prodiit. Amſtelodamenſes editiones curauit *Io. Clericus*, qui Cotelerii epiſtolam nuncupatoriam et praefationem, in qua ratio operum explicatur, conſulto omiſit. Titulus a Cotelerio ſcriptus eſt hoc modo:

Recognitionum S. Clementis ad Iacobum Fratrem Domini libri X. a Rufino Torano, Aquilejenſe presbytero e Graeco in latinum verſi cum eiusdem interpretis praefatione ad Gaudentium Epiſcopum.

Cotelerius totum opus ad ſex egregios codices accuratiſſime exegit, variantes lectiones attexuit, notisque breuibus, ſed bonae frugis, *Clementem*, vbi opus fuit, paſſim illuſtrauit, libris in capita poſt *Fabrum*, quanquam diuerſa ratione, diſtinctis.

Codices MSS. quibus vſus eſt in praefatione huius editionis, enumerantur:

1. *Sorbonicus.* 2. *Thuanus.* 3. *Regius.* 4. *Petri Candelerii.* 5. *Carmelitarum Excalceatorum.*

Colbertinum alium *Nurrius* in diſſ. de his libris p. 224. adducit. *Palatinum* quoque peruetuſtum ſeruant Plutei Vaticani. *Fontaninus* p. 339.

Duo inſuper adiicienda ſunt, de quibus itidem Fontaninus loco ſuo diſertius. Primo, ne quis ſibi imponi ſinat volumine hoc titulo impreſſo: *Clementis Romani epiſcopi de rebus geſtis, peregrinationibus*

bus atque concionibus S. Petri, Epitome ad Iacobum Hieroſolymitanum Epiſcopum. Pariſiis, apud Hadrianum Turnebum 1555. 4.

Neque enim *Recognitiones* continet, ſed puram *Epitomen* non ex ſolis tamen *Recognitionibus a Rufino* editis, ſed etiam ex *Homiliis* et *epiſtola Clementis ad Iacobum,* nec non *martyrio* eiusdem et *narratione Ephraemi epiſcopi Cherſoneſi* conflatam, vt dudum Cotelerius oſtendit, qui ad ſeptem MSS. Codices Regios iſtud opus collatum vulgauit, p. 749. poſt *Recognitiones* et *Homilias.*

Alterum, de quo dicturi ſumus, concernit Epiſtolam, quae *Clementina ad Iacobum fratrem Domini* dicitur, Recognitionum libris ſubiectam Rufino pariter interprete. De authentia eius et interprete inter ipſos catholicae eccleſiae doctos primi ordinis lis pendet. Attamen Fontaninus pro vtroque fidem facere nititur. Simul ab eo notatae ſunt collectiones aliquot Epiſtolarum Pontificum Rom. et Conciliorum, in quibus illa locum occupauit. Huiusmodi ſunt *Epiſtolae Summorum Pontif.* quae a. 1591. *Romae in aedibus Populi Romani,* tribus tomis diſtinctae prodierunt, in quorum primo ante omnes alias haec extat, cum appendice ſpuria p. 7. cuius ad oram epigraphe: *Compendiolum Fidei Chriſtianae.*

Porro *Labbei Concilia,* vbi Tomo I. p. 89. inſeritur, deque additamento haec leguntur: *hic definit epiſtola in quibusdam codicibus. Caetera ſunt vice appendicis addita circa annum 800. vt videtur.*

Concilia Petri Crabbe ed. *Coloniae, apud Petr. Quentel.* 1538. T. I. p. 14. vbi aſſumento coniuncta eſt.

Theodorus Bibliander libro inſcripto *Chriſtiana atque Catholica doctrina, Baſileae ap. Iacob. Parcum* 1550. 8. p. 221. eandem, Rufino interprete, ſed ablata

lata appendice inſeruit. Sine nomine interpretis et appendice dudum inſerta fuerat alteri libro inſcripto: *Epiſtolae aliquot illuſtres, graues et eruditae, extra Bibliorum canonem licet, Apoſtolicae tamen et piae. Auguſtae Vindelicorum per Alexandrum Weyſſenhorn* 1529. 8. Primam inter epiſtolas Pſeudo-Iſidori ſtatuit Blondellus.

Ab editoribus Recognitionum appendix iſta mox coniuncta eſt epiſtolae, mox disiuncta ab ea. Poſterius fecit *Faber*. *Sichardus* in *prima* ſua editione a. 1526. *quartae* ex epiſtolis Clementis appendicem ita inſcriptam ſubiecerat: *Compendium Fidei*. *In altera* ipſi epiſtolae coniunxit. Eum ſecutus eſt *Gruterus*. *Cotelerius*, quum poſt Recognitiones eandem epiſtolam Graece et Latine, ſine vllo additamento edidiſſet, poſtea *Rufini* interpretationem ad veteres editiones et codices MSS. collatam et in capita XX. diſtinctam exhibuit.

* *

Verſiones. *Germanica*: Recognitiones oder Hiſtorie von den Reiſen und Reden des Apoſtels Petri in zehn Büchern: Nunmehr ins Teutſche überſetzt, mit einem Vorbericht *Gottfried Arnolds*. Berlin, bey I. M. Rüdiger 1702. 8.

Compoſita eſt ex editione Gruteri, quod dolet Arnoldus, et opere paene abſoluto demum a ſe animaduerſum dicit.

Anglica: The Recognitions of Clement: or the Travels of Peter, in ten Books. Done in to Engliſh by *William Whiſton*. With a praeface, or Preliminary Diſcourſe: as alſo two Appendixes — *in* his *Primitive* Chriſtianity reviv'd. Vol. V. Lond. 1712. 8.

II.

Anatolii Alexandrini, Laodicenſis Epiſc. Canon paſchalis

Cuius verſione latina Rufinum Euſebianam Hiſtoriam interpolaſſe cenſent,*) edidit primus e veteri codice MS. *Aegidius Bucherius* in Commentario de Doctrina temporum p. 439. Cf. Fontanin. lib. V. cap. XV. §. 1.

28.

Q. IVLIVS HILARIO S. HILARIANVS.

Exeunte ſaeculo IV. ſcripſit.**) Tametſi haud §. 1. Vita.
vulgaria pro temporum iſtorum ratione pertractanda ſibi ſumſerit, nemo tamen veterum eius meminit.

Duo

*) Commemorat eum Euſebius Hiſt. lib. VII c. XXVI.

**) Nimirum ipſe hanc aetatis notam vtrique ſcripto impreſſit In fine prioris enim leguntur haec: „Conſummauimus hoc laborioſum opus in die iſto III. Nonarum Martiarum poſt conſulatum Arcadii IV. et Honorii III. Quapropter admonemus eos, qui ante a nobis non emendata haec ſcripta accipere feſtinauerunt, vt ſecundum iſtum ordinem emendatum opus habere conentur; ideoque et diem et conſules, quod non poſuimus primo, nunc huic rationi infiximus, vt exhinc ſciat quis emendatum hoc eſſe opus. Quintus Iulius Hilarianus explicuit, emendauit die III. Nonarum Martiarum, Caeſario et Attico conſulibus.“ Commemorat deinde hoc ipſum opuſculum ſuum in libello poſteriore §. 1. „Nam vt ipſi ſcitis, *olim de ratione paſchae* numeroque annorum mundi hortantibus vobis ſcripta feciſſe me; ſed idcirco ſilui aliquanto tempore, ne a nobis opuſcula condimentis ſapientiae alienae inrationabiliter conderentur. Vnde digeſtis melius rebus, *de die ſacratiſſimo paſchae iam libellum praemiſimus*; in quo, et qui ſit menſis primus, legali-

§. 2. Scripta. *Duo* illius libelli extant, quorum alter *Expoſitum de die Paſchae et menſis*, alter *de mundi duratione*, ſeu, vt codex MS. Vindobonenſis profert, *de curſu temporum* inſcribitur. Tertium ad eundem pertinere opuſculum, exiſtimauit Manſius, cui titulus *de ratione Paſchatis* auctore *Agriuſtia ciue municipii Timidenſium Regiorum*, cuiusque mentionem fieri ſcribit apud auctorem quendam vetuſtiſſimum opuſculi Paſchalis adhuc inediti, quem ex bibl. Canonicorum maioris eccleſiae Lucenſis deſcriptum aliquando editurus erat. *)

§. 3. Editiones. Libellus poſterior *de duratione mundi* per Petrum Pithoeum inuentus et recognitus centum et triginta annis prius quam alter editus eſt in appendice ad primam Bibliothecam PP. Pariſ. 1579. Deinde in ſecundam eius Bibl. PP. editionem a. 1589. Pariſiis factam Tom. VII. col. 965 ſqq. eſt inſertus, vbi editor illius Margarinus de la Bigne haec praefatus eſt: „Diu multumque dubitaui, num auctori huic locum in

legaliter demonſtrauimus; dehinc etiam, curſum annorum a fabrica mundi, in hoc opuſculo, ſuo quoque (forte, *quaeque*) ordine ſupputando, notamus.“ Denique §. XVII. tempus, quo poſteriorem librum perſcripſerit, definit his verbis: de CCCC. vero et LXX. annis a paſſione Domini, in Conſulatu Caeſarii et Attici, die IX. Cal. April. anni tranſierunt CCCLXIX. Sed vltimus hic numerus, vt ex Ger. Io. Voſſio (de Hiſt. lat. l. II. cap. XII. p. 213.) Gallandius obſeruat, in mendo cubat, quum ab anno paſſionis D. ad a. CCCXCVII. quo CSS. fuerunt Caeſarius et Atticus, anni non CCCLXIX. ſed CCCLXIV. effluxiſſe conſtet adeoque X pro V ſcribentis lapſu irrepſiſſe maxime probabile videtur.

*) Io. Dominic. Manſius ad Fabr. Biblioth. M. et I. Lat. T. III. p. 251.

in hac bibliotheca (Patrum) darem: primum quidem, quod obſcurus adhuc neque vlli ſcriptorum eccleſiaſticorum catalogo cognitus: deinde, quod in ſubducendis temporum ſummis et rationibus, fidei non prorſum indubitatae auctor eſſe videatur: ac poſtremo, quod Danielis hebdomadas, magis vt Iudaei quam vt Chriſtiani volunt, Chriſti aduentu et aetate non definiat omnino; et ad Chiliaſtarum etiam deliria ſub operis finem declinaſſe poſſit videri. Sed quum magno vſui futurum ſperem in deſignanda conſtituendaque Chronologia (qua non aliud omnium hiſtoriarum monumentum varie magis ab hiſtoricis deſcribitur) fateor, mihi religio fuit, ſcriptorem elegantem vix dum in hac bibliotheca natum, idque Pithoei beneficio, tam cito proſcribere, vel (quod non leuius) mille annis antiquiorem velut de ponte deiicere ex hac Bibliotheca. Proinde amplectere, o lector, hoc Pithoei donum, quod ante annos ducentos eleganter quidem, ſed non accurate ſatis, vt opinor, exſcripſit Rudolfus presbyter, vt teſtatur fronti codicis adſcriptum hoc elogium: *Hunc librum Rudolfus lucratus eſt S. Bonifacio anno Domini* MCCCLX. Pithoeus vero pluribus locis recognouit: vt proinde non vno tantum, ſed altero nomine etiam, quod Q. Iulium Hilarionem, ſcriptorem antiquum eumque caſtigatum et ornatum tibi donat, Pithoeo ſis deuinctus." Poſtea in reliquis Pariſienſibus Bibliothecae PP. editionibus a. 1610. 1624. 1644. (1654.) eodem Tomo et in hac vltima quidem p. 258 ſqq. in Colonienſi vero (a. 1618.) Tomo V. et Lugdunenſi (1677.) Tomo VI. p. 373 - 376. repetitus eſt et a Gallandio nuper in Venetam (1772.) Tom. VIII. p. 235 vſque ad 238. receptus.

Librum de ratione Paſchae et menſis primum ex membranaceo Bibliothecae Regiae Taurinenſis codice

n. DCCC.*) in lucem protraxit et cum Lactantiana Epitome Inſtitutionum diuinarum a. 1712. Pariſiis imprimi fecit *Chriſtophorus Matthaeus Pfaffius*, ex eoque vna cum altero edidiſſet Andreas Gallandius, ſi Lactantianum iſtum librum nanciſci mature ſatis licuiſſet. Quo ſerius tandem docti alicuius viri humanitate accepto in appendice eiusdem Tomi recudendum curauit p. 745-748. praefatus de auctore in Prolegg. cap. IX. p. XVIII ſq.

29.

A N A S T A S I V S.

§. 1. Vita. Romanus, Maximi presbyteri filius, Epiſcopus Romanus in locum Siricii adrogatus eſt ex Pagii computatione die V. Dec. a. 398. obiit ad eiusdem ſententiam d. IV. Dec. an. 401. ſecundum alios**) d. XXVII. Apr. a. 402. Geſta eius tenuia fuerunt aut in obſcuro latent, ſi non rhetorico more de eo ſucceſſor eius Innocentius praedicauit, *tanta ac talia eius fuiſſe merita, vt iam excederet humanae conuerſationis conſortium . . . . prae vitae puritate et abundantia doctrinae, qua populum Dei toto eccleſiaſticae auctoritatis vigore regeret.* Nam quod Origenem damnauit, ad exemplum epiſcoporum Orientalium, vrgentibus Hieronymo et Theophilo Alexandrino et vociferante Marcella matrona Romana fecit, idemque alii epiſcopi Italiae, Chromatius Aquileiae et Venerius Mediolanenſis, pro ſe quisque ſecuti ſunt. An vero

*) Codicis huius ſpecimen dedere praeter hunc Scipio Maffeius opuſc. eccl. p. 5. et auctores Catalogi Codd. MSS. Bibl. Reg. Taurin. Part. II. p. 272.

**) Baronium nempe, Tillemontium, Fontaninum, Bern. de Rubeis, Ballerinios et Vallarſium, quorum loca diligentius indicauit Gallandius in prolegg.

vero cum Origene quoque Rufinum damnauerit, in quem vnum fere ſubdoli Hieronymi et Romanorum eius ſodalium de Origeniſtis clamores collimabant, non conuenit inter doctos. Affirmant Baronius, Pagius, Norriſius ac Tillemontius; negant Couſtantius, Ballerinii, Fontaninus et de Rubeis, et iure haud dubie potiori.*) Certe non apertam de eo ſententiam tulit. Ex epiſtola vero ad Ioannem Hieroſolymitanum ſcripta, etiamſi ſenſus illius eſſet explicatior, nemo facile, cui mens recta, ea colliget, quae collegit Hieronymus, quandoquidem quae per priuatae neceſſitudinis commercium fiunt, non publicae ſtatim voluntatis interpretationem capiunt.

Duae duntaxat ſuperſunt *epiſtolae*, quarum altera *ad Ioannem Hieroſolymitanum* iam dudum, altera *ad Simplicianum Epiſcopum Mediolanenſem* nuper demum lucem vidit. Prior a. 401. haec a. 400. ſcripta eſſe videtur, quo currente Simplicianus e viuis exceſſit et in locum eius Venerius creatus eſt. *Perierunt* epiſtolae *duae* ad Paulinum, *vna* ad Anyſium, §. 2. Scripta.

 qua

*) Baron. ad a. 401. §. IV. Pagi ad eund. a. §§. IX. XV. XVI. Noriſ. Hiſt. Pelag. l. I. cap. II. opp. T. I. p. 25. Tillem. Mem. T. XII. art. C. p. 242. Couſtant. Epp. Pont. p. 723. §. VII. Baller. ad Opp. Noriſ. cap. II. §. I. p. 927. Fontan. l. c. cap. XIX. §. II. p. 420 ſqq. de Rub. l. c. cap. XVI. p. 109 ſqq. Hi tamen, qui pernegant, non ex ſolo literarum contextu et cauſa a nobis allata contendunt, ſed plerisque aliud magis cordi eſt, illud nempe propter quod plane ſuppoſitam epiſtolam denuo affirmare haud veritus eſt *Halloiſius* (de vita Origenis p. 333. vid. Bower's hiſtory of Popes verſ. germ. T. I. p. 442.), ne quid inde detrimenti caperet pontificia auctoritas, quando damnatum ab epiſcopo Romano tot alios Italiae epiſcopos in communionem recepiſſe conſtaret.

qua omnia, quae in Illyrici partibus gererentur, recens ipſi commiſiſſe ferunt; *Vna* ad Venerium, ad quam in Epiſtola ad Ioannem Hieroſol. reſpicit, *vna* ad Afros, *alia* denique ſuper Rufino in Orientem miſſa, Rufino aſſertore. *Tria fragmenta* Epiſtolarum ad Vrſinum, ad Anaſtaſium II. pertinere, Baluzius oſtendit.*) De aliis *ſuppoſititiis* et falſo eius decreto ex Blondello Couſtantius diſſerit.

§. 3. Edita. Epiſtola *ad Ioannem Hieroſ.* quoniam ad eam ſaepius reſpicit Hieronymus, inter ipſas Hieronymi epiſtolas a veteribus collectionibus eſt repoſita, in Benedictina locum in Tomo V., qui aliena complectitur, p. 260. occupauit. E vulgatis Hieronymi editionibus haec epiſtola primum in Romanam editionem Epiſtolarum Pontif. dein a Baronio ad a. 402. §. XXVI. recepta eſt, deinde in Conciliorum Collectiones migrauit. Poſtea ex Codicibus MSS. Vaticano et Belouacenſi a *Ioanne Garnerio* inter opera Marii Mercatoris ed. Pariſ. 1673. Parte I. App. 1. edita eſt, addita ex eiusdem codicibus perſonati Rufini profeſſione fidei, quae XII. anathematiſmis conſtat. Cum in superioribus autem editionibus, ſicuti etiam in ſequentibus factum eſt, in ſectiones ſeu paragraphos ſex diviſa eſſet, a Garnerio in XII. particulas diſtincta eſt, quarum octauam laceram et corruptam ſuſpicatus, plane ad arbitrium interpolauit damnationis Origenis et Rufini formula; tametſi id non eo animo fecit, vt lectores falleret, ſed quo citius in oculos incurreret, verba inſiticia diuerſo charactere exſcribenda curavit**) et in notis p. 112. pro ſuis agnouit, et fidem eis

*) In Coll. noua Concil. T. I. p. 1457.

**) Nihilominus fuerunt, vt Couſtantius animaduertit, qui in his offenderent, quod notis eius non inſpectis ideoque

eis facere triplici ratione conatus eſt, quarum nulla, vt Couſtantius cenſet, id quod vult, neceſſario conficit, ac praeſertim duae poſtremae verbis Anaſtaſii vel deprauatis vel perperam intellectis nituntur. Reiecta itaque hac interpolatione integram ad Garnerii et veterum editionum varietatem denuo exactam et notis ſuis et praemonitione illuſtratam exhibuit a. 1721. Petr. Couſtantius in Epiſt. Pontif. Rom. T. I. p. 719 vſque ad 730. addiditque p. 729-738. notitiam de deperditis et falſo adſcriptis. Nouis curis perpolitam dedit Vallarſius in edit. opp. Rufini T. I. p. 411.

Epiſtolam ad Simplicianum Hieronymo ignoratam et nemini antea cognitam, Vallarſius demum ex Ambroſianae Bibliothecae codice MS. cum aliis quibusdam aliorum inter Epiſtolas Hieronymianas Tomo I. Opp. ep. XCV. euulgauit. Omnino ſincera eſſe videtur. Hinc depromſit et Conciliorum collectioni Tomo I. inſeruit Io. Domin. Manſius. Eandem pluribus locis ex coniectura emendatam propoſuit *Hieronymus de Prato* in ed. opp. Sulpicii Seueri. T. I. (Veronae 1741.) Diſſert. VI. num. XXXVI. pag. 311. Vtramque tandem Garnerii, Couſtantii et Vallarſii ſtudiis illuſtratam additaque Apologia Rufini ad Anaſtaſium *Andreas Gallandius* in Bibl. PP. et vet. Eccl. Script. T. VIII. p. 246-251. intulit, ſimulque diſſertationem ſuper Anaſtaſio c. XI. prolegg. p. XXI ſq. praemiſit.

 30. PAV-

quie characterem mutatum arbitrantes, vt ſententia aduerſus Origenem et Rufinum prolata facilius ſecerneretur, additiita Garnerii verba pro genuinis Anaſtaſii acciperent. Id quod Ant. Pagio in Crit. ad a. 401. n 9. accidit.

30.

PAVLINVS.

§. 1. Vita. *Paulinus*, qui antiquis etiam *Pontius*, in MSS. pariter ac editis codicibus *Meropius* audit, ex illuſtriſſima familia ortus eſt, ex ſenatoribus ſcilicet cum paterno tum materno genere. Pater eius erat Paulinus, idem fortaſſe, qui Galliarum praefectus praetorio fuit et vna cum ſponſa religionem chriſtianam erat amplexus. *) Burdigalae natus eſt a. 353. ex Chiffletii rationibus. Patrimonium ei peramplum ingentiaque praedia fuere tum praeſidio domorum tum ſeruorum numero, tum eorum, qui vt patronum eum colebant. Oppida plura in dominio Paulinorum erant, veluti Burgum et quod aliquamdiu incoluiſſe dicitur, cuius ſitus tamen incertus, Ebromagum. Pro natalium ſplendore inſtitutio et educatio fuit elegans et magnifica. Imprimis eloquentia erat excultus atque oratoria et poetica arte excellebat. Magiſtrum habuit Auſonium, eundem, qui Gratiani imperatoris ſtudia rexit, ab eoque poſtea ad ſummos in republica honores euectus eſt. Is patris neceſſitudine et amore compulſus ita erudiendum educandumque nobilem puerum ſuſcepit, vt ſedulitate et induſtria praeceptoris, humanitate ac pietate patris doceret et formaret, nec aliter poſtea quam filium conſueſceret appellare ſeque parentem eius et altorem dicere, **) quemadmodum Paulinus etiam omnia ſua, bonos mores et ſtudia ab Auſonio profecta non diffitetur. ***) Ex ſcriptis eius colligas quodammodo, in hiſtoricis diſciplinis non ſatis eum fuiſſe exercitatum, ſicuti medio-

*) Lebruni coniectura. Vit. Paulini cap. III.
**) Verba Lebruni cap. III. §. 2.
***) Carm. X. v. 148.

mediocriter tantum graecae linguae cognitione tinctus fuit. Coniugem duxit Theraſiam, quae vt ampliſſimas facultates, ita ingenium, mores ac ſtudia plane ipſius ſimilia contulit, quibus tantum apud virum valuiſſe videtur, vt non ſolum ad amplectenda Chriſtianorum inſtituta permoueret, ſed ad vitae etiam rationem permutandam dux atque hortatrix exiſteret.*) Paulinus autem ab ineunte aetate in fori ſtrepitu et negotiis publicis occupatus mature ad dignitates amplas euectus eſt. Anno 372. Paulinus quidam nouae Epiro ſeu Albaniae Praefectus fuit, qui, ſi noſter fuerit, nouendecim aut ad ſummum viginti annos natus erat.**) Ante Auſonium, i. e. ante annum 379.

 Conſul

*) Nimirum coniecturae in his tanto facilius venia dabitur, quanto minus explorata eſt haec vitae Paulini conuerſio. Atqui Auſonius ep. XXIV. cum eum dehortatur, ne vitae ſolitariae ſe dedat, ita vno verbo coniugem eius perſtrinxit, vt magnas illius in illo conſilio partes fuiſſe pateat, eaque virum facile aſſentientem non modo inflectere et, quocunque vellet, alloquio et ſuaſu trahere potuiſſe, ſed ei quodammodo imperitaſſe videri queat. Id vero certiſſimum eſt morbum ſaeculi iſtius, inſignem aliquam ſanctitatem ex contemtu bonorum et opum atque appetitione vitae monaſticae captandi citius ad feminas quam viros perrepſiſſe, hos autem plerumque contagione in eandem animi vertiginem eſſe inuolutos. Denique tarditas illa et cunctatio Paulini in ſubeundo hoc vitae discrimine, vt et circumſpectio in diuendendis praediis, qua imprimis cauebat, ne ſemel profuſis omnibus et ſibi neceſſaria et egentibus deinceps impertiendi copia deeſſent, quamque adeo ſanctus Hieronymus ei exprobrauit, animum virilem Paulini euictum magis crebris impulſibus, quam proprio impetu in iſta ruentem demonſtrant.

**) Lebrunus cap. III. Locus eſt in Cod. Theodoſ. Gothofr. T. V. p. 365 ſq.

Conſul fuit, licet ſuffectus tantum, fortaſſe Auſonio adiutore, qui apud Gratianum plurimum poterat et publice *honorum* eius *largitorem* ſe profeſſus eſt. Pariter Lebrunus Paulinum, qui anno 380. Romae Praefectus fuit, diuerſum ab hoc fuiſſe negat. Praeterea varia eum negotia obiiſſe, credere par eſt, quae forte moleſtia non carebant. Peregrinationibus etiam diſtrictus fuit, nec liber forte a caſibus aduerſis. Hinc iam reapſe pronior ad otium, ſuccedentibus annis requiem dignitati vel ambitioni potius praetulit cumque eodem haud dubie tempore Theraſia conſilia de ſaeculo fugiendo agitaret, in Hiſpaniam ambo a. 389. ſecedunt, poſtquam ipſe Burdigalae antea a Delphino Epiſcopo baptizatus erat. Vixit ibi in amoeniſſima regione haud procul a mari et vrbibus, ſed alienus ab omni cum veteribus amicis commercio, adeo vt ad plures Auſonii quamuis cari epiſtolas plane nihil reſponderet, ibique animum paulatim religionis chriſtianae cultui magis adſtrinxit. Obſeruat Lebrunus,*) poemata quaedam, ab eo paulo poſt ſuſceptum nouum hoc vitae ſeuerioris genus compoſita, non eam ſanctitatem ſpirare, quae in ſcriptis poſtea carminibus et epiſtolis conſpiciatur. Prae caeteris huc collocat Matutinam ad Deum Precationem, in qua honeſtos mores ſaecularis viri a Deo enixe poſtulat, ex quibus tamen aeternam eamque beatam ſibi ſpondet vitam. In ea oratione felicem ſibi et ſuis deprecatur poſteritatem, vnde tunc ſibi natos iam eſſe filios aut ſaltem eos deſideraſſe coniicias. Ac hoc ipſo etiam tempore filium ex Theraſia ſuſcepiſſe videtur, quem poſt octo dies vita iam defunctum Compluti iuxta Corpora SS. Martyrum ſepeliendum curauit.**) Intra quadrien-

nium

*) cap. VI. §. 2.
**) Carm. XXXII. v. 605.

nium autem, quod in Hiſpania cum vxore degit, validiſſime robore creuit pietas et religio eius. Tum animum plane a ſaecularibus curis auertere, Deoque deuouere inſtituit. Repudiatis Muſis et poetis victu et cultu mutato continentiae ac paupertati ſeſe mancipauit. Patriae atque cognatis valedixit bonaque distrahere et in pauperum vſus erogare coepit, denique ſegregare ſe totum et in ſolitudinem iuxta Nolam confugere ſtatuit. Hoc vt inuidioſum ei apud Proceres et diuites fuit multorumque, qui vel neceſſitudine vel quocunque officio ipſi coniuncti fuerant aut adſtricti, animos abalienauit, adeo vt liberti etiam et ſerui ab eo deficerent et debita officia negarent; ita ingentem admirationem apud principes tunc temporis eccleſiae viros gratiamque apud plebem peperit, omniumque in eum conuertit ſtudia. Hinc inuitus etiam Barcinone plebis concurſu presbyter ordinatus eſt, tametſi ad eccleſiam illam non alligaretur, ſed Nolam a. 393. vel 394. pergeret. Accidit in hoc itinere, vt, cum vbique locorum a ſummis aeque ac imis magno cum plauſu et fauore exciperetur, a Siricio tamen Romam tranſiens contemneretur. Cuius cauſam non improbabilem hanc comminiſcitur Baronius, quod repentinam fortaſſe Paulini conſecrationem non probauerit, indigne ferens prauum per ea tempora graſſantem morem, quo Laici homines aut etiam Neophyti raptim ad ſacerdotia proueherentur, quos per certa interualla et iuxta eccleſiaſticas regulas aſcendere par erat, adeoque in Eccleſia locum inter Presbyteros ei negauerit. Nolam aduenisse Paulinum ſtatim poſt Paſcha a. 394. Lebrunus cenſet. Fuit autem Nola vrbs Campaniae perantiqua et florentiſſima quondam, quae poſtea tamen coloniam acceperat, octo leucas a Capua, ſexaginta quatuor a Roma diſtans. Hanc vrbem maxime commendabat S. Felicis Presbyteri et

Confeſſoris quondam tumulus paululum ab vrbe remotus. Super tumulum erat conſtructa baſilica et iuxta eam aedificium a terra ſuſpenſum coenaculo, vna porticu cellulis hoſpitalibus interpoſita longius tendebatur. *) Hoc Paulinus cum quibusdam ſodalibus inhabitabat *monaſterii* nomine, illud et ſocietatem ſuam *fraternitatem monacham* appellans. Nam omnia ibi ad monachorum ritum erant compoſita, quem ipſe paſſim in epiſtolis et carminibus ſuis delineauit et plures eius admiratores, veluti Ambroſius, Auguſtinus, et Hieronymus, a quibus tum fere aut fama aut per literas cognoſci et amari coeptus eſt, laudibus cumulauerunt. Inſigni prorſus religione S. Felicem coluit, cuius natalem quotannis carmine celebrare inſtituerat, quorum maxima pars etiamnunc reſtat. Inter haec tamen, vt ex Hieronymo **) diſcimus, nondum omnia bona diſtraxerat, ſed retinuerat fortaſſe non pauca ex immenſis, ſiue vxoris cauſa et quod rei lautiori non protinus deſueſcere poterat, ſeu vt in ſubitos caſus ſibi proſpiceret. Tunc etiam in Orientem iter meditabatur, quo Hieronymus eum inuitabat, ſed neſcio, quo pacto, antequam Epiſcopi munus ſubiret, id conſilium euentu caruerit. Caeterum huius vitae tenor, vtut tum illuſtrem Paulinum reddidit, tam exiguo rerum memorabilium numero conſpicuus eſt, vt, ſi geſta hominis interroges, viuere eum deſiiſſe, antequam de vita excederet, dicendum ſit, atque iam hac opera noſtra defungi liceat, modo pauca, quae ad intelligentiam variarum epiſtolarum eius conducunt, iuxta annorum ſeriem addiderimus. Anno 398. Siricio Epiſcopo Romano ſucceſſit Anaſtaſius,

*) Lebrun. cap. XVIII. §. 1.
**) Epiſtola ad Paulin. ed. Bened. T. IV. n. 49. Vallarſ. T. I. n. LVIII.

ſtaſius, qui beneuolentiam Paulino et literis et, cum Romam anno inſequenti aduentaſſet, re ac ſtudio praeſenti teſtatus eſt. Circa idem fere tempus Rufinum adamare coepit. Serius Melania ex peregrinatione Hieroſolymitana an. 402. rediens Nolae eum inuiſit.*) Eodem anno et ſequenti baſilicas nouas ſuper S. Felicis tumulo conſtrui iubet, antiquas autem marmore et picturis exornat. Anno 409. tandem Nolae epiſcopus, aetatis anno quinquageſimo ſexto creatus eſt. Anno 419. ab Imperatore ad Synodum Rauennam, iterumque cum Spoletum translata eſſet, ad ſchiſma eccleſiae Romanae componendum euocatus, valetudinis cauſa abeſſe coactus eſt. Reliqua vitae eius vſque ad annum 432., quo diem obiit, plane obſcura ſunt. At licet multis ille factorum et ſcriptorum claritudine et vſu cedit, attamen animo vere pio, prudentia, moderatione et humilitate multos maioris nominis doctores poſt ſe reliquit, ac vita ſua demonſtrauit, quantum praeſidii mite ingenium, mores ab ineunte aetate ſedulo informati ac bene praeparatum pectus religioni afferant.

Duplex *Scriptorum* Paulini genus eſt, *Epiſtolae* ad amicos datae, et *Carmina*, quorum nullum ante ſeceſſum in Hiſpaniam eſt compoſitum. §. 2. Scripta.

I. *Epiſtolae* genuinae ſuperſunt *quinquaginta*, videlicet *ad Seuerum Sulpicium* XIII. olim XIV. in editionibus Lebruniana ſuperioribus iunctim, vt et reliquae, quas deinceps enumeramus, propoſitae, apud Lebrunum n. I. V. XI. XVII. XXII. XXIII. quae ex duabus, quae antea erant III. et IV., coaluit, XXIV. XXVII - XXXII.

Ad Delphinum Burdegalenſem V. apud Lebrunum X. XIV. XIX. XX. XXV.

Ad

*) Lebrun. cap. XLI. n. 12.

Ad Amandum Burdegalenſem VI. apud Lebrun. II. IX. XII. XV. XXI. XXXVI.

Ad Sanctum Amandum II. olim in vnam n. XXVI. compactae, nunc XL. XLI.

Ad Victricium Rothomagenſem II. nunc XVIII. et XXXVII.

Ad Aprum I. apud Lebrunum n. XXXVIII.

Ad Aprum et Amandum II. n. XXXIX. et XLIV.

Ad Florentium Cadurcenſem I. n. XLII.

Ad Alethium I. n. XXXIII.

Epiſtola ſeu Sermo potius de Gazophylacio. n. XXXIV.

Ad Deſiderium I. n. XLIII.

Ad Macarium I. n. XLIX.

Ad Pammachium I. n. XIII.

Ad Iouium cum poemate ad eundem I. n. XXV.

Ad Sebaſtianum Eremitam I. n. XXVI. extat etiam inter Hieronymianas ed. Bened. T. V. parte II. p. 218.

Ad S. Auguſtinum IV. apud Lebrunum n. IV. VI. XLV. L. Eduntur inter Auguſtinianas.

Ad Alypium Tageſtenſem I. etiam n. III. inter Auguſtinianas XXXV.

Ad Romanianum I. n. VII.

Ad Licentium Romaniani filium I. n. VIII. vtraque ad patrem et filium olim in vnam compacta erat, qualis etiam inter Auguſtinianas n. XXXVI. extat.

Ad Rufinum II. n. XLVI. et XLVII. quos Paulini non eſſe Rosweydus ſuſpicatus eſt.

Ad Eucherium et Gallam I. a Chiffletio primum producta.

Praeter haec *fragmentum Epiſtolae* n. XLVIII. apud Lebrunum et in nouiſſima et integrae *duae* non ſatis exploratae fidei *ad Marcellam* vna, altera *ad Celantiam* ſuperſunt, quae in laudatis editionibus in Appendicem reiectae ſunt et cum Hieronymianis quo-

que

que vulgari conſueuerunt. Conf. Vallarſium ad Epiſt. CXLVIII.

II. *Poemata*, quae quidem vere ipſius cenſentur, reſtant XXX. Nempe *ad Geſtidium* II. *Precationes matutinae* II. *De S. Iohanne Baptiſta* I. *Pſalmi* I. II. et CXXXVI. *verſibus explicati. Ad Auſonium* II. olim IV. antequam tres priores, quae olim erant IX. XXI., in vnum coaluerant; *ad Cytherium* I. *Epithalamium in Iulianum et Iam; de obitu Celſi pueri* ad Pneumatium et Fidelem; *ad Nicetam redeuntem in Daciam; ad Iouium* I. *de Nolana eccleſia a ſe aucta; ad Antonium contra Paganos* a Muratorio erutum; *S. Felicis Natales* XIII. integrae, quarum tres poſteriores a Muratorio demum integrae editae ſunt, cum antea nihil niſi fragmenta XI. XIII. XIV. Sed fragm. quod putabatur *Natalis* XIV. ad XIII. referendum eſſe, XV. autem pro fragm. Natalis XIV. habendum, Muratorius exiſtimauit. Praeter hoc autem aliud *fragm. incerti Natalis* et alius carminis *de regibus ex Suetonio* collectis reperiuntur.

Denique Paulini eſt *libellus* perbreuis inſcriptus *Paſſio S. Geneſii Arelatenſis*, qui etiam apud Ruinartum in Actis martyrum p. 603-605. occurrit. Rosweydus dubitauit de auctore. Sed ſtilus et complures libri MSS. eidem vindicant.

Falſo tribuuntur Paulino 1) *Exhortatio ad Coniugem ſuam* verſibus conſcripta. 2) Carmen *de Nomine Ieſu*, quod a Barthio vulgatum eſt in Aduerſar. lib. XXXIV. cap. 1. et cum praecedenti in Appendice Poematum ed. Lebrun. et nouiſſimae exhibetur. 3) *de Vita S. Martini libri VI.* verſibus, cum epiſtola ad *Fauſtum* quendam *Regienſem*, quae dudum Paulino Petrocorio ab recentioribus editoribus adſcripta ſunt.

Interciderunt fortaſſe praeſtantiſſima. *Suetonii libri III. de regibus variarum gentium in Epitomen verſibus*

verſibus redacti, quos magnifice laudauit Auſonius, cui tanquam arbitro ſtudiorum ſuorum Paulinus transmiſerat, Ep. XIX. cuiusque fragmentum ſupra indicauimus. *Panegyricus Theodoſio* oratione ſoluta ob Eugenii et Arbogaſtis tyrannorum victoriam a. 394. *dictus*,*) et *Epiſtolae* ad eundem Imperatorem. *Epiſtolae ad ſororem* et quem praecipuum ipſius librum Gennadius appellat *de poenitentia et de laude generali omnium martyrum*. Item *Recognitionum Clementis* traductio. *Sacramentarium* etiam et *Hymnarium* confeciſſe dictus eſt.

§. 3. Editiones. Ante Chiffletium inculta paene iacuere Paulini Scripta. Nam *prima editio*, quae *Pariſiis*, apud *Iod. Badium* a. 1516. octonis facta eſt et manca et lacunis mendisque ex codicibus male ſanis oppleta et ab ipſo Badio intempeſtiuis correctionibus foedata eſt. *Secunda Henrici Grauii*, quae longiſſimo poſt primam interuallo a. 1560. *Coloniae*, *ap. Cholinum* lucem vidit, non reſpondet caeteris H. Grauii per id tempus de Patribus Latinis meritis, ac nequaquam omnia ſuperioris vitia ſuſtulit, quamquam ad codices MSS. denuo excuſſa. Haec aliquoties deinde repetita eſt et emendatior in quibusdam creditur ea, quam Io. Iac. Grynaeus inter Orthodoxographos Baſileae a. 1569. repoſuit, nec non Andreae Schotti ad codicem MS. collata in Bibliotheca Patrum Colonienſi 1618. *Quintam* ſeu *tertiam* verius editionem a. 1622. Antverpiae curauit et typis Plantinianis commiſit *Heribertus Rosweydus* Soc. Ieſu, vir pius et eruditus, ſed tot occupationibus implicatus, vt, cum tempus non ſufficeret, aliorum ſaepe ſtudiis vti cogeretur et ſucceda-

*) Gennad. cap. XLVIII. et Hieronym. Epiſt. XIII. ad Paulin.

cedaneam duntaxat imponeret manum.*) Attamen multa habet praeclara et quae niteſcere potuiſſent, ſi conſilium recte deſcriptum et Paulini ingenium penitius fuiſſet perſpectum. Qua ex parte longe optimam editionem meditabatur. *Petrus Franciſcus Chiffletius* eiusdem Societatis, quique, cum ipſe per negotia non perfecturus ſibi videretur, exemplum eius rationibus planis atque certis ſuffultum aliis reliquit in *Paulino illuſtrato* Diuione 1662. quaternis excuſo. Ab huius ſane idea proficiſcitur, quicquid poſtea frugi in Paulinum collatum eſt. Neque enim codices modo contulit, ſed, vitiorum etiam et deprauationis librorum MSS. origines et cauſas indagauit primumque, ni fallimur, quid ſingulorum vitae Paulini monumentorum notitia et indolis illius cognitio ad illuminanda ſcripta eius conferrent, oſtendit. Ego vero miror profecto, qui factum ſit, vt in tanta Paulini apud Catholicos admiratione viginti et amplius demum poſt Chiffletium annis aliquis exortus ſit, qui ſinceram Paulino operam nauaret. Fuit is *Ioannes Baptiſta le Brun*, eruditus Presbyter, et ſi minus ingenii acie, at certe induſtria ac diligentia pollens, quam abunde tam in vita eius explicanda, in qua nonnemo Tillemontii commentarios adhuc tum in ſcriniis latentes praeſto ei fuiſſe ſuſpicatus eſt, quam in textu ad codices probatiſſimos conſtituendo probauit. Ac huic editioni, quae a. 1685. Pariſiis foras data eſt, etiam nunc primariae editionis honos ſeruatur. Iteratio eiusdem anno ſaeculi currentis trigeſimo ſexto facta eſt Veronae typis Dionyſii Ramanzini, ibique ſimul inſerta ſunt, quae a. 1697. partim integra pro fragmentis, quae antea habebantur, partim noua plane ex Bibliotheca Ambroſiana Mediolanenſi

*) Lebruni iudicium in praef. ad ed. Pariſ., quod exſcripſit quoque Oudinus T. I. p. 920.

lanenſi Ludouicus Antonius Muratorius ediderat quatuor Paulini carmina cum diſſertationibus ab eo occaſione eorum conſcriptis. Sed licet cultu ea ſit praeſulgida, non item eorum, qui negotio praeeſſent, cura eſt commendabilis. Praeterea eadem carmina nouae poſtmodum cenſurae a. 1756. Mingarellius ſubiecit, quam in Anecdotis ab eo vulgatis et Gallandii Bibliotheca PP. reperire licet.

S a e c. XVI.

1508.

Argentorati, per Matthiam Schürer. 4. Paulini Ep. Noletani Carmen Iambicum Chriſtianam pietatem commendans. *Weislinger* in *Cat. Bibl. Ord. S. Ioh. Argentinae* p. 158.

1516.

Pariſiis, per Ioh. Petit. Venundantur ab Ioanne Paruo et Iodoco Badio Aſcenſio. 8. Pon. Paulini Epiſcopi Nolani virique ſanctiſſimi et longe doctiſſimi Epiſtolae et Poemata luculenta a tergo huius enumeranda. *In fine:* Finita ſunt haec opera diui Paulini epiſcopi Nolani accuratione et opera Iodoci Badii Aſcenſii octauo Kal. Martii. Anno ſalutis humane ad calculum Romanum. MDXVI.

Continet Epiſtolas XXXVII. Carmina XIX. inter quae X *natales* S. Felicis et tres *Pſalmi*, inſertis *Auſonii* ad Paulinum poematibus. Iod. Badius nuncupauit M. Guil. Paruo Regiae confeſſionis auditori epiſtola data Kal. Mart. 1516. praeter quam adiectae ſunt notitiae de Paulino ex Trithemio et Crinito.

1555.

Baſil. ap. Henricpetri. f. Paulini epiſtolae duae ad Rufinum in *Orthodoxogr. Io. Heroldi.*

1560.

1560.

Coloniae Agripp. apud Matern. Cholinum. 8. P. Paulini — Opera omnia *Henrici Grauii* ſtudio reſtituta ac argumentis illuſtrata.

Primam hanc editionem ex recenſione Henr. Gravii, Belgae, e Dominica familia, a Rosweydo ignoratam notauit Chiffletius. Occurrit apud *Weislinger* loco paucis abhinc iam excitato. Epiſtolam dedicatoriam (dat. a. 1559.) praemiſit Iohannes Antoninus Dominicus ad Petrum de Iuren Abbatem inſulae Virginis Mariae, monens eam editionem H. Grauii ſtudio ex vetuſtiſſimis exemplaribus curatam et argumentis illuſtratam fuiſſe: a ſe autem ad Grauii caſtigationem adiectas aliquot*) Paulini Epiſtolas ad Auguſtinum, Alypinum, Romanianum et alios quosdam.

* *

Antuerpiae, ex off. Chriſt. Plantini. 16. Pontii Paulini Burdigalenſis Poemata. acc. Proſperi Tironis Aquit. Epigrammata et alia et S. Hilarii carmen in Geneſin.

1566.

Ibidem apud eundem. 8. Iterata Grauii recenſio.

1569.

Baſil. ap. Henricpetri. f. Paulini Nolani Epiſcopi Epiſtolae ad varios quibus et eiusdem carmina varia ſubiecta ſunt. *in Orthodoxogr. Io. Iac. Grynaei.* T. I.

Rosweydo ex manuſcripto expreſſa viſa eſt.

1579.

Pariſiis, ap. Mich. Sonnium. f. Paulini epiſtolae et Poemata. *in Suppl. ſ. Appendice ad primam ed. PP.*

1589.

*) *Octo*, nempe *quatuor* ad Auguſtinum, reliquae ad *quendam militem*, ad *Sebaſtianum Eremitam*, ad *Alypium*, ad *Romanianum.*

1589.

Pariſiis . . . f. Paulini Epiſtolae et Poemata. in *ſecunda* ed. *Bibl. PP. Tomo III.*

S AEC. XVII.

1618.

Colon. Agripp. ap. Hierat. f. Paulini Nolani Epiſcopi epiſtolae et alia quaedam opuſcula, quae per Andr. Schottum recenſita, prolegomenis et notis illuſtrata ſunt.

Ex Grauii editione fere expreſſa eſt. Acceſſit de nouo *Epithalamium Iuliani et Iae.* In margine aliquot variae lectiones adſcriptae ſunt.

1622.

Antuerpiae, ex off. Plantin. ap. Balthaſ. Moretum et viduam Io. Moreti et Io. Meurſium. 8. Diui Paulini Epiſcopi Nolani opera. item Vita eiusdem, conſummatam perfectionem ac prorſus mirabilem ſanctitatem continens, ex ipſius Operibus et Veterum de eo elogiis concinnata. Accedunt Notae Amoebaeae *Frontonis Ducaei* et *Heriberti Rosweydi* e Soc. I.

Inſunt *Epiſtolae L.* ex quibus XXVI. *ad Sanctum Amandum* et XLVII. et XLVIII. *ad Rufinum* XLIX. *ad Marcellam* L. *ad Celantiam* nunc primum additae ſunt: item *Martyrium S. Geneſii Arelatenſis* antea non excuſum. *Poemata* porro XXXI. nec non Fragmentum *Poematii de regibus*, itemque *poema ad Iouium*, quod hic vt in ſuperioribus epiſtolae ſtatim ad eundem (XXXVIII.) ſubiicitur. Ex his primum in hac ed. acceſſerunt *quintum* de *Ioanne Baptiſta.* XXVI - XXIX. S. *Felicis Natalis* 11. 12. 13. 14. fragmenta. item quod extra numerum eſt, *Natalis* incerti fragmentum, denique XXXI. *ad Coniugem ſuam exhortatio.* Sed quod XIV. etiam *Epithalamium in Iulianum et Iam* aſteriſco

aſteriſco tanquam noua huius editionis acceſſio praenotatum eſt, errore accidiſſe oportet. Textus, quem haec editio prae ſe fert, ad Vaticanos, Nolanos et Gallicos codices conſtitutus eſt. „Adhibuit enim, Rosweydus inquit, operam amicus Romanus, vt textus cum Vaticanis et Nolanis MSS. conferretur; *quem vti Roma miſſus eſt, fere expreſſimus;* *) niſi forte MS. Puteanorum fratrum, cuius variantes lectiones e Gallia ope Frontonis noſtri Ducaei habuimus, vel MS. Valentinus, quem olim Andreas Schottus noſter ad Epiſtolas conſuluerat; vel MS. Belgicus, quo Cauchius ciuis meus vſus fuerat, veram lectionem manifeſte ſuggererent. Paucae coniecturae amici Romani textui immixtae.“ Textui proxime ſubiicitur Vita Paulini ex ſcriptis eius et veterum de eo elogiis concinnata, ab amico Rosweydi Socio (Sacchino) Roma ipſi ea conditione, vt latere poſſet, transmiſſa, non magni momenti. Hanc excipiunt Notae Front. Ducaei et Rosweydi coniunctae et poſtremo loco Variantes Lectiones ex Codd. MSS. Vaticanis, quos amicus Romanus excerpſit, quibusque ſubinde coniecturas ſuas admiſcuit. Caeterum inſcripſit opus Franciſco van der Burch Archiep. et Duci Cameracenſi, S. R. Imp. Principi. Epiſtolae charactere rotundo, poemata literis Italicis exſcripta ſunt. Indices praeterea habet vtiliſſimos.

*) Hoc non ſatis mihi intelligere videor. Qualis quaeſo erat textus Roma transmiſſus? Nonne editionum ſuperiorum? Atqui tum nihil referebat, vt a Romanis expeteretur. Immo inquies, vt collatus erat vel emendatus iuxta Vaticanos codices? At hoc, niſi temere, fieri non poterat, nec vero fecit Rosweydus. Nam poſt notas, Variantes horum codicum et coniecturas ſimul imprimi curauit ibique reliquas Belgici, Puteani et Vaticani Codicis Variantes, vt maxime ſibi probarentur, in textum ſe recepiſſe fatetur. Multum igitur τῷ *fere* tribuendum erit in Rosweydi praefatione

1662.

Diuione, apud Viduam Philiberti Chavance. 4. Paulinus illuſtratus ſiue Appendix ad Opera et res geſtas S. Paulini Nolenſis *(ſic)* Epiſcopi Auctore *Petro Franciſco Chiffletio* Soc. I. Presb.

Nouae quodammodo editionis Paulini vicem ſuſtinere videtur hic Chiffletii labor, qui ipſi quidem edendi illius conſilio ab auctore olim ſuſcepto et rebus cogentibus abiecto ſucceſſit. Duabus ille partibus conſtat, quarum prior multa ſuperiorum editionum loca melius, certe noua ratione conſtituit, alter vitam et res a Paulino geſtas illuſtrat, et ex Codice Viennenſi vtiles imprimis lectiones in omnes fere eius epiſtolas confert. Sed vt apertius, quae peculiaria inſint, pateat, omne argumentum et occaſionem, quatenus in praefatione ab eo absque verborum ambagibus eſt deſcriptum, ſubiiciamus ad paginas libri nobis collatum. „Venerunt mihi in manus, inquit, Paulini operum manu exarata aliquot exemplaria. His a me collatis cum editione Plantiniana a. MDCXXII. omnium accuratiſſima, vidi primum huic deeſſe Paulini Epiſtolam *ad Eucherium et Gallam* tunc in Lero inſula degentes; breuem quidem illam, ſed gemmarum inſtar in exigua mole pretio maximam. Intellexi, hac epiſtola apertum mihi campum ampliſſimum ad eos profligandos, qui Eucherium iuniorem Lugdunenſem Epiſcopum ſibi finxerant, Gallae maritum: quam tamen Eucherio ſeniori, immo eius nominis inter Epiſcopos Lugdunenſes vnico, coniugem, Paulini haec Epiſtola oſtenderet.*) Ad haec ex

*) Exhibetur haec epiſtola ex MSS. Codd. Viennenſi et Cluniacenſi P. I. cp. XV. p. 61. Subnotantur in eandem pauca ſequenti capite. De Eucherio et Galla autem fuſius capp. ſqq. XVII - XXIII.

ex iisdem MSS. Codicibus, atque ex Flori Lugdunenſis collectaneis in omnes Apoſtoli Pauli Epiſtolas, deprehendi, imperfectam eſſe in vulgatis Epiſtolam, quae *ad Pammachium* praenotabatur: atque ad eundem Pammachium datam eſſe totam fere Paulini Epiſtolam, quae inſcripta eſſet *ad Alethium:* vnde indolui turbatam Paulae Romanae familiam, etiam a doctiſſimis viris, qui ex hac male percepta ac praepoſtere digeſta Epiſtola, Alethium Paulae generum, Ruffinae porro eius minimae natu filiae maritum affirmabant, cum tamen Ruffinam ex Hieronymo conſtaret morte immatura ſublatam in aetate quidem nubili, ſed veriſimilius ante nuptias: certe Alethio Cadurcenſi nunquam fuiſſe vxorem.*) A compactorum oſcitantia eam labem cognouimus, duabus Paulini *ad Pammachium* et *ad Alethium* Epiſtolis iam olim affuſam, quae remotioris antiquitatis certis teſtimoniis eluenda eſſet.**) Animaduerti praeterea, ex iisdem

 MSS.

*) De his ibid. capite I. et II.

**) Oſtenditur nempe, partem poſteriorem Epiſtolae, in vulgatis editionibus Alethio inſcriptae, nihil ad Alethium pertinere, cap. V. ſed ad Pammachium datam eſſe ex Codd. probatur, cap. VI. idemque iam olim cenſuiſſe Florum Lugdunenſem cap. VII. Dehinc cap. VIII., vndenam huius ad Pammachium Epiſtolae pars prior poſſit reſtitui et cum poſteriore connecti, disquiritur, idque in Epiſtola, quae in vulgatis ad Pammachium inſcribitur, n. XXXVII. in Antuerpienſi, fieri oportere cenſetur. Cap. IX. ipſa tandem epiſtola integritati ſuae nunc reſtituta proponitur ad eamque cap. X. variantes aliquot lectiones ex Codd. MSS. Puteano et Viennenſi colliguntur. Denique cap. XII. demonſtrare nititur, vulgatae Paulini ad Alethium Epiſtolae parti priori, quae ad Alethium vere ſpectet, iungendum eſſe ſermonem de Gazophylacio. Quae ſic dein coniunctim reſtituta et Codd. MSS. ope expolita exhi-

MSS. Codicibus vulgatam Paulini *ad Sanctum* et *Amandum* Epiſtolam in duas diffundendam eſſe: ſicvt et Epiſtolam *ad Romanianum*, quae alteram carmine ad Licentium eius filium datam includit.*) Diuerſas denique ab editis lectiones, in omnibus pene Paulini Epiſtolis ex iisdem manu deſcriptis in vetere membrana exemplaribus obſeruaui, quae Paulini genium atque ingenium prae vulgatis prae ſe ferrent.**) Quid plura? Paulini conſulatum, Baptiſmum, monachiſmum, ſacerdotium, epiſcopalem ordinationem, Natales Sancto Felici dicatos, Melaniae ſenioris et Nicetae Dacorum Epiſcopi per Nolam tranſitus, alienis temporibus a plerisque adſignari animaduerti. Captiuitatem quoque eius Africanam nec ſuo tempore reddi nec eius narrationem (quae Gregorii Papae eſt) Vranio vere adſcribi: et quidquid fere vir tantus vel egiſſet vel ſcripſiſſet, in chronologiam praepoſtere, etiam ab recentiorum eruditiſſimis digeri. Quid commemorem viſionem S. Paulini, Iohanni

exhibentur cap. XIII. et variantibus aliquot lectionibus exornantur cap. XIV.

*) Prius ſic in c. XXIV. In ſequentibus deinceps vtraque proponitur, prior capite XXV. poſterior, tanquam appendix prioris, cap. XXVI. Variantes ad easdem collectae cap. XXVII. ſubnectuntur. De epiſtola ad Romanianum XLVI. in edit. Antuerpienſi agitur cap. XXVIII. Simul cap. XXIX. obſeruatio ex cod. MS. Viennenſi in Epiſtolam tertiam Paulini ad Amandum, quae eſt XXII. in ed. Antuerp. adiecta eſt, vnde mancam eſſe ab initio eamque labem perantiquam ſignificatur.

**) Haec optimarum variantium lectionum meſſis a p. 260. vſque ad finem p. 295. congeſta eſt. Reliqua ſecundae partis capita ad vitam Paulini ſpectant, qua occaſione tamen multa alia obiter ſatis fuſe explicantur.

Iohanni Epiſcopo Neapolitano triduo ante obitum oblatam; quam ab aliquot Scriptoribus Italis, immo et Neapolitanis perperam tribui videbam Iohanni inter Epiſcopos Neapolitanos eius nominis quarto, qui octingentis fere abhinc annis floruit; cum eam antiquiori Iohanni huius nominis primo tribuendam in aperto ſit, qui proximo poſt Paulini obitum anno, aerae Chriſtianae CD. XXXII. die Sabbati ſancti, menſis Aprilis ſecunda ad Superos euolaſſet? Haec et alia de S. Paulini rebus a me obſeruata, parum abfuit, quin me permouerent ad nouam eius Operum moliendam editionem; cui poſt Heriberti Rosweydi, et Frontonis Ducaei amoebaeas Notas, tertio loco meas apponerem; vt ex omnibus aliquid exiſteret, quo tam diſerti ac tam ſancti Scriptoris ſtudioſis fieret ſatis: mentemque illis iniicerem, ad Magni Theodoſii Panegyricon, ceteraque nondum edita eius opera, per omnes veterum bibliothecarum latebras disquirenda. Sed inhibuit praeſertim manſionis meae Diuionenſis, ad accuratiorem typographiam perquam inopportunae conditio: ſeditque animo tandem, quaecumque mihi ad Paulinum illuſtrandum comparata erant, in hunc libellum coniicere, integram (vt ſpero) eius Operum impreſſionem aggredienti aliquando profutura." — Nuncupauit librum ſuum Chiffletius Card. Franc. Barberino, Portuenſi Epiſcopo.

1685.

Pariſ. ap. Io. Couterot et Ludou. Guerin. 4. *Tomi II.* S. Pontii Meropii Paulini Nolani Epiſcopi Opera digeſta in II. Tomos, ſecundum ordinem temporum nunc primum diſpoſita et ad MSS. Codd. Gallicanos, Italicos, Anglicanos, Belgicos atque ad Editiones antiquiores emendata et aucta, nec non Variorum Notis illuſtrata. His adduntur de S. Paulino Ep. Nolano SS.

SS. Patrum ac recentiorum Scriptorum elogia, Vita ex ipſius Sancti Operibus recens concinnata, Diſſertationes de eiusdem captiuitate, de SS. Sulpicio Seuero, Alethio, Victricio, Apro et de Opuſculis S. Paulini amiſſis, dubiis ac ſuppoſititiis. Exhibentur praeterea operum Ordo chronologicus argumentis demonſtratus, Variantes ex MSS. et editis Codicibus Lectiones et varii Indices.

Perſpicue et minima cum ambitione editor Ioannes Baptiſta le Brun, operoſae vir diligentiae, vt ex Lactantianis eius lucubrationibus didicimus, quid in ſingulis nouae editionis partibus praeſtiterit aut praeſtare voluerit, indicat. Summa ergo profeſſionis eius his capitibus nititur: 1) Ad caſtiganda Paulini Opera complures MSS. Codices per annos ſex excuſſit et cum editis accurate contulit. Si quid obſcurius et perplexius occurrebat, ſubinde viros eruditos ſe conſuluiſſe, nec ſemper, quod clarius eſſet aut elegantius, praetuliſſe, ſed quod germana Paulini dictio eſſe collatis aliis eius Operum locis videretur, affirmat. Cauſae emendationum quibusdam notatiunculis in inferioribus marginibus declaratae ſunt. 2) Prima operis pars indubitata Paulini opera complectitur. Epiſtolis nonnullas de nouo adiecit, plures in duas diuiſit iubentibus MSS. Codicibus, aliquando ex duabus vnam ex certis argumentis confecit. 3) Inſertae ſunt Epiſtolae ad Paulinum ſcriptae vel reſcriptae. 4) Argumenta Epiſtolarum, quae male digeſta et incompoſita erant, caſtigata, et ſacrae Scripturae loca Italico charactere expreſſa; 5) Poemata pariter, quae Epiſtolas excipiunt, mendis innumeris repurgata, verſibus pluribus aucta et argumentis illuſtrata ſunt. 6) Praeter alia expeditioris et facilioris vſus cauſa inſtituta, textum in plurimas ſectiones, numeris notis deſignatas, diſtinxit. 7) In ſecundum Tomum coniecta ſunt Opera

tum

tum dubia tum ſuppoſititia. 8) His notas Variorum ſubiecit nomine auctoris cuiusque indito, ſuis autem notula praefixa ſecretis. 9) Sequuntur Elogia Paulini ex variis Scriptoribus ad MSS. Codices recognita et vita eius recens concinnata. 10) Adiectae ſunt Diſſertationes VII. quarum prima Epiſtolarum ordinem chronologicum adſtruit, ſecunda Poematum. Tertia, quarta et quinta de Sulpicio Seuero, Alethio, Victricio et Apro, ad quos ſcripſit Paulinus, agunt. Sexta de operibus Paulini amiſſis, dubiis et ſuppoſititiis; ſeptima vero de eiusdem controuerſa Captiuitate fuſe diſſerit. 11) Sequuntur Variantes ex MSS. et editis codicibus cum nonnullis leuioris momenti emendationibus. 12) Denique *quindecim* Indices attexuit, ex quibus potiores Epiſtolarum et poematum ordinem, prioribus editionibus comparatum, Codd. MSS. et editorum, quorum ope textus repurgatus, ſyllabum et rerum multiplicem copiam oſtendunt. Ac haec quidem omnia recte ſe habent. Vnum tamen eſt, quod in editore reprehendendum cenſeo, quod Chiffletio debitum honorem non habuerit. Multa ad nouam editionem procurandam eum in medium protuliſſe inquit, ex quibus, quae ad rem ſuam conducere viſa eſſent, excerpſerit. Immo vero vtramque in hac Lebruniana editione paginam Chiffletius facit. Ille turbatas et male compactas epiſtolas primum ſecreuit et priſtinae formae reſtituit. Ille primum exemplum dedit, veram ac genuinam dictionis et ingenii Pauliniani formam in melioribus codicibus MSS. inueſtigandi adeoque Lebruni ingenium ſua ſagacitate excitauit et induſtriam eius egregio optimarum lectionum delectu aluit; quae quidem non ſatis erat excerpere ſed agnoſcere etiam et palam profiteri debebat.

1697.

Mediolani, typis Ioſephi Pandulfi Malateſtae. 4. Quatuor S. Paulini Epiſcopi Nolani Poemata: complectitur *Tomus Prior Anecdotorum Ludouici Antonii Muratorii.*

Magnopere ſibi ipſi plaudit de carminibus hiſce in Ambroſianae Bibliothecae latebris repertis atque hoc tandem volumine in lucem productis editor ad omnem poſteritatem eruditione et meritis de re literaria vniuerſa celeberrimus. Audi ipſum. „Teſtatur Paulinus in Epiſtola ad Seuerum nona, ſe quotannis *Natalitium carmen* S. Felici pangere conſueuiſſe. Decem vero ex his Natalibus tantum extare opinio erat, quum in publicum prolatus eſt Dungali, qui A. Ch. circiter 821. florebat, liber aduerſus Claudium Taurinenſem *de cultu Sacrarum Imaginum*, quem Ludovico Pio Imperatori, eiusque filio Lothario inſcripſit. Plurima ibi citat vir diſertus ac pius S. Paulini carmina, inter quae nonnulla ex Natalibus XI. XIII. XIV. et XV. libata, quibus Sacrarum Imaginum, Reliquiarumque cultus mirabiliter comprobatur. Vetuſtiſſimi huius Scriptoris exemplar et noſtra bibliotheca ſeruat. Iſtius igitur monitu alios quoque Natales Paulinum procudiſſe innotuit. Sitim auxit fragmentorum pretium viſisque aliquot vndae guttis continuo totus in votis fons fuit. Itaque dum vberrimam Manuſcriptorum Codicum ſeriem luſtro, quae in Ambroſiana aſſeruatur, incidit in manus meas antiquiſſimum volumen, in quo Venantii Fortunati, Proſperi, Iuuenci, Aratoris, aliorumque veterum Chriſtianorum carmina continebantur. Tres et decem S. Paulini Natales ibi exaratos inueni, quos cum Dungali fragmentis collatos germanum protinus tanti Scriptoris foetum mihi et orbi literario ſum gratulatus. — Quindecim porro Natales Paulinum ceciniſſe hucuſque creditum,

quum

quum expreſſe carmina Dungalus tum ex XIV. tum ex XV. citarit. Verum Auctor iſte, aut librarii in illo deſcribendo decepti fuere; quae enim carmina ex natali XIV. hauſta referuntur, omnino reiicienda in XIII. Codex noſter, et rerum ordo euincunt. Itaque Natalis apud Dungalum XV. hinc inſcribendus erit decimus quartus, quem in membranis noſtris deſcriptum non fuiſſe vehementer dolemus. Noſtro praeterea in Codice ſimul confunduntur primus et alter Natales, ac idcirco reliqui numero vno ab editis diſcrepant, ita vt hic ſeptimus dicatur, qui apud alios octauus numeratur, quo ordine reliqui procedunt; ſed amanuenſium incuria id factum; quum penitus inter ſe diſtinguendi ſint primus, et ſecundus. — Haec omnia notis eruditis, ac diſceptationibus pro viribus enucleanda cenſui, tum ne reliquis Paulini operibus, quae eruditorum ſtudio hucuſque ornata viſuntur, in aliquo cederent, tum vt Poeſeos merito aliqua per me ratione ſatisfieret. Vt enim ea omittam, quae hinc aduerſus Nouatores, Reliquiarum Sanctorumque cultum improbantes adferri poſſunt, certe nuſquam maiorem quam in hiſce tribus ſaltem Poematis, inuenias eruditionem. Hic Ethnicorum ſuperſtitio, hic Sanctorum Monumenta explicantur, resque geſtae Paulini velut in vnum compendium coactae illuſtrem Scriptoribus ſeriem eruditionis praebebunt. Quod ad annos ſpectat, Chiffletio plane conſentit. Poſtremo monet, conſulto a ſe hoſce verſus vna cum amanuenſium erroribus fuiſſe deſcriptos, vt fides MSS. eo certius conſtaret, nec de emendantis libertate et audacia querelae orirentur." Notae ſatis larga manu ſunt adſperſae. Diſſertationes autem numero XXII. de ſingulis fere rebus geſtis aut perſonis, quibuscum Paulino coniunctio interceſſit, pars etiam de variis antiquorum chriſtianorum circa ſacra conſuetu-

ſuetudinibus exponunt. Nos duas tantum commemorabimus, *decimam quartam* de S. Felice Nolano, et *vltimam* Specilegium ex operibus S. Paulini deperditis praebentem, quod locis aliquot incertae ſedis, plurimis autem verſibus poematum in vulgaribus editionibus haud obuiis conſiſtit.

Saec. XVIII.

1736.

Veronae, typis Dionyſii Ramanzini. fol. max. S. Pontii Meropii Paulini Senatoris et Conſulis Romani deinde Nolani Epiſcopi opera ad MSS. Codices Gallicanos, Italicos, Anglicanos, Belgicos atque ad editiones antiquiores emendata et aucta nec non Variorum Notis et Diſſertationibus illuſtrata; nunc vero primum quatuor integris poematibus quae ex Ambroſiana Bibliotheca pridem emta modo ſecundis curis recognouit D. *Lud. Ant. Muratorius* auctiora demum atque abſoluta.

Lebruniana editio cum Muratorii augmentis quomodo coaleſcere iuſſa ſit, accipe. Primum epiſtolae, dein poemata notis ſuo loco ſubiectis excuſa ſunt; in appendicem autem diſſertationes vtriusque et alia ab iisdem prolata reiiciuntur. Vita Paulini, ab editore Pariſienſi conſcripta, cum Elogiis et indicibus Epiſtolarum ante textum diſpoſita inuenies. Quod ſpeciem et honorem ab arte typographica attinet, nulli Veronenſium aliorum Scriptorum editionum eſt ſecunda atque obtulit typographus Venetiarum Patriarchae Franciſco Antonio Corrario.

1756.

Romae, ſumpt. Venantii Monaldini, typis Io. Zempel. 4. S. Paulini Nolani Ep. Carmen XI. XII. et

et XIII. in S. Felicem ex codice Ambroſianae bibliothecae poſt Muratorium emendatiora edidit *D. Ioh. Aloyſius Mingarellus in Anecdotorum Faſciculo.* p. 7-56.

Muratorius, vt ſupra accepimus, religioni ſibi duxerat, in poematibus laudatis quidquam, etiamſi manifeſto vitioſum et deſcribentis manu corruptum, mutare aut corrigere. In notis quidem ſubinde ſuſpiciones et emendationes adſcripſerat, ſaepius tamen aliis tentanda tales difficultates reliquit. Iam Mingarellius acceſſit non tam ingenio quam ex codice pariter Bononienſi opem allaturus. Atque innumeris ſane in locis vel ſuppleta vel aliter conſtituta hic apparent haecce carmina ſingulaeque emendationes in notis inferiori margini ſubiectis indicantur et Muratorianis vel Dungali lectionibus conferuntur. Praeterea praemiſit ex eodem codice, cum editione Veronenſi collato, varietatem lectionis in priora Paulini poemata haud tenuem.

1772.

Venetiis, ex typ. Io. Bapt. Albritii. f. S. Paulini E. N. Carmina XI. XII. et XIII. in S. Felicem editis multo emendatiora: Quin et carmen XIII. verſibus LIII. auctius qui antea in ea deſiderabantur: cura et ſtudio V. C. D. Io. Aloyſ. Mingarellii. *Tomo* VIII. *Bibl. PP. et SS. Eccl. Andreae Gallandii* p. 211 vſque ad 227. Mingarellii praefatio prolegomenis inſerta cap. VII. p. XIII ſqq.

* *

Codices. Ante *Schottum* et *Rosweydum* nulla ab editoribus fit Codicum MSS. mentio. Schottus primum commemorat *Codicem Valentinum*, quem ad Epiſtolas conſuluerat. Rosweydus laudat

1. *Vati-*

1. *Vaticanos,* quorum Varietas lectionis Roma ipſi a Sacchino e Soc. I. transmiſſa fuit. Exhibetur ipſa ad calcem editionis eius. Vide Codices Lebruni.
2. *Nolanos*, ſed quorum nulla prorſus apud eundem mentio fit.
3. Codicem MS. Belgicum, quo Cauchius ciuis Rosweydi antea vſus fuerat, de quo poſtea.

Chiffletio ad manus erant *tres:* 1. *Cluniacenſis* Epiſtolarum peruetuſtus. 2. *Viennenſis*, qui olim fuit Abbatiae Bonae-Vallis cuiusque complures varias lectiones excerptas dedit. 3. *Puteanorum* fratrum, ex quo variantes aliquot lectiones a Frontone Ducaeo ſe accepiſſe profitetur Rosweydus. Vetuſtus fuit et optimae notae. Acceperat humanitate Iacobi Puteani fratri Claudio ſuperſtitis; a quo deinde Regiae Bibliothecae Pariſienſi teſtamento eſt adſcriptus.

Codices Ioannis Baptiſtae le Brun. Hic tenendum eſt, Lebrunum omnes omnino enumeraſſe codices MSS. quos ii, quorum ante ipſum Paulino vel vniuerſe vel in parte aliqua operam nauauerant, praeſto ſibi fuiſſe indicant.

Belgicus codex a Barthio collatus, in quo exſtabant S. Paulini Poemata XVIII. et XX.

Belgicus alter a Cauchio collatus codex Epiſtolarum et Carminum S. Paulini.

Bigotianae bibliothecae codices duo 600 annorum, in quibus exſtabant Epiſtolae nouem S. Paulini ad S. Auguſtinum, et S. Auguſtini ad S. Paulinum.

Bigotianus alter, in quo habetur Epiſtola IV. S. Paulini ad Auguſtinum, et reſponſum S. Auguſtini ad Paulinum, eſtque 700. annorum.

Cluniacenſis, in quo exſtabant Epiſtolae 40. 41. et 51.

Cathe-

Cathedralis Eccleſiae Rotomagenſis Lectionarius codex, in quo habebatur Epiſtolae 18. ad Victricium Rotomagenſem Epiſcopum pars media.

S. Germani a Pratis Pariſ. duo 900 annorum peruetuſti codices, literis Saxonicis exarati, qui decem de S. Felice Natalitia Carmina continebant, et Oden ad Nicetam, ex quibus multa deprauata et mutila emendabantur et reſtituebantur. Alter eiusdem Abbatiae codex 800 annorum, in quo habebatur Poema exhortatorium ad Coniugem.

Domini Claudii Joly Praecentoris Eccleſiae Pariſienſis codex 500 annorum, in quo Poema exhortatorium ad coniugem. Alter 300 annorum, in quo erant Epiſtolae ad Marcellam et ad Celantiam.

Lugdunenſis codex a Vineto collatus, in quo exſtabant Auſonii ad S. Paulinum, et S. Paulini ad Auſonium Carmina.

Mariangeli Accurſii, in quo Carmen 25. Auſonii ad S. Paulinum.

Collegiatae Eccleſiae S. Mariae de Rotunda Rotomag. Lectionarius codex, in quo habebatur Epiſtolae 18. ad Victricium Rotomagenſem epiſcopum pars media.

Nolanus, in quo erant Epiſtolae 40. et 41.

Poëlmanni, in quo exſtabant ad S. Paulinum Auſonii Carmina.

Regiae Bibliothecae 800 annorum codex Epiſtolarum et Poematum S. Paulini, et Carminum Auſonii ad S. Paulinum.

Vaticanus codex Epiſtolarum S. Paulini. Alii duo, in quibus exſtabant Epiſtolae 25. et 26. Alii item quatuor, in quibus Epiſtolae 3. 4. 6. 7. 8. et 50.

S. Victoris Pariſienſis codices duo 300 annorum, in quibus erant Epiſtolae 25. et 26. et duae ad Marcellam

cellam et ad Celantiam. Eiusdem Abbatiae duo alii 300 annorum, in quibus habebatur ad Coniugem Poema exhortatorium.

Viennenſis codex Epiſtolarum S. Paulini optimae notae.

Voſſianus in Anglia, in quo exſtabant Carmen 24. Auſonii ad S. Paulinum et S. Paulini Poema 10. ad Auſonium.

Muratorii codex. Bibliothecae Ambroſianae Mediolanenſis eſt peruetuſtus, characteribus quadratis ac minutiſſimis miraque vetuſtate rectis lineis inter ſe diſtinctis. Saeculo nono elaboratum cenſuit. Inerat etiam *Paulini Petrocorii opus de Vita S. Martini Verſibus.* Quod reliquum eſt, iam ſupra notatum.

Codex Mingarellii. S. Saluatoris Bononiae chartaceus ac ſaeculo, vt is opinatur, XIV. a *Lippo* Plateſio exaratus. Tredecim continet Paulini carmina in Felicem, plura Prudentii.

cellam et ad Celantiam. Eiusdem Abbatiae duo alii 300 annorum, in quibus habebatur ad Coniugem Poema exhortatorium.

Viennenſis codex Epiſtolarum S. Paulini optimae notae.

Voſſianus in Anglia, in quo exſtabant Carmen 24. Auſonii ad S. Paulinum et S. Paulini Poema 10. ad Auſonium.

Muratorii codex. Bibliothecae Ambroſianae Mediolanenſis eſt peruetuſtus, characteribus quadratis ac minutiſſimis miraque vetuſtate rectis lineis inter ſe diſtinctis. Saeculo nono elaboratum cenſuit. Inerat etiam *Paulini Petrocorii opus de Vita S. Martini Verſibus.* Quod reliquum eſt, iam ſupra notatum.

Codex Mingarellii. S. Saluatoris Bononiae chartaceus ac ſaeculo, vt is opinatur, XIV. a *Lippo* Plateſio exaratus. Tredecim continet Paulini carmina in Felicem, plura Prudentii.